

gia


V
B
J
C

BREVIS

VNIVERSÆ THEOLOGIÆ

TAM MORALIS

QVAM SCHOLASTICÆ
CURSUS.

IN GRATIAM STUDENTIUM EDITUS.

Juxta inconcussa, tutissimaque Doctoris angelici D. Thomæ dogmata.

Plura nova, & singularia in hoc opere continentur, circa difficultates, quæ uel nondùm expositæ fuerant, uel hucusque (ut videtur) remanserant insolutæ: quæ omnia Lectoris benevoli examini, & judicio submittuntur.


Authore R. P. LUDOVICO BANCEL *Delphinate, Valentino, Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Doctore Aggregato, eiusdemque Professore in Vniversitate, Examinatore Synodali pro Diœcesi, & Beneficiali pro Legatione Avenionensi, necnon Exdiffinitore Generali Provinciæ Tolosanæ eiusdem Ordinis.*

TOMUS SEPTIMUS.

Eminent. Cardinali CYBO Dicatus.

ca nova legis causent
averantis, sed etiam ex:

AVENIONE,
Sumptibus PETRI, & FRANCICI - SEBASTIANI OFFRAY, Typograph.
M DC. LXXXXII.
Cum Superiorum permissu.





INDEX
TOMI SEPTIMI
TERTIÆ PARTIS
THEOLOGIÆ THOMISTICÆ
TRACTATVS II.
De Sacramentis in communi.

FINIS.



TERTIÆ PARTIS THEOLOGIÆ THOMISTICÆ TRACTATVS II.

De Sacramentis in communi.



TILISSIMUM, & jucundissimum Tractatum aggredimur: utilissimum quidem, quia nullus est, qui non debeat vel administrare Sacramenta, vel saltem ea suscipere, & neutrum ritè fieri potest sine ipsorum notitia: jucundissimum verò, quia omnes ferè difficultates, quæ in ipso agitantur, nec sunt ita magnæ, ut reddantur inintelligibiles, nec ita paruæ, ut sine ullo labore percipiantur; sed medio modo se habent, ita ut simul & delectent, & exerceant ingenia. Si igitur ut communiter dicitur, *Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci*, constat, quòd iste Tractatus alijs omnibus est præferendus. Et quod dicimus de hoc Tractatu, in quo agitur de Sacramentis in communi, à fortiori intelligendum est de alijs Tractatibus post istum: in quibus agetur de Sacramentis in particulari; quia ut dicit D. Thomas, ea quæ praxim concernunt (sicut Sacramenta) semper magis movent in particulari, quàm in communi.

Sed quia juxta methodum nostram ab initio explicatam, debemus statim prima principia stabilire, ex quibus conclusiones omnes inferantur; idcircò advertendum est, quatuor esse prima principia, ex quibus inferemus omnes conclusiones, quas explicare debemus in omnibus istis Tractatibus de Sacramentis tam in communi, quàm in particulari.



Primum, & universalissimum principium est major gloria Dei : cùm enim *Deus omnia operatus fuerit propter semetipsum* ; ut habemus ex Scriptura Sacra ; & in omnibus rebus divinas suas perfectiones manifestet, debemus ea de Sacramentis asserere , quæ maximè manifestent attributa Dei ; præsertim quia Sacramenta præcipuum locum tenent inter opera , quibus mediantibus divina nobis magis manifestatur misericordia , de qua potissimùm gloriatur Deus. Quia tamen, ut ait sapiens , Divina Providentia *attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter* ; ideò in Sacramentis attributa Dei maximè relucere debent juxta exigentiam salutis hominum , pro quibus hujusmodi Sacramenta sunt instituta : undè D. Dionysius capite primo de Celesti Hierarchia ait: *Neque enim aliter fas erat, infirmitati nostræ divinum lucere radium , nisi sacrorum varietate velaminum quibus ad superiora ferremur, opertum, & iis , quæ nobis familiaria sunt* (Providentia paterna naturæ mortalium se se accommodante) *vestitum.*


Alterum , & valdè generale principium est major gloria Christi : sicut enim Deus in omnibus suis creaturis, & omnis causa in suis effectibus suas perfectiones manifestat, & ideò , juxta commune philosophorum axioma , omne agens producit sibi simile : ita Christus Dominus in suis operibus suas debuit perfectiones exprimere , proindéque in Sacramentis ab ipso institutis. Undè D. Thomas 3. parte , quæstione 60. articulo 6. ait , *Verbo incarnato Sacramentum quodammodo conformatur in hoc , quòd rei sensibile verbum adhibetur , sicut carni sensibile est Verbum Dei unitum.*

Tertium principium est majus bonum Ecclesiæ: cùm enim Deus, & Christus Ecclesiam ut Rempublicam instituerint : aliundè verò nunquàm deficiant in necessariis, consequenter debebant instituere Sacramenta eo modo quo ad Ecclesiæ conservationem , & perfectionem sunt necessaria : undè optimè D. Augustinus lib. 19, contra Faustum capite 11. ait , *In nullum nomen religionis sivè verum , sivè falsum coadunari ho-*

mines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum visibilium consortio colligentur.

Quartum principium est majus bonum cujuslibet fidelis: quia Deus nihil aliud magis exoptat ut ita loquar, quàm nostram sanctificationem, & hac de causa Christus venit, ut docent Thomistæ in Tractatu de Incarnatione, & propterea Ecclesiæ Rempublicam instituit. Igitur Sacramenta ad hujusmodi sanctificationem juxta conditionem hominum institui debebant: propterea D. Chrysostomus homilia 83. super Matthæum ait, *Si incorporeus esses, incorporea tibi Deus dedisset dona, nunc autem quoniam coniuncta est corpori anima tua, sub sensibilibus tibi intelligibilia tradidit.*

Hæc sunt principia, ex quibus inferemus omnia, quæ in hoc Tractatu dicturi sumus: in ipso autem agemus cum D. Thoma primò de essentia Sacramentorũ: secundò de necessitate ipsorum: tertiò de effectibus, & quidem de effectu principali, nempè gratia: quartò de effectu minùs principali, scilicet Charactere: quinto de causis eorumdem Sacramentorum: sexto de ipsorum numero. Et in his sex quæstionibus explicabimus omnia, quæ concernunt Sacramenta in communi sumpta.



QUÆSTIO I.

De essentia, natura, & quidditate Sacramentorum.

DIximus in prima parte nostræ Theologiæ, agendo de essentia, natura, & quidditate Dei, quòd licet hæc tria realiter non differant, immò communiter à scholasticis confundantur, majoris tamen claritatis gratia distingui debent, & re vera differunt secundum rationem, sivè secundùm nostrum concipiendi modum: nam essentia dicitur ab essendo, natura ab

operando, & quidditas ab explicando quid sit res: aliquid enim dicitur essentia, quatenùs dic t habitudinem ad existentiam, & sic consideratur à metaphysicis; & dicitur natura, quatenùs est principium motus, & quietis, sivè operationis, & cessationis ab ipsâ, & sic consideratur à physicis; dicitur verò quidditas, quatenùs explicatur per definitionem quid sit, sivè quænam sit ipsius essentia, & natura, & hoc præstatur à logicis: undè dummodò explicata fuerit essentia, & natura Sacramentorum, remanebit etiam explicata quidditas eorum.

ARTICULUS I.

De Sacramentorum essentia.

Advertendum est, quòd essentia, & natura alicujus rei diversimodè explicantur: nam explicando essentiam, v. g. hominis, exprimimus gradus ejus metaphysicos, scilicet genus, & differentiam, dicendo quòd homo est animal rationale: sed explicando naturam, exprimimus mareriam ejus, & formam, dicendo quòd homo constat animâ, & corpore. Similiter in proposito explicabimus essentiam Sacramentorum per genus, & differentiam; & in sequenti Articulo naturam ipsorum per materiam, & formam. Hoc prænotato sit

Conclusio. Essentia Sacramentorum benè exprimitur per istas definitiones: Sacramentum est signum rei sacræ nos sanctificantis: vel etiam, invisibilis formæ visibile signum ad nostram sanctificationem divinitùs institutum. Quæ definitiones desumuntur ex DD. Augustino, & Thoma, aliisque SS Patribus, & Doctoribus & ab omnibus acceptantur.

Probatur, & infertur ex quatuor nostris principijs: Talis debet esse Sacramentorũ essentia, qualis exigitur ad majorem gloriam Dei, & Christi, & majus bonum totius Ecclesiæ, & cujuslibet fidelis: sed ad hæc quatuor exigitur, quòd Sacramenta sint signa visibilia gratiæ invisibilis: ergo. Minor probatur: quia gloria Dei exigit manifestari per omne genus creaturarum, & cum ex creaturis aliæ sint corporales, & aliæ spiritua-

les, conveniens erat quòd Deus res corporeas assumeret ad significandam, vel etiam producendam rem spiritualem, qualis est gratia: similiter gloria Christi, seu Verbi Incarnati exigebat ut essentia Sacramentorum exprimeret ejusdem Verbi, vt ita loquar, essentiam: & cum persona Verbi sit invisibilis, & spiritualis, Humanitas verò, quam assumpsit, præter animam dicat etiam corpus, quod est visibile, & materiale; ideò in Sacramentis tanquàm Christi effectibus debebat esse aliquid visibile, & materiale significans aliud invisibile, & spirituale: Tertiò, cum nulla respublica subsistere possit, nisi amicitia, quam cives ad invicem habere debent, & quæ in eorum corde latet, per exteriora etiam, & visibilia signa manifestetur; congruum erat, ut essentia Sacramentorum, quæ instituta sunt ad fovendam amicitiam inter ipsos cives reipublicæ christianæ, præter gratiam, & charitatem, quam causant, & quæ est spiritualis, & invisibilis, importarent etiam signum aliquod visibile, & corporale. Quartò, homo constat animâ, & corpore, illa est invisibilis, istud visibile; aliundè juxta commune philosophorum axioma, nihil est in intellectu, quod priùs non fuerit in sensu: ut igitur conformiter ad naturam hominis Sacramenta haberent, undè sanctificare possent debebant essentialiter importare aliquid visibile, & corporale, quod esset signum ipsius gratiæ invisibilis, & spiritualis, quæ in homine recipitur beneficio Sacramentorum.

Probatur 2. Illa definitio est bona, quæ constat genere, & differentia, ut docent omnes philosophi: sed prædictæ definitiones constant genere, & differentia: ergo sunt bonæ. Probatur minor: nam quando dicitur, quòd Sacramenta sunt signa visibilia, exprimitur genus, in hoc enim conveniunt cum pluribus alijs signis, quæ sunt visibilia, & tamen non sunt Sacramenta, quemadmodum fumus est signum ignis, & vestigium est signum animalis, & sic de alijs: per alias autem particulas exprimitur differentia; Sacramenta enim per hoc differunt ab omnibus alijs signis, quòd alia sunt instituta ab hominibus, vel significant ex natura sua, sacramenta verò significant ex institutione divina; &

quamvis aliqua alia signa divinitùs instituta fuerint, nihilominùs non significant rem simpliciter sacram, sivè gratiam sanctificantem, quæ sola nos absolutè & simpliciter loquendo, sacrat, sivè consecrat ipsi Deo, ut magis constabit ex solutione objectionum.

Objicitur 1. Signum est duplex secundùm philosophos, aliud naturale, & aliud ad placitum: sed neutrum potest convenire Sacramento: ergo non benè definitur Sacramentum, quando dicitur, quòd est signum. Minor probatur: Sacramentum non potest esse signum ex natura sua; nam v. g. aqua in Baptismo non habet ex natura sua significare gratiam, quæ confertur homini baptizato, hoc enim est ei omninò supernaturale: non est etiam signum ex beneplacito, quia tale signum secundùm philosophos præsertim Thomistas, est merum ens rationis; sic v.g. quòd moneta talem valorem habeat, & illum significet, ut scutum argenteum sexaginta solidos, est ens rationis, hoc enim dependet, & provenit ex sola æstimatione principis, vel reipublicæ: undè etiam invariatâ manente monetâ diversum valorem habere potest per solam variationem æstimationis, & beneplaciti vel principis, vel reipublicæ: sed Sacramenta nequeunt esse pura entia rationis, cum sint entia maximè realia: ergo. Probatur minor. Ens rationis transit, & non subsistit nisi inquantùm de ipso cogitamus; ens verò reale permanet, & subsistit etiam nemine cogitante: cùm igitur Sacramenta non transeant, sed permaneant, & subsistant in Ecclesia, etiam nemine de ipsis cogitante, sequitur quòd non sunt entia rationis, sed entia realia.

Respondeo, negando minorem: ad cujus probationem dico, quòd Sacramenta sunt signa gratiæ, non ex natura sua, sed ex beneplacito Dei, & Christi: & ad rationem subjunctam, distinguo majorem, & simul explico regulam generalem pro solutione hujusmodi objectionum: signum ad placitum est merum ens rationis, in recto, & directè, nego; in obliquo, & de connotato, concedo: nam quamvis v.g. moneta præsupponat beneplacitum principis, ipsumque connotet ad valorem suum, & sic connotet, & supponat ens rationis in mente ipsius principis; attamen formaliter, &

directè importat ipsam quantitatem auri, vel argenti, ex qua constat hujusmodi moneta,& quæ fundat istam æstimationem: quamvis autem æstimatio principis,& ipsius cogitatio de moneta formaliter in se transeat, quando princeps non ampliùs de ipsa cogitat, nihilominùs virtualiter permanet, suumque valorem monetæ conservat, quamdiu non retractatur: ita similiter dicimus Sacramenta præsupponere quidem, & connotare ens rationis, sivè institutionem Christi,& Dei,ac utriusque beneplacitum, nihilominùs formaliter, & directè importare ens reale, sicut Baptismus aquam, Confirmatio oleum,Eucharistia panem, & vinum,cum virtute physica, quam Deus hujusmodi materiæ imprimit ad causandam gratiam, sicut explicabimus postea: similiter etiam quamvis institutio Dei,& Christi formaliter transijsset, remaneret tamen virtualiter in Sacramentis; quia cùm nunquàm retractata fuerit, nec unquàm retractanda sit, conservat Sacramentis perpetuum valorem suum, & virtutem perpetuam ad causandam gratiam toties, quoties suscipiuntur: immò talis institutio semper remanet formaliter, quia semper Deus, & Christus cogitant de Sacramentis,& semper volunt ipsis conferre, ac in eis conservare hujusmodi valorem, & virtutem.

Objicitur 1. plura sunt signa Divinæ gratiæ sanctificantis homines, & tamen non sunt Sacramenta: ergo hæc definitio non est bona. Consequentia patet quia ut docent Philosophi: definitio non debet convenire nisi soli definito: antecedens probatur: in veteri lege erant variæ figuræ, & varia signa nostrorum Sacramentorum quibus mediantibus sanctificamur; v. g. Manna quod comedebat populus Israël, erat signum, & figura Eucharistiæ, per quam maximè sanctificamur; & tamen secundùm omnes Doctores, Manna non erat Sacramentum: similiter in nova lege plura fuere signa gratiæ, quæ tamen non erant Sacramenta; v.g. linguæ igneæ, sub quarum figura Spiritus Sanctus apparuit super Apostolos, significabant gratiam, quam in eorum cordibus producebat; & tamen non erant Sacramenta: immò nunc aqua benedicta, Crux, & imagines Sanctorum significant passionem, & mortem Christi,

& merita Sanctorum, quibus mediantibus sanctificamur; & tamen omnes fatentur, quòd illa omnia non sunt sacramenta, sed tantùm Sacramentalia, ut suo loco explicabimus.

Respondeo, & est regula generalis communis inter philosophos: quòd verba in definitionibus posita non debent intelligi in solo sensu materiali, & specificativo, sed in sensu formali, & reduplicativo; & ita Sacramenta debent significare gratiam formaliter, & reduplicativè, idest, respectivè ad ipsum qui suscipit hujusmodi Sacramenta: undè etiam non debent talem significationem habere respectivè ad aliquos, & ex speciali privilegio, sed respectivè ad omnes hujusmodi signa suscipientes, & ex communi institutione: nec etiam debent causare solam dispositionem ad gratiam, sed ipsam tandem gratiam debent causare, & efficere, quæ sola nos habet sanctificare, & sacrare, sivè ipsi Deo consecrare, propriè & simpliciter loquendo, ut jam diximus.

Defectu ergo primæ conditionis figuræ veteris Testamenti, & præsertim Manna, non habebant rationem Sacramenti, quia non significabant gratiam conferendam illis, qui manducabant Manna, sed nobis, qui sumimus Eucharistiam: defectu secundæ conditionis signa primitivæ Ecclesiæ, & præsertim linguæ igneæ non habebant rationem Sacramenti, quia non significabant gratiam conferendam omnibus ex institutione communi, sed tantùm aliquibus, scilicet ipsis Apostolis ex privilegio speciali: defectu tandem tertiæ conditionis, aqua benedicta, crux, imagines Sanctorum, & alia hujusmodi Sacramentalia carent verâ Sacramenti ratione, quia non significant gratiam collatam illis, qui hujusmodi signa vident, aut suscipiunt, sed solummodò significant dispositiones ad gratiam, ut postea magis explicabimus.

Inferes ex dictis, Sacramenta veteris, & novæ legis convenire univocè in ratione generica Sacramenti; quia tam Sacramenta Veteris quàm Novæ legis significant gratiam collatam illis, qui hujusmodi Sacramenta suscipiunt. sed postea differunt in ratione specifica Sacramenti; quia Sacramenta veteris legis ex sua propria,

& specifica ratione habebant solummodò significare, sed non causare gratiam: sed Sacramenta novæ legis ex sua propria, & specifica ratione nedùm significant gratiam, sed etiam ipsam causant, ut infra ostendemus: Undè Sacramenta veteris legis dicuntur signa speculativa gratiæ, Sacramenta vero novæ legis dicuntur signa practica gratiæ, quia qui præcisè speculatur aliquod objectum, non producit ipsum, qui verò in praxim reducit, nedùm considerat ipsum opus, sed etiam illud producit.

ARTICULUS II.

De Natura Sacramentorum

Advertendum est, quòd in Sacramentis veteris legis propter eorum imperfectionem, vix possunt distingui materia, & forma: undè sufficit explicuisse Sacramentorum essentiam prout est communis omnibus Sacramentis tam veteris, quàm novæ legis: & superest explicanda Sacramentorum natura prout convenit solis novæ legis Sacramentis.

Conclusio. Sacramenta novæ legis sunt composita ex elementis, sivè rebus sensibilibus tanquàm materiâ, & verbis tanquàm formâ, juxta illud celebre Theologorum axioma desumptum ex D. Augustino, *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*

Probatur 1. Illud habet rationem materiæ secundùm Philosophos, quod de se est indifferens ad varias rerum species, & expectat aliud, per quod determinetur: illud verò habet rationem formæ, quod alteri superveniens ipsum determinat, & actuat, & in certa quadam specie, & essentia constituit; v. g. materia corporis est de se indifferens, ut ponatur in specie, & essentia hominis, vel leonis, vel alterius compositi: sed superveniente anima rationali, determinatur ad speciem hominis, & superveniente forma leonis, ad ipsius speciem, & sic de aliis: sed similiter in Sacramentis, elementum, sivè res sensibilis de se est indifferens ad rationem Sacramenti, vel alterius rei; quando autem accedunt verba Sacramentalia, hujusmodi res sensibiles ad-

speciem talis, vel talis Sacramenti determinantur: ergo hujusmodi res habent rationem materiæ, & hujusmodi res habent rationem formæ. Minor probatur: v. g. in Baptismo, aqua, & ipsius ablutio, inquit D. Thomas, de se est indifferens vel ad significandum refrigerium propter aquæ frigiditatem, vel humefactionem propter ipsius humiditatem, vel etiam ablutionem sordium: sed quando proferuntur hæc verba, *Ego te baptizo in Nomine Patris*, &c. hæc actio determinatur ad hoc ut significet animæ nostræ sanctificationem, & sic determinatur ad essentiam, & speciem Sacramenti Baptismi.

Probatur 1. Et infertur ex nostris principijs: Major gloria Dei exigit quòd sit talis natura Sacramentorum, ut sicut Deus initio mundi omnia produxit ex elemento sensibili tanquàm materiâ, & Divino suo verbo tanquàm formâ, ita in medio sæculorum omnia in ipso homine reproduceret mediante elemento sensibili tanquàm materiâ, & verbo tanquam formâ: igitur Sacramenta tali materia, & forma constare debent, ut per ipsa homo iterum creetur, sivè reparetur, sicut primitùs fuerit creatus. Idem exigit major gloria Christi; quia Christus est Verbum Incarnatum, ita ut caro, sivè Humanitas, habeat veluti rationem materiæ, & Verbum, sivè ipsius Christi persona, veluti rationem formæ: ut igitur perfectio Christi tanquàm causa reluceret in Sacramentis tanquam in suis effectibus, debebant ex natura sua hujusmodi Sacramenta constare sensibilibus rebus tanquam materiâ, & verbis tanquàm formâ. Majus etiam bonum Ecclesiæ idem exigit: in omni enim republica benè ordinata cives invicèm amicitiam fovent & verbis, & muneribus tanquàm externis testimoniis amicitiæ internæ: ergo similiter in Sacramentis, quæ instituta sunt ad fovendam fidelium charitatem, & amicitiam, debent esse res sensibiles cum sensibilibus verbis. Denique natura est hominis, quòd habeat actiones sensibiles quatenùs habet animam vegetativam, & sensitivam, & etiam verba, quæ ipsi conveniunt, prout habet animam rationalem: ut ergo per Sacramenta sanctificaretur homo,

juxta suam conditionem, & exigentiam, conveniens erat, quòd ex rebus sensibilibus, & verbis constaret Sacramentorum natura.

Objicitur 1. In nova lege datur aliquod Sacramentum, in quo nullum est elementum: & è contra datur etiam aliud, in quo nullum profertur verbum, saltem de necessitate: ergo falsum est illud axioma, *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*. Antecedens probatur: in Sacramento pœnitentiæ nullum est elementum, sed sunt solummodo verba tam ex parte pœnitentis, quàm ex parte Sacerdotis: è contra in Sacramento matrimonij fieri potest ut nulla sint verba, cum celebrari possit per solos nutus, & signa: ergo.

Respondeo, & est regula generalis, quòd in prædicto axiomate & elementum & verbum non sumuntur strictè, & in rigore, sed latè, & minùs propriè, ita ut elementum significet non unum ex quatuor elementis mundi, sed aliquid visibile, & sensibile, & verbum etiam non sumatur formaliter, & expressè, sed virtualiter saltem, & interpretativè: & in hoc sensu dicimus, quòd nullum est in nova lege Sacramentum, in quo non sit elementum, & verbum; nam in Sacramento pœnitentiæ confessio ipsius pœnitentis habet rationem elementi, est enim visibilis, & sensibilis ipsi Sacerdoti, aliàs absolvere pœnitentem non posset: & in Sacramento matrimonij nutus, & signa habent rationem verborum, quia per nutus, & per signa idem virtualiter, & interpretativè significatur, ac per ipsa verba

Objicitur 2, Ex materia, & forma resultare debet aliquod compositum, ut docent philosophi: sed in Sacramentis ex rebus sensibilibus, & verbis nullum resultat compositum: ergo non habent rationem materiæ, & formæ. Probatur minor: materia, & forma non possunt aliquid componere nisi sint simul, compositio enim est positio unius cum altero: sed in Sacramentis sæpiùs contingit, quòd res sensibiles, & verba non sint simul: ergo: Minor probatur in prædictis Sacramentis; nam in Sacramento pœnitentiæ confessio pœnitentis, quam diximus habere rationem elementi,

& rei sensibilis, præcedit verba Sacerdotis absolventis: & in Sacramento matrimonij, præsertim quando contrahitur per procuratores, consensus unius partis aliquando per longum tempus antecedit consensum alterius, & etiam consensus utriusque antecedit quandoque benedictionem parochi: ergo ex his omnibus non potest resultare aliquod compositum.

Respondeo, & est altera regula generalis, quòd ex materia, & forma resultare debet compositum eo modo quo habent rationem materiæ, & formæ, ita ut si fuerint materia, & forma physica, resultet compositum physicum; si habeant rationem materiæ, & formæ moraliter tantùm, sivè juxta morem, & æstimationem hominum, non resultet etiam nisi compositum morale tantùm; & tale est compositum, quod in Sacramentis resultat ex eorum materia, & forma.

Ad rationem subjunctam, Respondeo cum distinctione: materia, & forma debent esse simul, in compositis physicis, concedo; in compositis moralibus, nego; vel majoris claritatis gratiâ, subdistinguo, debent esse simul formaliter, nego; virtualiter, concedo: & sic in omnibus Sacramentis si non formaliter, saltem virtualiter remanet materia, quando applicatur forma; nam confessio pœnitentis licèt formaliter transierit, virtualiter tamen remanet in ipso pœnitente, quando Sacerdos ipsum absolvit, nisi enim Sacerdos crederet pœnitentem suum in eodem statu remanere, in quo erat, quando peccata sua confitebatur, non posset ipsum absolvere: & similiter in Sacramento matrimonij, quod per procuratores habetur, quantumvis per longum tempus transierit consensus unius partis formaliter in se, attamen virtualiter, & in effectu suo remanet, quousque altera pars consensum præbeat, ita ut si non existimaretur illa in suo consensu permanere, non posset ista matrimonium conficere: sic igitur Sacramenta sunt composita moralia, quæ important moralem præsentiam, sivè virtualem, suæ materiæ, & formæ.

Infertur ex dictis, quænam sit quidditas Sacramentorum: etenim quando explicatur, quid sint Sacramenta, nihil aliud explicatur præter eorum essentiam, & naturam, sicut generaliter de omnibus alijs rebus do-

cent philoſophi : igitur explicatâ Sacramentorum eſſentiâ, & naturâ, remanet explicata eorum quidditas: & ſicut interroganti, quid ſit homo, reſpondetur eſſe animal rationale, in quo conſiſtit ejus eſſentia, vel eſſe compoſitum ex corpore, & anima rationali, in quo conſiſtit ejus natura; ita interroganti, quid ſit Sacramentum, reſponderi debet eſſe ſignum rei ſacræ nos ſanctificantis, in quo Sacramenti eſſentia conſiſtit, vel eſſe compoſitum ex elemento, ſivè re ſenſibili tanquam materia, & verbis tanquàm forma, ad noſtram ſanctificationem inſtitutum, in quo conſiſtit ipſius natura.

ARTICULUS III.

Quanam mutatio in materia, vel forma reddat Sacramentum invalidum.

Regula generalis ad intelligendos conſcientiæ caſus, qui circa materiam, & formam Sacramentorum, ac utriuſque mutationem, & ipſius Sacramenti validitatem, vel invaliditatem; habentur in Theologia Morali D. Thomæ, verbo, *Sacramentum*, *Baptiſmus*, & *Euchariſtia*, eſt, quòd tunc Sacramentum non deſinit eſſe validum, quando mutatio ſivè in materia, ſivè in forma eſt tantùm accidentalis: ſed tunc Sacramentum eſt invalidum, quando mutatio eſt ſubſtantialis; quia generaliter loquendo, res ſubſiſtit, quamdiu ſubſiſtit ejus ſubſtantia, licet accidentia pereant, ſed non poteſt ſubſiſtere, quando perit ſua ipſius ſubſtantia.

Ex parte autem materiæ Sacramentorum, mutatio eſt ſubſtantialis, quando tollitur ſpecies, & eſſentia ipſius elementi, ſivè rei ſenſibilis, quæ eſt materia Sacramenti: mutatio verò eſt accidentalis tantùm, quando remanet ſpecies, vel eſſentia hujuſmodi elementi, vel rei ſenſibilis, & ſolummodò variantur ipſius accidentia. v.g. aqua ſimplex, & elementaris eſt materia Sacramenti Baptiſmi; undè ſi quis baptizaret cum aqua roſacea, Sacramentum eſſet invalidum, quia ejuſmodi aqua ſubſtantialiter, & ſpecificè differt ab aqua elementari: ſed ſi quis baptizet in aqua elementari ſivè clara, ſivè turbida, ſivè dulci, ſivé ſalſa, & ſic de aliis,

non desinit esse validum Sacramentum, quia hujusmodi differentiæ sunt tantummodò accidentales.

Ex parte verò formæ, tollitur substantia, sivè fit mutatio substantialis, quando secundùm communem modum sivè loquendi, sivè audiendi, non remanet substantia significationis verborum: mutatio verò est accidentalis tantùm, quando remanente significationis substantia, variatio fit solummodò in accidentibus, sivè in prolatione verborum, & alijs hujusmodi: v.g. quando aliquis propter balbutiem: vel lapsum linguæ, cum deberet dicere, hoc est corpus meum, proferendo verba consecrationis, dicit, hoc est corpus meun, non desinit validum esse Sacramentum, quia remanet juxta communem modum loquendi substantia significationis: similiter si proferendo verba consecrationis calicis postquam quis dixit, hic est calix Sanguinis mei, cogitur propter tussim, vel aliud incommodum, per aliquod breve tempus differre verba sequentia, non desinit esse validum Sacramentum, quia licèt physicè fiat interruptio verborum, non tamen fit moraliter: sed si quis baptizaret alium in nomine Beatissimæ Virginis, vel Sanctorum, non esset validum Sacramentum Baptismi, quia significatio hujusmodi verborum, substantialiter, & essentialiter differt à verbis, quæ sunt forma hujus Sacramenti, quod conferri debet, in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

Plura alia exempla videri possunt locis jam citatis Theologiæ Moralis D. Thomæ: sufficit explicuisse prædictam generalem Regulam, per quam nedùm facilè intelliguntur omnes conscientiæ casus, qui circa mutationem rerum Sacramentalium passim habentur in casuistis, sed etiam alij casus, qui contingere possunt, & expressè non recensentur penès casuistas.

QUÆSTIO II.

De necessitate Sacramentorum.

NEcessarium in proposito sumitur prout idem est ac conveniens: certum est enim, quòd Deus absolutè loquendo, poterat nos sanctificare sine Sacramentis, sed conveniens fuit, propter rationes initio hujus Tractatus explicatas, quòd nos sanctificaret per Sacramenta. Quærimus igitur, utrùm Sacramenta fuerint necessaria, vel convenientia homini pro omni statu.

ARTICULUS I.

An Sacramenta fuerint necessaria, vel convenientia pro statu Innocentiæ.

Advertendum est, quòd status Innocentiæ dupliciter sumi potest, scilicèt vel qualis de facto fuit, antequàm Adam peccaret, vel qualis fuisset, si Adam non peccasset (supponendo, quod alibi explicabimus, quòd si Adam non peccasset, posteri ejus nati fuissent cum originali justitia, & nihilominùs aliqui ex ipsis peccare potuissent, & innocentiam perdere; & probabile est, quòd illi ejecti fuissent è Paradiso terrestri eodem modo, quo ipse Adam statim atque peccavit, ab eodem Paradiso per Cherubin ejectus fuit, & sicut etiam angeli, qui peccaverunt, è cœlo fuerunt ejecti) piè autem credi potest, quòd Deus ex misericordia sua pro hujusmodi peccatoribus instituisset Sacramenta, sicut ea de facto pro nobis instituit, quamvis de hoc nihil certi habeamus. Difficultas igitur superest de ipso Adamo, prout fuit in statu Innocentiæ, & de alijs, qui in eodem statu cum ipso perseverassent.

Conclusio: Sacramenta non fuere necessaria, sivè convenientia pro statu Innocentiæ, quovis modo con-

sideretur status ille, sivè qualis fuit, sivè qualis fuisset. Ita D. Thomas 3. parte, quæstione 67. articulo 2. quem sequuntur nedùm Thomistæ, sed etiam communiter alij Theologi contra Durandum, & quosdam alios.

Probatur, & infertur ex nostris principijs: quia Deus debet quidem manifestare attributa sua mediantibus Sacramentis, sed nihilominùs ea manifestare debet juxta conditionem, & exigentiam ipsius hominis: sed conditioni hominis considerati in statu Innocentiæ repugnat institutio Sacramentorum: ergo non fuit conveniens pro illo statu. Minor probatur ratione D. Thomæ, loco citato: quia in statu Innocentiæ superiora dominabantur inferioribus, & nullo modo dependebant ab ipsis, eo quòd ordo stabilitus à Divina Providentia in illo statu, erat, ut quamdiu homo secundùm mentem foret subditus ipsi Deo, tamdiu inferiores animæ vires, ipsumque corpus, & omnes creaturæ corporales subderentur ipsi homini, & parti ipsius superiori: sed foret contrarium huic ordini, quòd homo sanctificaretur per Sacramenta, quia tunc gratiam sanctificantem, quæ residet in ipsius anima, ac in parte superiori, reciperet per res corporeas, & inferiores, qualia sunt Sacramenta, & ita superiora subijcerentur inferioribus: ergo non fuit conveniens hujusmodi Sacramentorum institutio.

Obijcitur. 1. Ab initio mundi fuit productus ignis inferni, quamvis homo nondùm peccasset; fuere etiam productæ herbæ medicinales, quamvis homo in statu innocentiæ nullo adhuc morbo laboraret, sed impassibilis, & immortalis esset; immò dicemus in tractatu de pœnitentia, quòd Adamus in statu Innocentiæ habuit pœnitentiæ habitum, licèt pro tunc non exercuerit ipsius actum: ergo similiter debuit in illo statu esse institutio Sacramentorum, quæ sunt veluti remedia morborum spiritualium, quamvis pro tunc nullus deberet esse eorum usus, maximè cum Deus non sit minùs pronus ad miserendum, quàm ad puniendum, nec minorem habeat providentiam de salute animæ, quàm de corporis sanitate.

Respondeo, & est regula generalis, negando consequentiam

quentiam, & paritatem: quia generaliter loquendo, omnia quæ pertinent ad ordinem creationis, initio mundi producenda erant, eo quòd tunc consummata fuit rerum omnium creatio; & quia ignis inferni, & herbæ medicinales pertinent ad ordinem creationis, ideò produci debuerunt initio mundi: sed quia Sacramenta non pertinent ad ordinem creationis, sed ut ita loquar, ad ordinem recreationis, sivè reparationis, ideò non erant instituenda ab ipso mundi exordio, sed expectandum erat, quòd homo caderet, & reparatione indigeret, ad hoc ut instituerentur.

Quantùm ad virtutem pœnitentiæ, est altera regula generalis, quòd omnes proprietates debent consequi essentiam suam, & quia virtus pœnitentiæ est proprietas gratiæ in subjecto, quod est capax peccati, sicut erat Adamus; idcircò statim atque Adamus recepit gratiam sanctificantem, debuit etiam recipere habitum virtutis pœnitentiæ, ut suo loco magis explicabimus agendo de Sacramento pœnitentiæ: sed ipsa Sacramenta non sunt proprietates necessariò consequentes gratiam sanctificantem, sed sunt effectus provenientes ex superabundanti bonitate, & misericordia Dei, & ideò non debebant institui Sacramenta statim atque gratia sanctificans fuit homini collata, sed expectandum erat, quòd homo caderet, quia misericordia miseriam maximè respicit, & ut Ecclesia dicit in una ex suis orationibus, *Deus parcendo, & miserendo suam omnipotentiam maximè manifestat.*

Objicitur 2. In statu Innocentiæ fuissent sacrificia & in rebus spiritualibus, & etiam in corporalibus; & quamvis Adamus scientiam infusam habuerit, nihilominùs ejus posteri eam acquisivissent per species acceptas à rebus corporeis, & sensibilibus: ergo etiam Sacramenta forent in statu Innocentiæ, quamvis constent ex rebus corporeis, & sensibilibus, non enim apparet major ratio de sacrificijs, quàm de Sacramentis, nec de scientia, quæ tota spiritualis est, quàm de gratia,

Respondeo, negando consequentiam & paritatem: ratio discriminis inter sacrificia, & Sacramenta, & simul regula generalis, est, quòd sacrificia ordinantur ad cultum Divinæ Majestatis, & per illa protestamur,

quòd Deus est supremus Dominus rerum omnium visibilium, & invisibilium, corporalium, & spiritualium; & quia Deus habet illud supremum dominium supra res omnes creatas, in quocumque statu considerari possint, ideò conveniens est, quòd in rebus omnibus offerant homines Divinæ Majestati sacrificia: sed Sacramenta ordinantur ad hominis sanctificationem mediantibus rebus corporeis, & sensibilibus, ac dependenter ab illis: & quia homo in statu innocentiæ non debebat dependere à rebus corporeis, & sensibilibus, ut jam ostendimus, ideò pro illo statu non fuit conveniens Sacramentorum institutio.

Quantùm ad scientiam, est alterum discrimen à gratia sanctificante, & altera regula generalis: quia quamvis scientia de Deo, & angelis ex natura sua sit independens à rebus corporeis, cum hæc omnia sint purè spiritualia, nihilominùs scientia de cœlis, & elementis, & omnibus rebus sensibilibus, & corporeis, habet ex natura sua quòd dependeat ab ipsis, & acquiratur per species ab hujusmodi rebus acceptas & ideò conveniens erat, quòd homo etiam in statu innocentiæ mediantibus sensibus suis hujusmodi species reciperet, & dependenter ab illis notitiam hujusmodi rerum haberet. Sed gratia sanctificans est ita nobilis, & excellens, ut ex natura sua nulli rei creatæ subjiciatur, sed soli Deo immediatè; & ideò conveniens erat, quòd homo innocens immediatè ab ipso Deo sanctificaretur, & independenter ab omnibus rebus creatis gratiam reciperet.

Obiicitur 3. Matrimonium inter Adamum, & Evam, factum in statu innocentiæ, fuit signum rei sacræ, scilicet unionis Christi, & Ecclesiæ, ut insinuat D. Paulus, & expressè asserit D. Augustinus: sed signum rei sacræ est Sacramentum, sicut diximus in articulo primo præcedentis quæstionis: ergo in statu innocentiæ fuit Sacramentum.

Respondeo facilè ex dictis in eodem loco, quòd Sacramentum non est quodlibet signum rei sacræ, sed signum sanctificans illum, qui suscipit hujusmodi signum: & quia matrimonium in statu innocentiæ erat quidem signum rei sacræ postmodùm futuræ, scilicèt prædictæ

unionis Christi, & Ecclesiæ, sed tamen ut docet D. Thomas, non erat institutum ad sanctificationem primorum parentum, sed tantùm in officium naturæ, ideò non fuit Sacramentum: & ratio est semper eadem; quia primi parentes immediatè ab ipso Deo, independenter à quibuscumque rebus creatis, erant sanctificandi.

ARTICULUS II.

Vtrùm Sacramenta fuerint necessaria, sive convenientia in quolibet statu post originale peccatũ.

Conclusio. Sacramenta fuerunt homini necessaria in quolibet statu post originale peccatum, sivè legis naturæ, sivè legis scriptæ, sivè legis gratiæ. Ita omnes Doctores.

Probatur, & infertur ex nostris principijs: quia Deus, & Christus debuerunt manifestare suam bonitatem, & misericordiam juxta exigentiam, & conditionem totius Ecclesiæ, & cujuslibet fidelis: sed post originale peccatum in quolibet statu exigebantur Sacramenta ad sanctificationem hominum: ergo sic fuerunt necessaria. Minor probatur, primò; quia per peccatum originale homo perdidit innocentiam, ita ut sicut per innocentiam corporalia erant perfectè subdita rebus spiritualibus, ita è contra per originale peccatum res spirituales in ipso homine factæ sunt subditæ rebus corporalibus: ergo conveniens erat ad reparandum malum ipsius originalis peccati quòd Deus uteretur rebus corporeis ad rectificandum res spirituales, sivè sanctificandum hominem, & gratiam ipsi conferendam: secundò, conveniens erat Divinæ providentiæ, & sapientiæ, quòd uteretur Deus iisdem armis ad Dæmonem superandum, quibus ipse usus fuerat ad superandum hominem: sed Dæmon ut induceret hominem ad peccandum, ipsumque superaret, usus est rebus corporeis, & sensibilibus: ergo etiam Deus ipsis uti debebat ad hominem reparandum, & salvandum: Tertiò, homines post originale peccatum maximam habent inclinationem ad exercitia corporalia, & non possunt sine difficultate se applicare ad exercitia spiritualia: ut igitur

ad salutem suam, & sanctificationem exercerentur:, congruum erat instituere ea exercitia corporalia in quorum usu sanctificarentur, sicut in celebratione, administratione, & susceptione Sacramentorum.

Quomodo in statu legis naturæ instituta fuerint Sacramenta nihil certi habemus: communiter dicunt Doctores, quòd Deus per internum instinctum excitabat homines in aliqua republica commorantes, ut assumerent aliquod signum sensibile, quo mediante sacrificarent ipsi Deo, & ipso tanquam Sacramento sanctificarentur: in lege autem scripta fit mentio Sacramentorum, de quibus postea plura dicturi sumus: sed in lege gratiæ tanquàm omnium perfectissimâ, determinata fuêre septem Sacramenta in hoc tractatu sicut etiam in sequentibus explicanda.

QUÆSTIO III.

De principali effectu Sacramentorum, nempè Gratia.

Duplex est Sacramentorum effectus: principalis est gratia; minùs principalis est character: circa utrumque gravissimæ sunt difficultates tam inter catholicos, quàm contra hæreticos: nos in hac quæstione agemus de primo effectu, & de secundo in sequenti.

ARTICULUS I.

Utrùm Sacramenta novæ legis causent gratiam, nedùm ex opere operantis, sed etiam ex opere operato.

Advertendum est, quòd causare gratiam ex opere operantis est eam causare ratione alicujus actus eliciti ab ipso operante, sivè suscipiente Sacramntum, qua-

tenùs scilicèt ipse operans, sivè suscipiens Sacramentum: producit actum, ratione cujus recipit gratiam: eam verò causare ex opere operato est causare illam ex virtute propria Sacramenti, quia Sacramentum non est opus operantis, sed opus aliundè operatum ut ita loquar, sivè aliundè factum, nempè à Deo, & Christo institutum. Hæc distinctio patet in illis qui accedunt ad Sacramentum pœnitentiæ cum attritione, vel contritione: etenim ille qui accedit cum ipsa contritione, justificatur ex opere operantis, quia ipsa sola contritio justificare potest, quamvis Sacramentum in re non suscipiatur, sed tantùm in voto: sed ille qui accedit ad hujusmodi Sacramentum cum sola attritione, justificatur ex opere operato, quia sola attritio etiam cum voto Sacramenti, justificare non potest, sed nihilominùs si Sacramentum reipsa suscipiatur, virtutem habet justificandi hominem peccatorem, ut ostendemus in tractatu de Pœnitentia.

Hæretici hujus temporis existimant Sacramenta novæ legis non causare gratiam ex opere operato, sed tantùm ex opere operantis: Et hic error ex altero errore provenit, quia existimant, hominem justificari per solam fidem; & ideò dicunt, Sacramenta non esse instituta ad nos justificandos, sed solummodò ad excitandam fidem nostram, per quam justificari debemus; propterea existimant, quòd Sacramenta non effectivè, sed tantùm ut ita loquar, excitativè causant gratiam, quatenus fidem excitant; & sic non ex opere operato, sivè ex propria virtute Sacramenti, sed ex opere operantis, sivè ex fide illius, qui Sacramentum suscipit, produci gratiam. Sed omnes Doctores Catholici oppositum decent, & dicunt Sacramenta novæ legis ex Divina bonitate, & misericordia habere virtutem propriam gratiæ productivam.

Conclusió. Sacramenta novæ legis causant gratiam sanctificantem nedùm ex opere operantis, sed etiam ex opere operato.

Probatur 1. & principaliter contra hæreticos, authoritate Scripturæ Sacræ, & Sanctorum Patrum: & quia licèt hæretici hujus temporis reijciant alia Sacramenta, omnes tamen admittunt Sacramentum Baptismi,

immò ipsum conferunt tam parvulis, quàm adultis; licèt etiam non admittant authoritates aliorum Sanctorum Patrum, venerantur tamen Divum Augustinum; ideò afferemus authoritatem Scripturæ Sacræ circa Sacramentum Baptismi, juxta interpretationem Divi Augustini.

Igitur Joannis 3. exprefsè dicitur, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*: ubi regeneratio spiritualis, quæ fit per gratiam, tribuitur aquæ Baptismi tanquàm causæ instrumentali, & Spiritui Sancto tanquàm causæ principali: ergo Sacramentum Baptismi ex propria virtute sua, sivè ex opere operato, & non per solam fidem suscipientis Baptismum, producit gratiam.

Respondent communiter hæretici, aquam Baptismi causare gratiam non effectivè, sed excitativè, quatenus excitat fidem eorum, qui Baptismum suscipiunt, & per hujusmodi fidem excitatam justificantur.

Sed contra est authoritas, & ratio Divi Augustini ita expressa, ut clariùs loqui non potuisset, etiam si futuram hujus temporis hæresim prævidisset: etenim tomo 2. Epistolarum, in Epist. 23. ad Bonifacium Episcopum, ita loquitur, *Non enim scriptum est, nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex offerentium, vel ministrantium fide, sed nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto: aqua igitur exhibens forinsecùs Sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecùs beneficium gratiæ, solvens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerant hominem in Christo.* Ecce quomodo Divus Augustinus probat ex ipsa Scriptura homines sanctificari in Baptismo non per fidem vel devotionem sivè propriam, sivè alienam, quamvis isti actus disponant ad justificationem, sed per ipsam aquam Baptismalem tanquàm causam instrumentalem, & Spiritum Sanctum tanquàm causam principalem.

Respondent 2. aliqui ex ipsis cum Calvino, prædictam locutionem Scripturæ esse metaphoricam, ita ut sensus sit, nisi quis renatus fuerit ex Spiritu Sancto

habente rationem aquæ in hoc Sacramento, sivè nos purificante, & mundante à peccatis, sicut aqua mundare solet ea, quæ abluuntur.

Sed contra: locutio illa foret absurda omninò, si esset metaphorica, sicut aliquis absurdè omninò loqueretur, utendo metaphora in ista propositione, Rex, & sol illuminant regnum: dicendum enim foret, Rex se habet sicuti sol regnum suum illuminans: ita similiter Scriptura dixisset non quòd renascimur ex Spiritu Sancto, & aqua; sed quòd Spiritus Sanctus quasi aqua nos mundat à peccatis, & regenerat per gratiam in Baptismo; sicut eadem Scriptura Sacra metaphoricè loquendo dixit, *Deus noster ignis consumens est.*

Contra 2. impugnatur utraque responsio si Sacramenta non cooperarentur ad productionem gratiæ nisi excitative, sivè excitando fidem, dici non posset quòd gratia produceretur per ipsa, vel ex ipsis; sicut v. g. hedera præ foribus appensa quamvis excitet appetitum vini, quod significat esse vendibile, nullus tamen dicit quòd ille qui bibit vinum, inebriatur per hederam, non obstante tali excitatione: ergo similiter in sacramentis si sola foret significatio, & excitatio, nec diceremur regenerari per sacramenta, nec ex ipsis recipere gratiam.

Probatur 2. Conclusio argumento ad hominem contra hæreticos, per quod confirmantur præcedentia: hæretici baptizant parvulos sicut catholici: sed si sacramenta non causarent gratiam nisi excitativè, non deberet Baptismus conferri parvulis: ergo causant gratiam effectivè: Minor probatur: parvuli non sunt capaces producendi actum fidei, & sic Baptismus illis collatus non inservit ad excitandam fidem eorum: ergo si Baptismus non aliter conferret gratiam, quàm fidem excitando, foret inutilis in parvulis: immò nedùm inutilis esset, sed etiam licitè non posset ipsis conferri, quia nequeunt sacramenta conferri illi subjecto, quod est incapax effectus eorum, ne sint omninò irrita: cum igitur parvuli forent incapaces effectus sacramentorum, sivè excitationis fidei, non foret licitum eis conferre hujusmodi sacramenta.

Respondent 1. aliqui ex hæreticis cum Luthero, par-

vulos re vera credere, quando baptizantur (& loquuntur nedùm de fide habituali, sed etiam de fide actuali, etiam voluntaria, & cum usu rationis elicita, eo modo quo producitur ab adultis).

¶ Sed contra. D. Augustinus argutè refellit hujusmodi responsionem, dicendo quòd *Si isti parvuli uterentur rationis, & voluntatis arbitrio, quo Baptismi Sacramento adhiberi deberet assensus, tantùm abest quòd sanctificarentur, quin potiùs magis rei efficerentur, quandoquidem videmus eos sæpissimè reluctari, quantùm possunt: sed propterea non desistimus eis conferre Sacramenta, quia scimus eos non habere usum rationis, & nescire quid faciant:* Unde etiam idem Sanctus Doctor optimé ibidem prosequitur. *Nescire divina parvulos, qui nec humana adhuc noverint, si verbis velimus ostendere, vereor ne ipsis sensibus nostris facere videamur injuriam.* Tomo 2. Epist. 57. ad Dardanum.

Respondent 2. alii ex hæreticis, parvulos habere quidem pios aliquos motus, quando baptizantur, similes actibus adultorum, nihilominùs non esse actus rationales, & voluntarios.

Sed contra 1. Nam hæc responsio nullum prorsùs habet fundamentum nec in Scriptura, nec in Patribus. 2. Quamvis gratis admitteremus huiusmodi pios motus, remanet semper tota vis argumenti; quia certum est, quòd non disponimur ad iustificationem, & gratiam, nisi per actus rationales, & voluntarios, ut docent omnes Theologi in tractatu de iustificatione: igitur si per Baptismum parvuli iustificantur, hoc non provenit ex opere operantis, sivè ex parte parvulorum, sed tantùm ex opere operàto, sivé ex parte ipsius Sacramenti. 3. Actus fidei est rationalis, & voluntarius, quia procedit ex pia motione voluntatis, ut dicitur in tractatu de Fide: si igitur non est aliquis motus in parvulis, qui sit rationalis, & voluntarius, non est in illis aliquis actus fidei, & ita non confertur Sacramentum ad fidem excitandam.

Respondent 3. alii cum Calvino, paruvlos prædestinatos morientes, etiam sine Baptismo, salvari; non prædestinatos verò etiam cum Baptismo perire: atque

ita non conferri Baptismum parvulis, ut sanctificentur, & salventur, sed solummodò ut testificemur quòd pertinent ad Ecclesiam.

Sed contra est expressa authoritas, & ratio D. Augustini Epistolâ 23. ubi postquàm fusè explicuit quomodo pueri salvantur per Baptismum, sine ulla fide actuali, subdit; *Hoc qui non credit, & fieri non posse arbitratur, profectò infidelis est*. Et epist. 28 ad Hieronymum, ait, *Quisquis dixerit quòd in Christo vivificabuntur etiam parvuli, qui sine Sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profectò & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur, & curritur, quia sine dubio creditur alias in Christo vivificari non posse.*

Contra etiam 2. Quia si per Baptismum parvuli pertinent ad Ecclesiam, vel ad ipsam pertinent tanquàm peccatores, vel tanquàm justi: si priori modo non est necessarius Baptismus, quia sine ipso, ut peccatores, non quidem actu, sed potentia pertinent ad Ecclesiam, sicut dicemus de aliis peccatoribus in tractatu de fide: si posteriori modo: ergo per Baptismum sanctificantur sine ulla excitatione fidei in ipsis, & ita non excitativè tantùm, sed re vera effectivè Sacramenta causant gratiam.

Probatur 3. altero argumento ad hominem, quod non est minùs efficax, quàm præcedens: Baptismus apud hæreticos, sicut etiam apud Catholicos, semel tantùm confertur, & numquàm ampliùs reiteratur: sed si daretur solummodò ad fidem excitandam, esset toties reiterandus, quoties aliquis in fide defecisset, vel in ea titubasset; sicut quia prædicatio Evangelij ordinatur ad excitandam fidem, multoties reiteratur; & Cœna Eucharistica, quæ apud ipsos hæreticos non minùs est Sacramentum, quàm Baptismus, multoties etiam reiteratur.

Respondere non possunt hæretici, sicut catholici, ideò non reiterari Baptismum, quia imprimit characterem, qui est indelebilis; nam ut videbimus in quæstione sequenti, licèt catholici admittant, quòd Bap-

tiſmus, Confirmatio, & Ordo imprimunt characterem, attamen hæretici nullum volunt per Sacramenta imprimi characterem; & ideò licet Catholici optimè rationem afferant, propter quam hujuſmodi Sacramenta non reiterantur, attamen hæretici legitimam rationem afferre non poſſunt, propter quam reiterari non debeant.

Reſpondere tamen poſſunt; quòd Sacramentum Baptiſmi confertur per modum regenerationis ſpiritualis, Sacramentum verò Cœnæ, ſivè Euchariſtiæ, per modum ſpiritualis nutritionis: & quia homo ſemel tantùm naſcitur, ſæpiùs verò nutritur, idcircò etiam ſemel tantùm confertur Sacramentum Baptiſmi, ſæpiùs verò Sacramentum Cœnæ, ſivè Euchariſtiæ.

Sed contra: nam quamvis in ordine naturæ ſemel tantùm homo generetur, & ſemel mortuus non reſuſcitetur niſi per miraculum, attamen in ordine gratiæ non ſemel tantùm, ſed pluries naſcitur, & regeneratur, ac veluti reſuſcitatur; quia quando per peccatum mortale charitatem amiſit, vel per infidelitatem perdidit fidem, neceſſe eſt quòd renaſcatur, & regeneretur ſpiritualiter recuperando fidem, & charitatem: nulla eſt ergo aſſignabilis ratio, propter quam hæretici non rebaptizant eos qui mortaliter peccaverunt, vel infideles facti ſunt, quando de ſuis peccatis pœnitent, & ad Eccleſiam redeunt.

Reſpondere adhuc poſſent, quòd Baptiſmus non reiteratur, quia in ſupplementum ejus datur Sacramentum pœnitentiæ: undè ſufficit quòd Sacramentum pœnitentiæ multoties reiterari poſſit, quamvis Sacramentum Baptiſmi non poſſit niſi ſemel conferri.

Sed contra: quia videbimus poſtea quòd hæretici non admittunt Sacramentum pœnitentiæ diſtinctum à Sacramento Baptiſmi, ſed volunt hujuſmodi Sacrametum nihil aliud eſſe quàm memoriam, ſivè recordationem Baptiſmi. Quare igitur ſicut ſemel tantùm conferunt Baptiſmum, & poſtea toties quoties opus eſt, ipſius recordantur ad delenda peccata ſua per pœnitentiam; ita etiam ſemel tantùm conferunt Cœnam, ſivè Euchariſtiam, & poſtea toties quoties opus eſt, ipſius recordantur ad nutriendas animas ſuas; vel ſi

non sufficit sola memoria Eucharistiæ, sed actualiter exhiberi debet, ita non sufficiat sola Baptismi memoria sed actualiter conferri debeat? certè non videtur, quòd possit assignari legitima differentia.

Probatur 4. & infertur ex nostris jam stabilitis principijs: conducit ad majorem gloriam Dei, quòd Sacramenta gratiam producant ex operè operato, quia majus, ac difficilius est quòd ex propria virtute Sacramentorum, quàm ex actibus hominum ipsa suscipientium, producatur gratia: ergo major Dei potentia in hoc relucet, quòd nedùm ex opere operantis, sivè per actus eorum qui Sacramenta suscipiunt, sed etiam ex opere operato, sivè per virtutem propriam Sacramentorum producatur gratia. In hoc etiam apparet major Christi gloria, nam Sacramenta operantur omnia in virtute meritorum ipsius: major autem apparet efficacia meritorum Christi in hoc quòd nedùm actus hominum suscipientium Sacramenta, sed etiam ipsamet Sacramenta ex se ipsis virtutem habent disponendi ad gratiam, & ipsam producendi. Est etiam majus bonum totius Ecclesiæ, & cujuslibet fidelis, quòd Sacramenta sint tantæ virtutis, & efficaciæ, ut non tantùm ratione actuum, quos ipsi fideles eliciunt, sed etiam per virtutem sibi propriam ab institutione Dei, & Christi derivatam, producant, & causent gratiam.

Objiciunt 1. hæretici: In Scriptura Sacra dicitur, qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur: ubi videtur, quòd salus nostra tribuitur soli fidei, quandoquidem Evangelista soli negationi fidei attribuit damnationem nostram, nulla facta mentione Baptismi.

Respondeo 1. retorquendo argumentum: etenim Evangelista sanctificationem nostram, & salutem expressè attribuit nedùm fidei nostræ, sed etiam Sacramentis, dicendo, qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit: ergo nedùm justificamur, & salvamur per fidem, sed etiam per Sacramenta, & ipsa Sacramenta non tantùm causant gratiam ex parte operantis, excitando fidem, sed etiam ex opere operato, & virtute sibi propria.

Respondeo 2. & est regula generalis, sivè axioma

philosophicum simul & Theologicum; quòd, bonum est ex integra causa, malum ex quocumque defectu; & ideò ad salutem nostram requiritur & fides, & Sacramentorum susceptio; sed ad damnationem nostram sufficit sivè non habere fidem, sivè non suscipere Sacramenta: idcircò autem scriptura mentionem facit defectus fidei, non autem defectus Sacramentorum, quia si aliquis in fide deficiat, etiam si Sacramenta susciperet, nihilominùs damnabitur: si verò fidem habeat, & nequeat Sacramenta suscipere in re, sed tantùm in voto, sivè desiderio, adhuc salvabitur, ut postea magis explicabimus.

Objiciunt 2. authoritatem D. Augustini tractatu 80. in Joannem, ubi sic loquitur: *Vndè ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur?* In quo loco Diuvs Augustinus manifestè denegat virtutem producendi gratiam & ipsi aquæ Baptismi, quæ est materia hujus Sacramenti. & ipsis verbis, quæ sunt ipsius forma, & soli fidei virtutem illam attribuit.

Respondeo 1. retorquendo argumentum: etenim Divus Augustinus dicit, quòd aqua Baptismi non solùm abluit corpus, sed etiam cor tangit, sivè ipsam animam sanctificat: ergo ex mente sancti Doctoris Sacramentum Baptismi producit gratiam non solùm ex opere operantis, & excitando fidem, sed etiam ex opere operato, & virtute sibi propria.

Respondeo 2. Omissis varijs interpretationibus hujus authoritatis, ex D. Thoma 3. parte, quæstione 60. articulo 7. ad primum, ubi ait: *Dicendum, quòd sicut Augustinus dicit super Ioannem, verbum operatur in Sacramentis non quia dicitur, idest, non secundùm exteriorem sonum vocis, sed quia creditur, idest, secundùm sensum verborum, qui fide tenetur.* Hæc D. Thomas, quem Summus Pontifex Clemens VIII. pronunciavit fidelissimum D. Augustini interpretem. Et quòd hæc sit uera mens D. Augustini, patet ex eo quòd statim post verba quæ retulimus, subdit: *Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens, hoc est verbum*

fidei, quod prædicamus. Cujus ſolutionis ſenſus eſt, quòd hæc verba, quæ ſunt forma Baptiſmi, *Ego te baptizo*, &c. juxta ſonum exteriorem vocis non ſignificant niſi ablutionem parvuli, vel adulti; ſed ſecundùm fidem noſtram ſignificant gratiam remiſſivam peccati originalis, vel etiam perſonalis: Igitur hæc verba cauſant hujuſmodi gratiam non juxta exteriorem ſonum, quem faciunt ex ſe ipſis, ſed juxta ſenſum, quem habent ſecundùm fidem, & religionem noſtram; ſic enim continent virtutem in Eccleſia permanentem, vel potiùs in Chriſto Eccleſiæ capite, ad ſanctificationem noſtram toties quoties ad hujuſmodi Sacramenta cum debitis diſpoſitionibus accedimus.

Obijcitur 3. Divus Joannes Baptiſta ait de Chriſto Domino, *Ipſe baptizabit vos in Spiritu Sancto, & igne*: Sed plures ex ſanctis Patribus hujuſmodi ignem metaphoricè intelligunt, & inter alios D. Hieronymus, qui exiſtimat ibi nomine ignis ſignificari igneas linguas, ſub quarum figura Spiritus Sanctus apparuit ſuper Apoſtolos in die Pentecoſtes: ergo mirum eſſe non debet, ſi quando ſimiliter in ſcriptura dicitur, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, &c. ſumatur aqua metaphoricè, & intelligatur de Spiritu Sancto habente rationem aquæ.

Reſpondeo 1. retorquendo argumentum: quia omnes ſancti Patres per hujuſmodi ignem, ſivè ipſum propriè ſivè metaphoricè explicent, intelligunt aliquid diſtinctum à Spiritu Sancto, quod ſit inſtrumentum ejus tanquam cauſæ principalis, & non Spiritum Sanctum ut habentem rationem ignis: ergo ſimiliter non poteſt alter locus ſic explicari, ut Spiritus ſanctus habeat rationem aquæ; ſed quòd Spiritus Sanctus ſit cauſa principalis, aqua verò ſit inſtrumentum noſtræ ſanctificationis.

Reſpondeo 2. Negando paritatem: quia ſemel tantùm ſit mentio ignis quando agitur de Baptiſmo, multoties autem ſit mentio aquæ: undè rationabiliter ſancti Patres loca ſcripturæ intelligunt ſimpliciter, propriè, & ad litteram de ipſo elemento aquæ; ignem verò metaphoricè ſumunt; vel etiam litteraliter, non pro-

igne elementari, qui non est conveniens materia Baptismi, sicut aqua, ut suo loco dicemus, sed vel pro igne, in cujus figura Spiritus sanctus apparuit super Apostolos in die Pentecostes, ut volunt quidam sancti Patres, vel pro igne purgatorij, ut volunt alij, vel pro igne, qui in fine mundi orbem conflagrabit, vel etiam pro tribulatione, quæ nomine ignis designatur, ut alij exponunt. Videri potest D. Thomas 3. parte, quæstio 66 articulo 3. ad primum.

Obijci etiam posset, quòd sæpiùs in scriptura sacra soli fidei tribuitur justificatio nostra, proindéque non debet tribui sacramentis.

Sed huic objectioni abundè satisfaciemus, quando ostendemus contra hæreticos quòd non justificamur per solam fidem, sed etiam per charitatem, & per bona opera; & simili modo possumus etiam justificari per sacramenta: interim sufficiat ista regula generalis, desumpta ex Concilio Tridentino sessione 6. de iustificatione, capite 8. quòd nempè *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo:* Undé fit ut sæpiùs in scriptura, & patribus tribuatur iustificatio fidei, non tamen excludantur alia ad iustificationem cooperantia; cum iustificatio tribuatur etiam charitati; & bonis operibus, & multò magis Christi meritis tribui debeat, & sacramentis ab ipso institutis.

ARTICULUS II.

An Sacramenta novæ legis causent gratiam nedùm moraliter, sed etiam physicè

Advertendum est, quòd quamvis ista quæstio versetur inter catholicos, attamen ea quæ in hoc articulo dicemus, confirmabunt omnia, quæ diximus in præcedenti articulo contra huius temporis hæreticos: etenim si sacramenta novæ legis non tantùm moraliter, sed etiam physicé causant gratiam, ut mox ostendemus, profectò à fortiori constabit, quòd eam causant nedùm ex opere operantis, sed etiam ex opere operato. Dici-

tur autem aliqua causâ moralis, quando licet re vera non producat effectum, nihilominus ipsum producit secundùm morem, & consuetudinem loquendi: est verò causa physica, quæ producit effectum realiter, propriè ac simpliciter loquendo: v. g. hortatur aliquis alium ad dandum eleemosynam: ille qui hortatur, dicitur causa moralis huiusmodi boni operis, qui verò realiter dat eleemosynam, est causa physica ipsius.

Duæ sunt sententiæ circa propositam difficultatem: altera, quam tenent aliqui ex modernis, est, quòd sacramenta novæ legis quantùmvis excellentia non habent nisi causalitatem moralem respectu Divinæ gratiæ: altera est omnium Thomistarum, & plurium aliorum Theologorum, qui cum D. Thoma attribuunt huiusmodi sacramentis causalitatem physicam, & propriam Divinæ gratiæ.

Conclusio. Sacramenta sunt instrumenta nedùm moraliter, sed etiam physicè productiva gratiæ.

Probatur 1. authoritate scripturæ Sacræ, in qua virtus sacramentorum ad producendam gratiam exprimitur per illas particulas, quæ denotant causalitatem physicam, ita ut ad ipsam exprimendam non possint afferri clariores termini: dicitur enim quòd *ex* sacramentis, *per* sacramenta, & *in* sacramentis producitur, gratia: Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei*: Et ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*: Et ad Ephesios 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Cum igitur Ecclesia volens exprimere modum quo Deus creaturas produxit, & conservat, qui profectò non est moralis tantùm, sed maximè physicus, ipsum exprimat per huiusmodi particulas, dicendo quòd ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: & aliundé verba scripturæ sint intelligenda ad litteram, & simpliciter, quando nullum indé sequitur inconveniens; dicendum est quòd scriptura sacra voluit tribuere ipsis sacramentis virtutem physicam Divinæ gratiæ productivam.

Probatur 2. authoritate Concilii Tridentini, sessio-

ne 7. de sacramentis in genere, canone 6. ubi ait: *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, anathema sit.* Ex qua authoritate formatur hoc argumentum: Verba conciliorum non minùs, immó multó magis, quàm verba scripturæ, simpliciter, & ad litteram debent intelligi, quia omnes conciliorum definitiones fiunt contra hæreticos abutentes ipsâ scripturâ sacrâ; undé verba conciliorum expressa omninò, & clara esse debent, ne detur locus æquivocationi, & ne hæretici ipsis abutantur: sed proprié, & simpliciter loquendo, causa moralis non continet effectum producendum, nec ipsum confert, sed solummodò excitat, & invitat causam physicam, quæ continet effectum ad hoc ut ipsum producat, ut patet in exemplo iam allato: ergo sacramenta novæ legis, ut proprié, & simpliciter gratiam contineant, & ipsam conferant, debent nedùm moraliter, sed etiam physicé huiusmodi gratiam producere.

Confirmatur ex Catechismo eiusdem Concilii Tridentini in titulo, de sacramentis; ubi loquens de modo, quo sacramenta novæ legis gratiam causant, ipsum existimat ita mirabilem, ut humana ratione atque intelligentia comprehendi non possit, sed solo fidei lumine cognosci, iuxta D. Augustinum libro 16. contra Faustum capite 11. ubi dicit, vim sacramentorum esse inenarrabilem: sed huiusmodi virtus non foret ita admirabilis, incomprehensibilis, ac ineffabilis, si esset causa moralis tantùm ipsius divinæ gratiæ, bené tamen si est causa physica, realis, ac proprié, & simpliciter dicta: ergo nedùm moralem, sed etiam physicam gratiæ causalitatem debemus tribuere sacramentis, ut satisfaciamus huic Catechismo, qui est fusior interpretatio ipsius Concilii Tridentini ex Decretis summorum Pontificum, ita ut ipsius authoritas feré sit æqualis authoritati eiusdem concilii.

Probatur 3. authoritate sanctorum Patrum: Divus Leo Papa in sermone 4. de nativitate Christi, ita loquitur: *Omni homini renascenti Aqua baptismalis instar est uteri Virginalis, eodem Spiritu Sancto replente fontem, qui replevit & Virginem; ut pec-*

catum quod ibi evacuavit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio. Et Divus Cyrillus libro 2. in Joannem, capite 42. ait: *Sicut viribus ignis intensiùs aqua calefacta calorem efficit non aliter quàm ipse ignis; sic Spiritus Sancti operatione ad divinam aquæ reformantur virtutem, quæ baptizatum abluunt.* Et Tertullianus de Baptismo dicit, *Aqua produxit animantia, ut in Baptismo mirum non sit, si aquæ sanctificare noverunt.* Quibus exemplis sancti Patres attribuunt Sacramentis nedùm causalitatem moralem, sed etiam physicam divinæ gratiæ; certum est enim quòd nedùm moraliter, sed etiam physicè Spiritus Sanctus replevit uterum Beatissimæ Virginis, ut Christum conciperet; ergo etiam nedùm moraliter, sed etiam physicè replet aquam Baptismi, ut hominem sanctificet: certum est etiam, quòd non moraliter tantùm, sed etiam physicè ignis calefacit aquam, & initio mundi ex elemento aquæ non moraliter tantùm, sed physicè per virtutem divinæ omnipotentiæ extracta fuisse animantia: ergo non solùm moraliter, sed etiam physicè sacramenta causant gratiam, & charitatem in illis, qui ipsa suscipiunt.

Probatur 4. & infertur ex nostris principiis: Debemus loqui de sacramentis prout expedit ad majorem gloriam Dei, & Christi, & majus bonum Ecclesiæ totiùs, & cujuslibet fidelis: sed major est gloria Dei, & Christi Domini quò tribuatur sacramentis nedùm causalitas moralis, sed etiam physica divinæ gratiæ; cum enim sacramenta sint instrumenta Dei, & Christi; & tantò magis virtus causæ principalis manifestatur, quantò major est virtus causæ instrumentalis, eò quòd ut philosophi docent, instrumenta nihil operantur nisi in virtute causæ principalis; certum est, quòd cum causalitas moralis, & physica sit major quàm moralis præcisè, ita si sacramentis tribuatur nedum moralis, sed etiam physica causalitas gratiæ, longè magis manifestatur divina bonitas, misericordia, & omnipotentia, sicut etiam virtus meritorum Christi & passionis ejus. Majus est etiam bonum Ecclesiæ, quòd in ea conserventur sacramenta tanquàm remedia spiritualia, que non solùm moraliter, sed etiam physicè possunt gratiam conferre.

& à peccato tanquàm spirituali morbo sanare : hoc ipsum etiam est majus bonum cujuslibet fidelis, quando ipsi tale remedium applicatur, & talis effectus confertur.

Obiici possunt primò aliqua Patrum testimonia, in quibus dicunt, quòd *Solus Deus potest dare Spiritum Sanctum, conferre gratiæ beneficium, solvere vinculum culpæ, & in Christo hominem regenerare :* Ex quibus inferri videtur, quòd nec sacramenta, nec homines, sed solus Deus possit causare gratiam.

Respondeo, & est regula generalis desumpta ex D. Thoma, quæstione 22. de veritate articulo 4. ad 19. ubi ait, *Spiritus non datur, nisi ab eo qui causat gratiam sicut principale agens, quod solius Dei est; & ideò solus Deus Spiritum Sanctum dat.* Hæc D. Thomas. Igitur quando dicitur, solus Deus potest dare Spiritum Sanctum; ergo ipse solus potest dare gratiam, & solvere vinculum culpæ; distinguenda est consequentia : per modum causæ principalis, verum est; per modum causæ instrumentalis, falsum est : sacramenta ergo sunt instrumenta ad dandam gratiam, & delendam culpam; non tamen per ipsa datur Spiritus Sanctus, quia hoc spectat ad solam causam principalem gratiæ, qualis est solus Deus.

Obiicitur 2. Sacramenta non possunt habere virtutem productivam gratiæ: ergo non producunt gratiam physicè : consequentia patet, quia nulla causa est physica, nisi habeat in se virtutem productivam effectus; in hoc enim distinguitur à causa morali, ut diximus ab initio articuli : antecedens probatur: vel illa virtus esset spiritualis; vel corporea : neutrum dici potest : ergo nulla est : Major videtur evidens; quia inter spirituale, & corporeum non datur medium : Minor probatur, quoad primam partem : etenim accidens spirituale non potest recipi in subjecto corporeo : sed sacramenta sunt corporea : ergo non potest in eis recipi virtus spiritualis. Probatur eadem minor quoad alteram partem: virtus corporea non potest producere effectum spiritualem: sed gratia est effectus spiritualis : ergo virtus, quæ recipitur in Sacramentis ad causandam gratiam, non potest esse corporea.

Respondent varij variè: Theologi præsertim Thomistæ primò dicunt, virtutem illam esse spiritualem: & ad rationem subjunctam distinguunt majorem: accidens spirituale non potest recipi in subjecto corporeo, per modum permanentis, concedunt; per modum transeuntis, negant: quia hæc est differentia inter accidens permanens, & transiens, quòd illud quod permanet in subiecto, datur propter ipsum subiectum, proindéque ipsi proportionari debet, & ideò quando subiectum est corporeum, illud accidens permanens est similiter corporeum: sed illud accidens, quod solummodò transit per ipsum subiectum, & in eo non permanet, non datur propter huiusmodi subiectum: & ideò ipsi proportionari non debet, sed solummodo ipsi termino ad quem tendit, & ipsi effectui, ad cuius productionem destinatur: cum igitur virtus productiva gratiæ non sit permanens in sacramentis, sed solùmmodo transiens, quia non datur propter sacramenta, sed tantùm propter gratiam producendam, undè semel productâ gratiâ, non remanet huiusmodi virtus, sed transit, ideò non debet proportionari subiecto, sivè sacramentis, sed termino, & effectui, sive gratiæ: & ideò non debet esse corporea sicut sacramenta, sed spiritualis sicut ipsa gratia.

Respondent 2. alii, virtutem illam esse corpoream: & ad rationem subiunctam distinguunt maiorem: virtus corporea non potest producere effectum spiritualem, per modum causæ principalis, concedunt; per modum causæ instrumentalis, negant: quia ut communiter philosophi docent, hæc est differentia inter causam principalem, & instrumentalem, quòd principalis debet esse eiusdem, vel etiam maioris perfectionis, quàm sit effectus; causa verò instrumentalis semper est minoris perfectionis, & inferioris ordinis: undè licèt in rebus physicis causa principalis productiva ignis non possit esse nisi alter ignis, vel aliquid excellentius, causa tamen instrumentalis, vel potiùs virtus instrumentaria eiusdem ignis productiva est calor, quamvis ignis sit substantia, & calor solummodò accidens, proindéque minoris perfectionis, & inferioris ordinis: similiter quamvis illa virtus corporea sit

minùs perfecta, quàm ipsa gratia quæ spiritualis est & sit ordinis inferioris, nihilominùs potest esse causa instrumentalis, vel potiùs virtus instrumentaria, divinæ gratiæ productiva.

Respondetur 3. utramque simul responsionem componendo, hujusmodi virtutem esse simul ac semel corpoream, & spirituale; corporeã quidē formaliter, spiritualem autem virtualiter; & hoc juxta naturam eorum omnium, quæ mediant inter extrema, semper enim medium participat de utroque extremo: quia igitur ista virtus medium locum tenet inter sacramenta, quæ sunt corporea, & gratiam, quæ spiritualis est (afficit enim ipsa sacramenta in ordine ad productionem gratiæ) ideò de utroque extremo participare debet, & esse corporea cum sacramentis, & spiritualis cum gratia. Dicitur autem formaliter corporea, quia est accidens formaliter subjectatum in ipsis Sacramentis, proindéque formaliter corporeũ, sicut ipsa corporea sunt, ad hoc ut eis proportionetur: sed dicitur spiritualis virtualiter, quia non obstante quòd sit formaliter corporea, virtutem habet producendi gratiam, sivè est virtus instrumentaria ad ipsam producendam: Philosophi autē præsertim Thomistæ virtutem instrumentariam vocant illam virtutem, quæ confertur ipsis instrumentis ad producendum effectum; & cum hujusmodi virtus conferatur sacramentis, tanquàm instrumentis ad productionem gratiæ, idcircò sicut ipsa sacramenta dicuntur instrumenta productiva gratiæ, ita hujusmodi virtus jurè optimo dicitur virtus instrumentaria, ejusdem gratiæ productiva.

Hæc responsio sumitur ex D. Thoma, 3. parte, quæstione 62. articulo 4. ad primum, & explicatur exemplo, quod ibidem affertur ab eodem Angelico Doctore, scilicet vocis humanæ, quæ est formaliter corporea, & virtualiter spiritualis: quando enim aliquis v.g. instruit alium de mysteriis nostræ Fidei, docens Mysterium Trinitatis, & Incarnationis, hæc instructio fit per verba, quæ sunt formaliter corporea, & tamen sunt virtualiter spiritualia, quia virtutem habent & efficaciam notificandi alteri hujusmodi mysteria, quæ

sunt omninò spiritualia: si igitur vox corporea, quatenùs est instrumentum animæ, virtutem habet producendi effectum spiritualem, à fortiori virtus formaliter corporea in sacramentis recepta, quatenus sunt instrumenta divinæ omnipotentiæ, vim habebit & efficaciam producendi effectum spiritualem, sivè divinam gratiam.

Objicitur 3. & replicatur contra præcedentem solutionem: D. Thomas loco jam citato ait, quòd virtus spiritualis nequit permanenter recipi in subjecto corporeo: sed si loqueretur de virtute formaliter corporea, non negaret ipsam posse recipi in subjecto corporeo: ergo non loquitur de tali virtute, sed de virtute formaliter spirituali.

Respondeo, virtutem aliquam posse dici permanentem, & transeuntem in duplici sensu: primò potest virtus dici permanens quantùm ad existentiam, licet sit transiens quantùm ad essentiam, v. g. virtus, quæ imprimitur igni inferni tanquàm instrumento divinæ omnipotentiæ ad alligandos, & torquendos dæmones, est permanens quoad tempus, quia per totam æternitatem dæmones per ipsam torquebuntur, sed tamen est transiens quoad essentiam, quia non habet essentialiter quòd sit completa, & intra subjectum remanens, sed est imperfecta, & incompleta, & transiens extra suum subjectum sivè ignem inferni, ut habeat suum effectum, & complementum in altero subjecto, scilicet in ipsis dæmonibus. E contra, datur virtus transiens quoad existentiam, & permanens quoad essentiam; v. g. dum aliquis homo cogitat pro unico tantùm instanti, ista cogitatio est transiens quoad existentiam, quia non existit nisi pro unico tantùm instanti, sed est permanens quoad essentiam, quia est actio immanens, & completa in suo subjecto, nec transiens ad alienum subjectum: in hoc sensu D. Thomas ait, quòd *Virtus spiritualis non recipitur permanenter in subiecto corporeo*; quia licèt hujusmodi virtus sit formaliter corporea, non est tamen totalis, & completa in suo subjecto, sed imperfecta, & incompleta, ideóque transit usque ad aliud subjectum, in quo producit suum effectum; & sic virtus, quæ recipitur in sacramentis, quam

vis formaliter corporea sit, non est permanens in ipsis sacramentis, sivè perfecta, & completa in ipsis, sed est imperfecta, & incompleta, & transit usque ad animam illius qui suscipit sacramentum, ac in ea producit effectum suum, scilicet gratiam sanctificantem.

Obijcitur 4. Et iterùm replicatur contra præcedentem solutionem: Inter virtutem productivam, & effectum producendum debet esse aliqua proportio; nulla enim causa potest producere effectum sibi omninò improportionatum: sed inter virtutem formaliter corpoream, qualem dicimus esse virtutem sacramentorum, & effectum formaliter spiritualem, qualis est gratia sacramentalis, nulla est proportio: ergo hujusmodi virtus nequit esse productiva gratiæ.

Respondeo & est regula generalis, quòd inter virtutem, & effectum debet esse proportio, quando est virtus causæ principalis; quando autem est virtus causæ instrumentalis, oportet distinguere; si sermo sit de proportione entis, negandum est, si verò de proportione habitudinis, concedendùm: & talis proportio reperitur inter virtutem sacramentorum, & gratiam sacramentalem. Hujus autem ratio est, quia licèt causa principalis debeat esse perfectior, vel saltem æquè perfecta ac effectus suus, non est tamen necessarium quòd instrumentum sit æqualis perfectionis, immò potiùs de ratione instrumenti est, quòd in virtute causæ principalis elevetur ad producendum effectum seipso nobiliorem: undè sufficit quòd virtus causæ instrumentalis habeat proportionem habitudinis cum ipso effectu, sivè dicat essentialem habitudinem ad ipsius productionem, nec requiritur, quòd habeat proportionem entitatis, sivè quòd habeat proportionem æquè perfectam, sicut habet effectus, ut docent communiter philosophi: virtus autem sacramentorum, utpotè formaliter corporea, non habet proportionem entitatis cum effectu producendo, sivè gratia, quæ tota spiritualis est; sed habet proportionem habitudinis, quia dicit essentialiter habitudinem ad gratiæ productionem; immò non imprimitur ab ipso Deo sacramenmentis nisi in ordine ad productionem gratiæ. Hæc solutio patet in exemplis jam allatis, vocis humanæ, ig-

nis inferni, & accidentis: quamvis enim vox, utpotè corporea, non habeat proportionem entitatis cum nostra intellectione, quæ spiritualis est, habet tamen proportionem habitudinis cum ipsa quia ordinatur ad eius productionem; & similiter accidens quamvis entitativè improportionatum cum substantia, dicit tamen habitudinem ad ipsam producendam, ut patet in calore, respectu ignis: & quamvis virtus, quæ imprimitur igni gehennali ad torquendos dæmones, sit entitativè imperfectior ipsis, attamen ex elevatione divinæ omnipotentiæ dicit habitudinem ad illos torquendos. Quod igitur natura præstat in voce hominis, & in accidentibus, & divina Justitia in igne inferni, ut per virtutem corpoream attingantur res spirituales, hoc præstat divina bonitas, & misericordia in sacramentis, ut per virtutem corpoream ipsis impressam producatur gratia sanctificans, quæ est tota spiritualis.

Obijcitur 5. Si aliqua virtus productiva gratiæ reciperetur in sacramentis, vel reciperetur in toto sacramento; vel in aliqua parte ipsius: neutrum dici potest; non quidem primum, quia sacramentum est aliquid successivum, habens partem post partem, verba enim v. g. quæ sunt forma Baptismi, non proferuntur omnia simul, sed unum post aliud; ergo si virtus reciperetur in toto sacramento, haberet plures partes unam post alteram, & non foret tota simul: sed hoc est falsum, quia gratia, quæ per huiusmodi virtutem produci debet, est tota simul, proindeque etiam virtus productiva debet esse tota simul. Secundum etiam dici nequit, quia si virtus productiva gratiæ in aliqua tantùm parte reciperetur, productio gratiæ toti sacramento non tribueretur, sed tantùm huic parti sacramenti: falsum est autem, quòd totum sacramentum non concurrat ad productionem gratiæ.

Respondent tripliciter ad hoc argumentum Thomistæ, sicut etiam ad præcedens. Primò, dicunt, virtutem recipi in toto sacramento quoad omnes ipsius partes, ita ut statim atque incipiant proferri verba, quæ componunt formam Baptismi, imprimatur virtus huiusmodi verbis, & ita successivè imprimatur verbis se-

quentibus usque ad ultimum instans terminativum prolationis verborum; ita tamen ut semper producatur effectus per huiusmodi virtutem, nempè ante ultimum instans producantur dispositiones ad gratiam, & in ultimo instanti producatur ipsa gratia.

Secundò, alii dicunt, virtutem productivam gratiæ non recipi nisi in solo instanti terminativo totius Sacramenti, in quo etiam producitur gratia.

Sed videtur tertiò respondendum, componendo simul utramque solutionem; quòd virtus quidem in toto sacramento recipitur, sed effectus non producitur nisi in solo instanti ultimo totius sacramenti terminativo: quia diximus huiusmodi virtutem esse formaliter corpoream, ideòque habere partes, & esse divisibilem, & ita esse proportionatam sacramentis, quæ corporea sunt: & ideò sicut sacramenta, quia corporea sunt, & habent partes, sunt entia successiva, in quibus pars fluit post partem, & verbum profertur post aliud verbum; ita dicendum est, quòd huiusmodi virtus ad hoc ut ipsis proportionetur, plures habet partes sibi succedentes, ita ut una post alteram imprimatur ipsi sacramento, & in qualibet sacramenti parte sit aliqua pars huiusmodi virtutis: sed gratia sanctificans, quæ est effectus producendus, tota spiritualis est, proindeque partes non habet, quarum una post alteram produci possit, sed tota simul in unico instanti produci debet: undè dicendum est, quòd producitur in instanti ultimo terminativo, & completivo totius sacramenti.

Obiicitur 6. & replicatur contra præcedentem solutionem: frustra est virtus, quæ nullum habet effectum: sed si effectus sacramentorum non producitur nisi in ultimo instanti terminativo eorum, partes virtutis, quæ erunt receptæ in præcedentibus sacramenti partibus, nullum effectum habebunt: ergo frustra erunt.

Respondeo, distinguendo maiorem: frustra est virtus, quæ non habet effectum, vel non disponit ad ipsum, concedo: virtus, quæ disponit ad effectum, quamvis ipsum nondùm habeat, nego: virtus autem, quæ in prioribus sacramenti partibus recipitur, quamvis pro tunc effectum non habeat, attamen disponit ad hoc ut

effectus

effectus in ultimo instanti producatur, & ideò non est frustra: exemplum habemus ex Philosophia deductum: calor est virtus instrumentaria ignis ad producendum alterum ignem, & tamen toto tempore quo calor producitur in ligno, non generatur alter ignis, sed tantùm in ultimo instanti terminativo calefactionis, quando nempè calor pervenit ad ultimum sivè octavum gradum: propterea primi gradus caloris non sunt frustra ad productionem ignis, quia disponunt ad hoc ut detur gradus ultimus, & ignis producatur.

Objicitur 7. & iterùm replicatur contra præcedentem solutionem: Hujusmodi partes virtutis præcedentis nullatenùs contribuunt in instanti terminativo Sacramenti ad productionem gratiæ: ergo nulla solutio. Probatur antecedens: quod nihil est, nihil contribuere potest ad productionem effectus: sed in instanti terminativo sacramenti partes præcedentes nihil sunt, nihilque de ipsis remansit: ergo nihil contribuunt.

Respondeo, negando antecedens: ad cujus probationem, distinguo majorem: quod nihil est, tam formaliter, quàm virtualiter, nihil contribuere potest, concedo; quod nihil est formaliter, benè tamen est aliquid virtualiter, nego: quia ad hocut causa operetur, non est necesse quòd remaneat formaliter in se ipsa, sed sufficit quòd remaneat in virtute sua, ut docent communiter philosophi: illa autem virtus partium præcedentium, quæ remanet virtualiter in ultimo instanti terminativo sacramenti, non est aliquid distinctum ab ipsa parte virtutis, quæ est in instanti ultimo, sed est ipsa eadem virtus, vel pars virtutis, ut connotans præcedentes: nam sicut docent philosophi, quòd dispositiones præcedentes introductionem formæ substantialis in materia, remanent virtualiter in materia, quamvis nihil, formaliter de ipsis remaneat in eadem materia, præter connotationem ejusdem materiæ ad præcedentes illas dispositiones, per quam connotationem materia illa determinatur ad talem formam substantialem: sicut etiam in prolatione verborum, quæ sunt forma Sacramenti, præcedentes syllabæ virtualiter remanent in ultima syllaba, quatenùs licèt in ea nihil relinquant, attamen ipsa ultima syllaba non est signifi-

cativa nisi in virtute præcedentium, prout eas connotat: ita ultima pars virtutis sacramenti ex vi partium præcedentium habet, quòd sit determinata ad productionem gratiæ; & sic partes præcedentes talis virtutis remanent virtualiter in illa parte ultima, & simul cum ipsa contribuunt, & concurrunt ad productionem gratiæ.

Obijcitur 8. & adhuc replicatur contra præcedentem solutionem: si daretur globus perfectè sphæricus tangens aliquod planum in unico puncto indivisibili, & Deus destruendo omnes globi partes, & conservando illud unicum punctum, produceret ipso mediante aliquem effectum, v. g. motum; talis effectus non posset tribui toti globo tanquam instrumento, nec aliis ipsius partibus, sed soli puncto indivisibili, quod solum remaneret, quando produceretur effectus: ergo similiter si postquam transierunt, & perierunt omnes aliæ partes sacramenti, & virtutis ejus, & non remanet ampliùs nisi ultimum instans terminativum, ac veluti punctum indivisibile, Deus ipso mediante producit gratiam; talis productio tribui non potest nec toti sacramento, nec alijs ipsius partibus, sed tantùm ultimo illi instanti.

Respondeo, negando consequentiam, & paritatem: quia globus est res permanens, de cujus ratione est quòd habeat omnes suas partes simul: undè nisi omnes ejus partes simul assumantur ut instrumentum ad producendum effectum, talis productio non tribuitur toti, nec aliis partibus, sed tantùm illi quæ assumitur: sed Sacramentum est res successiva, de cujus ratione est, quòd habeat suarum partium unam post alteram, & non omnes simul: undè dummodò illa pars, vel ille terminus partium, qui immediatè succedit toti sacramento, & omnes ipsius partes connotat, assumatur tanquàm instrumentum ad producendum effectum, talis productio tribuitur toti sacramento, & omnibus ipsius partibus.

Obijcitur 9. & adhuc replicatur contra præcedentem solutionem: Vel illud ultimum instans sacramenti est ipsi intrinsecum, vel extrinsecum: neutrum dici potest; ergo. Probatur minor: non potest dici intrinsecum,

quia juxta philosophos præsertim Thomistas, cum instans sit totum simul, utpotè indivisibile, non potest intrinsecè pertinere ad aliquam rem successivam, quale est sacramentum, quia non est tota simul, sed habet partem post partem non potest etiam dici extrinsecum, quia si foret extrinsecum, sivè extra sacramentum, & in illo tantùm instanti produceretur gratia, non posset productio gratiæ tribui sacramento.

Respondeo in hoc esse quæstionem de puro nomine: instans enim ultimum, sivè terminativum sacramenti potest dici & intrinsecum, & extrinsecum: extrinsecum quidem, quia instans realiter distinguitur à partibus rei successivæ, & est extra earum essentiam, propter rationem in objectione allatam; intrinsecum verò, quia est terminus intrinsecè afficiens ipsum totum successivum: sicut existentia creaturæ, juxta philosophos præsertim Thomistas, dici potest extrinseca, & intrinseca; extrinseca quidem, quatenùs est extra essentiam creaturæ, & ab ipsa realiter distinguitur, intrinseca verò quatenùs est modus, sivè terminus substantialis intrinsecè afficiens essentiam creaturæ. Sivè igitur dicamus illud instans ultimum extrinsecum sivè intrinsecum, quod est quæstio de puro nomine, semper manet quòd productio gratiæ tribuitur toti sacramento, eo quòd hujusmodi instans qualecumque tandem esse possit, non habet virtutem productivam gratiæ, nisi quatenùs est terminus omnium partium ipsius sacramenti, ut diximus in præcedentibus solutionibus.

Objicies 10. Gratia creatur secundùm probabiliorem sententiam Thomistarum: sed etiam secundùm omnes Thomistas nulla creatura potest elevari ad creandum neque ut causa principalis, neque ut causa instrumentalis: ergo sacramenta non possunt esse instrumenta productiva gratiæ.

Respondent variè ipsi Thomistæ: plures enim eorum existimant gratiam sanctificantem non creari, sed solummodò educi de potentia obedientiali animæ nostræ; & juxta istam sententiam nulla est objectio: sed alij ex ipsis Thomistis dicunt gratiam sanctificantem reverâ creari: & quia ut suo loco videbimus, hæc sententia est probabilior alterâ, ideò ad objectionem.

Dico, distinguendam esse ipsam entitatem gratiæ sanctificantis ab ipso esse grato ; & concedendum est, quòd Sacramenta non sunt instrumenta ad producendam entitatem gratiæ , benè tamen ad producendum ipsum esse gratum: hæc est autem differentia inter hæc duo , quòd entitas gratiæ dicit ipsam gratiam secundùm se, at esse gratum dicit solummodò unionem gratiæ cum suo subjecto , sivè cum anima nostra, quæ per hujusmodi unionem redditur grata Deo : fatemur igitur quòd quia entitas gratiæ creatur , & secundùm D. Thomam creatura non concurrit ad creandum nec principaliter, nec instrumentaliter , ideò sacramenta non concurrunt ullo modo ad causandam entitatem gratiæ;sed tamen dicimus, quòd quia unio gratiæ cum suo subjecto, sivè ut ita loquar animæ nostræ gratificatio, vel ipsum esse gratum, non est aliquid concernens creationem , ideò sacramenta tanquàm instrumenta divinæ omnipotentiæ , causant hujusmodi unionem,& tale esse gratum. Exemplum hujus solutionis habemus ex philosophia : cum enim anima rationalis creatur, certum est, quòd homo generans hominem non causat entitatem animæ hominis generati, nihilominus causat unionem animæ cum corpore ipsius;sivè causat ipsum esse animatum , quod importat talem unionem,& non fit per creationem,sed per generationem.

Obiicitur II. & replicatur contra præcedentem solutionem : Majus est justificare impium , quàm creare cœlum & terram , ut dicitur in tractatu de gratia cum DD. Augustino , & Thoma : ergo si sacramenta , vel aliæ creaturæ elevari nequeunt etiam tanquàm instrumenta ad creationem cœli , & terræ , multò minùs ad justificationem impij, quæ fit per unionem gratiæ sanctificantis cum ipsius anima, sivè per ipsum esse gratum. Consequentia probatur, quia qui non potest minus, non potest etiam majus : ergo si minus est creare cœlum , & terram , quàm justificare impium , & sacramenta non possunt nequidem instrumentaliter ad illud primum concurrere , non poterunt etiam concurrere ad secundum.

Respondeo negando consequentiam ad cujus probationem distinguo illud axioma: qui non potest minus,

non potest, majus: quando minus, & majus sunt ejusdem rationis, concedo; quando sunt diversæ rationis, nego: v.g. quia minùs, & magis calefacere sunt ejusdem rationis, idcircò qui non potest minùs calefacere, non potest etiam magis calefacere: sed quia comburere licet sit minus, & ratiocinari sit maius, quia tamen sunt diversæ rationis, ideò non sequitur, quòd homo, qui non potest comburere, non possit propterea ratiocinari: cum igitur ex una parte creare cœlum, & terram, & ex altera parte iustificare impium sint longè diversæ rationis, ideò non sequitur, quòd quamvis sacramenta, vel aliæ creaturæ non possint esse instrumenta ad creationem cœli, & terræ, non propterea possint esse instumenta ad impij iustificationem.

Obiicitur 12. Nullum agens operatur in subiectum distans saltem physicè, ut communiter docent philosophi: sed sæpiùs sacramenta distant à subjecto, in quo debet produci eorum effectus, sivè gratia; præsertim quando Sacerdos absolvit pœnitentem, moraliter loquendo præsentem; sed verba absolutionis physicè ad ipsum non pertingunt: ergo in illis casibus non producunt physicè gratiam.

Respondeo, illud axioma esse verum naturaliter loquẽdo sed non supernaturaliter: Deus enim dispensare potest in his conditionibus præsentiæ, & applicationis agentis ad passum; & ideò per suã omnipotentiã facere potest, quòd ignis existens v. g. in urbe Avenionensi comburat lignum existens Romæ, vel Parisiis: sic igitur Deus ex bonitate, & misericordia sua super hujusmodi conditiones dispensat in favorem nostrum quando administrantur sacramenta; & per ipsa quamvis physicè distantia, tanquam per instrumenta physica causat gratiam sanctificantem in illis, qui sacramenta suscipiunt, & sunt moraliter tantùm præsentes.

Obijcies 13. Oculi corporei elevari nequeunt neque ad videndum Deum, neque ad videndum angelum, aut aliquam rem spiritualem: ergo etiam sacramenta corporea elevari non poterunt ad producendam gratiam, aut aliquam rem spiritualem, cum longè sit difficilius aliquid producere quàm videre; & aliundè oculi corporei sint de se perfectiores ipsis sacramentis.

Respondeo, negando consequentiam, & paritatem: ratio discriminis est; quia visio est actio vitalis, productio verò gratiæ per sacramenta non est actio vitalis: hæc autem est differentia inter actionem vitalem, & non vitalem, quòd actio vitalis debet esse à principio intrinseco, tanquàm causâ principali, sed actio non vitalis potest esse à principio intrinseco, tanquàm instrumento, ut explicatur in tractatu de beatifica visione: & cum aliundè gratia sanctificans sit excellentior omnibus alijs rebus creatis, ut diximus in tractatu de Gratia, propterea creatura nequit esse causa principalis, sed tantùm instrumentalis ipsius divinæ gratiæ: cum igitur non possit aliquid corporeum tanquàm causa principalis attingere aliquid spirituale, nequeunt oculi corporei videre rem spiritualem; cum tamen res corporea possit instrumentaliter attingere rem spiritualem, possunt sacramenta corporea tanquàm instrumenta producere gratiam sanctificantem quamvis spiritualem. Hoc totum magis explicatur loco citato.

Obijcitur 14. Actus virtutum, quos elicimus per auxilia divinæ gratiæ, sunt spirituales, & longè excellentiores ipsis sacramentis, & tamen non causant gratiam sivè primam, sivè secundam, idest, nec essentiam: nec augmentum gratiæ, nisi moraliter, sivè meritoriè, non autem physicè, ut dicitur in tractatu de merito: ergo etiam sacramenta non physicè, sed moraliter tantùm causant gratiam.

Respondeo, negando consequentiam, & paritatem: ratio autem discriminis est eadem cum præcedenti: quia hujusmodi actus virtuosi sunt actus vitales, qui non possunt esse nisi causæ principalis: & quia non datur causa principalis creata respectu gratiæ, ideò actus nostri non possunt eam physice producere: sed actiones sacramentorum non sunt vitales, proindéque possunt esse instrumentales: potest autem res creata esse instrumentum physicum respectu gratiæ. Hoc etiam magis explicatur in prædicto tractatu.

Obijcies 15. Nobilior est modus producendi si fuerit moralis, quàm si fuerit physicus; ut patet in regibus, & principibus, qui moraliter tantùm operantur, præcipiendo, & consulendo, & relinquunt alijs physi-

eam executionem præceptorum suorum: sed modus nobilior causandi tribui debet sacramentis: ergo non physicè, sed moraliter causant gratiam.

Respondeo, Majorem esse veram, quando effectus producendus est aliquid imperfectum, & indignum nobilitate causæ; sicut plura sunt, quorum executio est indigna in persona Regis, vel Principis; falsam autem, quando effectus est nobilior ipsâ causâ: & quia nihil nobilius esse potest, quàm causare gratiam sanctificantem, ideò ut tribuamus sacramentis modum causandi nobilissimum, dicendum est quòd nedùm moraliter, sed etiam physicè gratiam causant.

Objicies 16. Compositum morale non potest causare effectum nisi moraliter: sed sacramenta sunt composita moralia tantùm, quatenùs ut supra diximus, unio materiæ & formæ non est in eis nisi moralis: ergo moraliter tantùm causant gratiam.

Respondeo, negando majorem: quia quamvis materia & forma sacramentorum moraliter tantùm uniantur, attamen forma eorum est physica: nam verba quæ sunt forma sacramentorum, physicè proferuntur: undè & virtutem physicam recipere possunt, & physicè producere effectum suum, sivè gratiam sanctificantem.

Objici possunt ultimò plura D. Thomæ testimonia, in quibus videtur, aliquando dicere, quòd Sacramenta non causant gratiam saltem physicè, aliquando verò videtur asserere, quòd eam physicè causant.

Respondeo hæc omnia testimonia conciliari posse per prædictam regulam generalem: quòd nempè quando D. Thomas negat sacramenta causare gratiam, intelligendus est de entitate gratiæ, quia cum fiat per creationem, creatura non concurrit ad ipsam nec principaliter, nec instrumentaliter: quando verò dicit sacramenta causare gratiam, intelligendus est de ipso esse gratum, quatenùs sacramenta physicè concurrunt ad unionem gratiæ sanctificantis cum anima nostra, ut jam explicuimus.

ARTICULUS III.

Utrùm causare gratiam physicè & ex opere operato conveniat sacramentis tam veteris, quàm novæ legis.

Conclusio: Causare gratiam physicè, & ex opere operato non conveniebat sacramentis veteris legis, sed est privilegium proprium sacramentis novæ legis.

Probatur 1. ex Scriptura: Apostolus ad Galat. 4. sacramenta veteris legis vocat *Vacua, & egena elementa: vacua* quidem, quia gratiam non continebant: *egena* verò, quia ipsam conferre non poterant. Undè D. Thomas in hac 3. parte, quæstione 61. articulo 4. ad 2. ait, *Dicendum quòd Sacramenta veteris legis Apostolus vocat egena, & infirma elementa, quia gratiam nec continebant, nec causabant: & ideò utentes illis Sacramentis, dixit Apostolus, sub elementis mundi Deo servisse, quia scilicet nihil aliud erant, quàm elementa mundi huius: nostra autem sacramenta gratiam continent, & causant.*

Probatur 2. authoritate Concilij Florentini in decretis Fidei, ubi dicit, *Septem sunt sacramenta, quæ multùm differunt à sacramentis veteris legis: illa enim neque gratiam continebant, neque causabant, sed solùm per Christum dandam figurabant: hæc verò gratiam continent, & illam dignè suscipientibus conferunt.* Idemque insinuat Concilium Tridentinum, dum solis sacramentis novæ legis tribuit *continere, & conferre gratiam*, ut vidimus in articulo præcedenti.

Probatur 3. & infertur ex secundo nostro principio: Major gloria Christi exigebat, ut sacramentis veteris legis non conferretur hujusmodi virtus causandi gratiam physicè, & ex opere operato, ad hoc ut homines recognoscerent infirmitatem suam, & quantùm indigebant adventu Christi Domini, quem propterea ardentiùs exoptare, & expectare deberent, & cum tan-

dem accepissent, pro tanto beneficio majores gratias agere. Igitur hujusmodi privilegium reservandum erat pro sacramentis novæ legis ab eodem Christo Domino tunc venturo instituendis.

Obiicitur, quòd in Scriptura Sacra tam veteris quàm novæ legis sacramenta dicuntur esse *similis formæ*: sicut D. Petrus Epistolâ primâ, capite 3. ait, *Octo animæ salvæ factæ sunt per aquam; quod & vos nunc similis formæ salvos fecit Baptisma*: ergo vel debemus æqualiter tribuere causalitatem physicam sacramentis veteris, & novæ legis, vel æqualiter denegare.

Respondeo, & est regula generalis, distinguendo illud antecedens: sacramenta veteris, & novæ legis sunt *similis formæ*, quantùm ad exteriorem apparentiam, concedo; quantùm ad interiorem efficaciam, nego: quamvis enim in sacramentis veteris, & novæ legis sit eadem exterior apparentia, nihilominùs in sacramentis novæ legis est interior efficacia, quæ non erat in sacramentis veteris legis: & nihil aliud vult Divus Petrus loco citato, quia dicit esse similitudinem quantùm ad aquam, quæ apparet eadem exteriùs in sacramento Baptismi, sed non quantùm ad virtutem, quæ in ipso latet interiùs.

ARTICULUS IV.

An & quomodo sacramenta causent gratiam, sivè ritè sivè fictè suscipiantur.

Advertendum est, quòd sacramenta ritè suscipiuntur, quando suscipiuntur cum debita dispositione: v. g. ritè suscipitur sacramentum pœnitentiæ, quando ex parte pœnitentis adest confessio peccatorum, & contritio de ipsis, vel saltem attritio supernaturalis. Sed suscipiuntur fictè, quando non adest debita dispositio; quia ille fingit, qui aliud manifestat exteriùs, quàm habeat interiùs: undè ille verbi grat. suscipit cum fictione sacramentum pœnitentiæ, qui sacerdoti testatur se dolere de peccatis suis, quamvis se verà non doleat de ipsis; & ita simulat, & fingit dolorem, quem non ha-

bet. Sed adhuc in proposito.

Advertendum est quod fictio hic paulo latiùs sumitur, & veluti magis extenditur, nam significat internum statum diversum ab externo sivè hoc fiat voluntariè, & ex malitia, sivè involuntariè, & bona fidè: undè quando aliquis testatur Sacerdoti se dolere de peccatis, & re vera existimat se habere hujusmodi dolorem, quem tamen non habet, dicitur in tali casu fictè recipere sacramentum pœnitentiæ. De hoc plura videri possunt in Morali Theologia D. Thomæ, verbo *fictio*. Avenion. ex Typog. P. Offray.

Tres sunt in hac difficultate sententiæ tam inter Thomistas, quàm inter alios Theologos Prima asserit quòd sacramenta fictè suscepta, sivè sine dispositione requisita, post modùm recedente fictione, sivè apposita dispositione requisita, causant gratiam physicè: secunda asserit, quòd eam causant moraliter tantùm: Tertia, medio modo procedit, pro qua sit.

Conclusio sacramenta, quæ imprimunt charactêrem, recedente fictione, causant gratiam physicè; alia verò causant eam moraliter tantùm.

Probatur simul, & explicatur: debemus tribuere sacramentis causalitatem physicam respectu gratiæ quantùm pati potest natura ipsorum, propter rationes explicatas in secundo articulo hujus quæstionis: sed non potest conferri causalitas physica gratiæ, quando recedit fictio, nisi sacramentis charactêrem imprimentibus; aliis verò tribui potest causalitas solummodò moralis: ergo. Minor declaratur exemplis Baptismus v. g. charactêrem imprimit: undè quando fictè suscipitur ab aliquo adulto, sivè suscipitur sine debita dispositione, non desinit propterea, dummodò sit validum sacramentum, imprimere charactêrem: igitur recedente fictione, sivè apposita dispositione requisita, homo ille baptizatus sanctificatur: & quia licet tunc baptismus in se ipso non remaneat physicè, & ideò nequeat physicè producere gratiam per se ipsum immediatè, remanet tamen in virtute sua, & in effectu suo, sivè in ipso charactere: & quia docent philosophi, quòd sufficit causam in virtute sua remanere physicè, ut physicè producat effectum suum, ideò di-

cendū est quòd tunc Baptismus physicè producit gratiam, mediante scilicet charactere: & idem dicendum est de confirmatione, & ordine, quia sunt sacramenta imprimentia characterem.

Sed Eucharistia v.g. & pœnitentia, vel aliud sacramentum non imprimens characterem, quamvis validè collata fuerint, si tamen non produxerunt effectum proprium, sivè gratiam, nihil prorsùs de ipsis remanet physicum, & reale; sed moraliter tantùm remanent in acceptatione divina, quatenùs Deus paratus est propter validitatem hujusmodi sacramentorum, conferre gratiam, quando apponetur debita dispositio. Igitur posita dispositione requisitâ, gratia quidem confertur, sed non producitur physicè per hujusmodi sacramenta, sed tantùm moraliter.

Objectiones præveniuntur per illam distinctionem sacramentorum imprimentium, & non imprimentium characterem; dum tribuitur causalitas physica propter physicum effectum, nempè characterem, & tribuitur moralis tantùm, dùm sacramenta non remanent nisi moraliter, & sine ullo effectu physico. Videri potest Theologia Moralis D. Thomæ cùm loco citato, tùm etiam in omnibus sacramentis in particulari consideratis.

ARTICULUS V.

An, & quomodo sacramenta mortuorum, & vivorum causent gratiam.

Sciendum est, quòd illa sacramenta dicuntur mortuorum, quæ per se loquendo conferri possunt mortuis spiritualiter, sivè existentibus in statu peccati mortalis: talia sacramenta sunt duo tantùm, scilicet Baptismus, & Pœnitentia, quæ suscipi possunt cum conscientia peccati mortalis, ut suo loco fusè ostendemus contra Jansenium: sacramenta verò vivorum dicuntur illa, quæ non conferuntur nisi vivis spiritualiter, sivè existentibus in statu gratiæ, quæ est vita animæ nostræ, ita ut aliquis sine sacrilegio non possit hujusmodi sacramenta recipere, nisi bona fide existimet se esse in sta-

tu gratiæ: talia sunt alia quinque sacramenta, scilicet Confirmatio, Eucharistia, Extrema-Unctio, Ordo, & Matrimonium, quæ non nisi ab hominibus justis suscipi possunt, ut magis explicabimus agendo de ipsis in particulari.

Distinguenda est etiam in proposito prima, & secunda gratia. Prima gratia dicitur ipsa essentia gratiæ sanctificantis: secunda gratia dicitur ipsum augmentum divinæ gratiæ. His prænotatis sit.

Conclusio. Sacramenta mortuorum causant primam gratiam, per se loquendo; & secundam per accidens: è contra, sacramenta vivorum causant per se loquendo, secundam gratiam; & per accidens primam.

Probatur, & explicatur: sacramenta mortuorum per se loquendo conferri possunt illis, qui sunt mortui spiritualiter, sivè in statu peccati mortalis: undè per se loquendo conferunt essentiam gratiæ sanctificantis, per quam remmittuntur peccata mortalia, saltem quoad culpam. Igitur sacramentum baptismi, & sacramentum pœnitentiæ habent per se loquendo causare tanquàm sacramenta mortuorum essentiam gratiæ, proindéque primam gratiam: sed quia sæpiùs contingit, quòd aliquis homo sit justus, sivè propter contritionem, quam elicuit, antequàm hujusmodi sacramenta susciperet, sivè quia accedit ad pœnitentiam cum solis peccatis venialibus; ideò tunc sacramenta mortuorum per accidens propter subjecti dispositionem supponunt essentiam gratiæ, sivè primam gratiam, & idcircò producunt augmentum gratiæ, sivè secundam gratiam,

E contra, sacramenta vivorum, sivè quæ per se loquendo conferri debent vivis spiritualiter, sivè existentibus in statu gratiæ, quæ est vita animæ nostræ, per se loquendo etiam supponunt essentiam gratiæ, sivè primam gratiam, & non causant nisi augmentum gratiæ, sivè secundam gratiam: sed tamen per accidens, quando aliquis bona fide accedit ad hujusmodi sacramenta, præsertim ad sacramentum Eucharistiæ, tunc si fuerit in statu peccati mortalis, justificatur per ipsam Eucharistiam; & ita quandoque hoc sacramentum causat primam gratiam.

Adverte, hanc esse doctrinam D. Thomæ notatu

dignissimam, qui quamvis non tribuat hoc privilegium omnibus sacramentis vivorum, tribuit tamen non solùm Eucharistiæ, sed etiam Confirmationi, & Extremæ Unctioni, ut videri potest in Theologia Morali, sub titulis hujusmodi sacramentorum.

Objicitur, quòd non videtur potior ratio, cur aliquis accedens bona fide ad sacramentum pœnitentiæ, quandoque defectu debitæ dispositionis non justificetur, & tamen justificetur postea, quando recipit sacramentum Eucharistiæ, vel Confirmationis, vel Extremæ Unctionis.

Respondeo ex eodem Angelico Doctore, quòd quia Eucharistia continet Christum Dominum, qui est fons, & origo totius gratiæ sanctificantis, ideò majorem virtutem habet, quàm quodlibet aliud sacramentum: & sic quandoque aliquis non justificatur per pœnitentiam, qui tamen justificatur per Eucharistiam. Confirmatio autem, quia datur ad confirmandum, sivè corroborandum spiritualiter, debet abundantiorem gratiam tribuere; idcircò plus etiam potest, quàm Sacramentum pœnitentiæ, & ideò in confirmatione quandoque justificantur illi, qui non fuerunt justificati in pœnitentia. Tandem Extrem. Unctio habet quòd suppleat omnes defectus nostræ sanctificationis, & salutis; & quia nemo salvari potest sine gratia, ideò si per alia aliqua sacramenta non fuit aliquis justificatus, dùmmodò bona fide Extremam. Unctionem recipiat, per ipsam justificabitur.

Inferes ex dictis, quòd Catholici debent esse maximè solliciti, præsertim in periculo mortis, sivè suscipiendi, sivè administrandi hujusmodi sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis, vel etiam Confirmationis; quia fieri potest, ut non obstante sacramento pœnitentiæ aliquis remaneat in statu peccati mortalis, qui si bona fide Eucharistiam, vel Extremam. Unctionem reciperet, justificaretur; & ita sine istis sacramentis damnabitur, & cum illis, vel cum alterutro ipsorum salvaretur.

ARTICULUS. VI.

An, & quomodo sacramenta causent gratiam sivè in re, sivè in voto suscepta: & quid sit gratia sacramentalis.

Conclusio. Sacramenta in re suscepta causant gratiam ex opere operato: & suscepta in voto, non causant eam, nisi ex opere operantis.

Probatur, & explicatur: sacramenta suscipiuntur in re, quando suscipiuntur de facto: & suscipiuntur in voto, quando suscipiuntur in solo desiderio v.g. si quis de facto baptizatur, vel absolvitur, tunc suscipit in re sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ, & utrumque sacramentum causat gratiam physicè, & ex opere operato sicut explicatum est in præcedentibus articulis: sed quando desiderat quidem & vovet baptizari, vel absolvi, sed tamen nullus est, qui eum baptizare possit, vel absolvere; tunc illa sacramenta in solo voto, & desiderio suscepta non causant gratiam ex opera operato, sed tantùm ex opere operantis, sivè ipsius voventis, & desiderantis. Et hæc est ratio propter quam licèt aliquis in ipso sacramento sivè baptismi, sivè pœnitentiæ, cum sola attritione supernaturali justificetur, attamen extra sacramentum non justificatur nisi per contritionem perfectam, ut fusè ostendetur, cum sermo erit de hujusmodi sacramentis in particulari.

Objectiones, quæ fieri possent contra istam conclusionem, proponentur, & solventur, quando agemus de ijsdem sacramentis in particulari, & præsertim de sacramento pœnitentiæ.

Quæres quid sit gratia sacramentalis.

Respondeo, gratiam sacramentalem non distingui in recto ab ipsa gratia sanctificante, sed tantum in obliquo, & de connotato: quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate; & nulla est necessitas distinguendi gratiam sanctificantem à gratia sacramentali quam-

tùm ad entitatem quam important principaliter, & in recto: undè non differunt nisi quantum ad illud quod connotant, & important in obliquo; quia gratia sanctificans non connotat sacramenta tanquam instrumenta suæ productionis, sed immediatè à solo Deo, vel ad summum mediante Humanitate Christi producitur, ut dicitur in tractatu de Incarnatione: sed gratia sacramentalis connotat ipsa sacramenta tanquam instrumenta suæ productionis: undè una est, eademque gratia, quæ dicitur præcisè gratia sanctificans, quatenùs fine sacramentis producitur, & insuper dicitur gratia sacramentalis, quatenùs producitur per sacramenta.

QUÆSTIO IV.

De altero effectu sacramentorum, scilicèt Charactere.

CHaracter est nomen græcum, quod significat figuram, sivè notam alicui rei firmiter impressam, ut ad aliquem usum destinetur, vel ab alijs discernatur. v. g. illa nota, quæ à principe, vel Republica imprimitur monetæ ad usum commutationum, dicitur character; sicut & illa quæ imprimitur pecudibus, ut ab invicem discernantur, & dignosci possit ad quem Dominum pertineant. Antiquitùs etiam nota quædam sensibilis imprimebatur corporibus militum, ut ad militiam destinarentur, & ab inimicis discernerentur. Transferendo igitur corporalia ad spiritualia, jure optimo Theologi Characterem vocant qualitatem illam spiritualem, quæ ita firmiter imprimitur à quibusdam sacramentis, ut sit omninò indelebilis, & per quam deputantur homines ad cultum Dei, & militiam Christi, & ad recipienda uel administranda sacramenta, per quam etiam distinguuntur fideles, & ab infidelibus discernuntur. Character igitur sacramentalis est signum spirituale indelebiliter impressum, per quod homines deputantur ad cultum Divinum.

ARTICULUS I.

An detur Character, & imprimatur per Baptismum, Confirmationem, & Ordinem.

Lutherani, Calvinistæ, & alij hujus temporis hæretici negant dari ullum Characterem sacramentalem, Aliqui verò Doctores Catholici, præsertim Scotus fatentur non posse probari ex Scriptura existentiam Characteris, sed ex sola authoritate Ecclesiæ. Sed D. Thomas, omnes Thomistæ, & communiter alij Theologi, præter Scotistas, Characterem probant ex Scriptura, juxta sanctorum Patrum expositionem, ut videbimus probando Conclusionem.

Conclusio: datur Character sacramentalis, & imprimitur à tribus sacramentis novæ legis, scilicet Baptismo. Confirmatione, & Ordine.

Probatur 1. & principaliter contra hæreticos, authoritate Scripturæ, & Patrum. Nam ad Ephesios 1. Apostolus ait, *Signati estis credentes Spiritu promissionis sancto:* ubi communiter interpretes dicunt Apostolum loqui de sacramento Baptismi, quod est protestativum fidei nostræ; & per illud signum, quod tunc recipimus, intelligunt characterem, quem imprimit Baptismus.

Et 2. ad Corinthios 1. idem Apostolus sic loquitur, *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui unxit nos, Deus est; & qui signavit nos, Deus, & dedit pignus Spiritûs in cordibus nostris:* Ubi constat loqui Apostolum de sacramento Confirmationis, cujus propria materia est unctio: exprefsè autem distinguit signum à pignore Spiritus, ut denotet characterem distingui à gratia sacramentali.

Character autem ordinis ab eodem D. Paulo insinuatur 1. ad Timotheum 4. his verbis, *Noli negligere gratiam Dei, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii:* Ubi Apostolus tradit formam admonendi Sacerdotes, quando sunt in officio suo negligentes; quòd nempè considerare debent gratiam Dei, quæ est in ipsis, &

quam per ordinationem receperunt : & quia in pravis Sacerdotibus non remanet gratia ſacramentalis , quæ eſt ipſa gratia ſanctificans , ſupereſt ut remaneat gratia characteris , quia character eſt indelebilis.

Reſpondere poſſunt hæretici , hæc omnia teſtimonia non convincere , quia in Scriptura Sacra quandoque gratia , & virtutes dicuntur ſigna vel ſignacula ;& ideo omnes prædeſtinati dicuntur *ſignati* : undè D. Joannes in Apocalypſi vidit *Ex omni tribu Iſraël duodecim millia ſignatos* : Igitur nomen ſigni & ſignaculi indifferenter tribui poteſt gratiæ , & virtutibus , & ipſi characteri.

Sed contra : nam quando Scripturæ Sacræ teſtimonia ſunt ambigua , debemus recurrere ad authoritatem ſanctorum Patrum : ſed juxta ſanctos Patres licet nomen ſigni, & ſignaculi aliquando in Scriptura deſignet gratiam , & virtutes , ſæpiùs tamen deſignat ipſum characterem : ergo eſt admittendus.

Probatur 2. Characteris exiſtentia , authoritate Sanctorum Patrum, preſertim D. Auguſtini , cujus authoritas ab ipſis etiam Hæreticis admittitur. Igitur Sanctus Doctor ſuper 1. Epiſtolam Joannis tractatu 5. ait , *Baptizatus etiam ſi Charitatem non habeat , Charactérem quidem impoſitum habet , & tamen deſertor vocatur.* Et Epiſtola 44. alloquens Hæreticos Donatiſtas, *vos* inquit, *oves Chriſti eſtis , quia Charactérem Dominicum portatis , quem in Sacramento accipitis , ſed erratis , & peritis.* Et libro 2. contra Parmenianum capite 13. ſic loquitur, *Si militiæ Charactérem in corpore ſuo non militans pavidus exhorruerit , & ad clementiam Imperatoris confugerit , at prece fuſâ , & impetratâ jam veniâ militare cœperit ; numquid homine liberato , atque correcto , Character ille repetitur , ac non potiùs cognitus probatur ? an fortè minùs hærent Sacramenta Chriſtiana , quàm corporalis hæc nota ?* Ubi Divus Auguſtinus alludit ad conſuetudinem ſui temporis , ratione cujus milites recipiebant corporalem militiæ notam ; & quando deſertores erant , ſi poſtea redibant ad legitimum Principem , & veniam impetrabant , non renovabatur hæc nota , ſed ſolummodò

recognoſcebatur : Ita ſimiliter, inquit, Sacramenta militiæ Chriſtianæ notam imprimere conſueverunt ſpiritualem, quæ remanet in deſertoribus Eccleſiæ, & dum ad ipſam redeunt, non renovatur, ſed recognoſcitur.

Reſpondere poſſunt Hæretici 1. Divum Auguſtinum, & alios Sanctos Patres per Characterem intelligere ipſum Sacramentum, quod viſibiliter imprimitur, & per quod fideles ab infidelibus diſcernuntur.

Sed contra D. Auguſtinus, & alii Sancti Patres dicunt, Hæreticos retinere, & portare Characterem, quem recipiunt in Sacramento, licèt propter ſuam hæreſim pereant : Sed Sacramentum, quod confertur, conſiſtit in actione quadam quæ tranſit, nec remanet in Hæreticis huic Sacramento renunciantibus : Ergo neceſſe eſt præter ipſum Sacramentum, & actionem Sacramentalem, imprimi Characterem, qui tranſacto Sacramento remaneat, etiam in Hæreticis, non obſtante quacumque renunciatione.

Reſpondere poſſunt 2. per Characterem Sanctos Patres intelligere ipſum effectum Sacramenti, sive gratiam Sacramentalem, vel, ſecundùm ipſos Hæreticos, fidem juſtificantem.

Sed contra, Quia Divus Auguſtinus, & alii Sancti Patres aſſerunt, quòd Hæretici quamvis perdant charitatem, & fidem, nihilominus retinent characterem, ut patet ex teſtimoniis jam relatis : ergo ponunt characterem in aliqua entitate diſtincta, & ſeparabili tam à fide, quàm à charitate.

Reſpondere poſſunt 3. Sanctos Patres per characterem intelligere ſolummodò denominationem quamdam extrinſecam, ſivè deputationem ad obſequium Dei, & officia Religionis Chriſtianæ.

Sed contra, quia D. Auguſtinus cum aliis Sanctis Patribus aſſerit characterem Sacramentalem imprimi ſpiritualiter, ſicut olim character militiæ imprimebatur corporaliter : affirmat etiam quòd perverſi Chriſtiani, velint, nolint, Characterem iſtum retinent, & portant : Quæ omnia conſtat verificari non poſſe de aliqua pura denominatione extrinſeca : ergo character dicit aliquid ſpirituale maximè intrinſecum, & ſem-

per manens in homine recipiente hujusmodi characterem.

Probatur 3. expressa authoritate Concilii Tridentini sessione 7 Canone 9. ubi sic dicitur: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi charactêrem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, indelebile, undè ea iterari non possunt, anathema sit.*

Probatur 4. Argumento ad hominem contra hæreticos juxta prædictam definitionem Concilii Tridentini. Hæretici non reiterant Sacramentum Baptismi, sicut reiterant Sacramentum Cœnæ, sivè Eucharistiæ: Sed si Baptismus non imprimeret charactêrem, nulla esset ratio cur non reiteraretur, sicut Eucharistia: Ergo debet imprimere charactêrem.

Respondere possunt hæretici sicut supra diximus, proponendo simile argumentum contra ipsos, quòd Baptismus confertur, tanquam regeneratio spiritualis, Eucharistia, verò tanquàm spiritualis nutritio: Semel autem generamur, sed sæpiùs nutrimur: & ideò semel confertur Baptismus, sæpiùs autem datur Eucharistia: Quæ ratio sumitur ex D. Thoma, ut videbimus postea.

Sed contra: Quia quamvis hæc congruentia sit optima supposito charactêre, attamen nulla est si non admittatur character: Nam Scriptura sacra 1. ad Corinth. 4. testatur Evangelium esse regenerationem spiritualem, ait enim Apostolus, *per Evangelium ego vos genui*; & tamen non semel tantùm, sed sæpiùs Evangelium prædicatur: Ergo quamvis Baptismus conferatur per modum regenerationis spiritualis, non semel tantùm, sed sæpiùs esset conferendus, si non imprimeret charactêrem: Quod argumentum maximè urget, & omninò convincit secundùm ipsos hæreticos, juxta quos regeneratio spiritualis consistit in sola fide; undè cum possit aliquis fidem sæpiùs amittere, & sæpiùs recuperare, ita potest sæpiùs mori spiritualiter, & spiritualiter etiam sæpiùs regenerari. Si igitur Baptismus præter regenerationem spiritualem, non imprimeret etiam characterem, nulla esset ratio propter

quam non foret reiterandus. Videantur, quæ supra diximus pro eodem argumento in articulo primo præcedentis Quæstionis.

Hæc ratio adhuc magis convincit juxta Catholicos, qui dicunt Sacramentum Confirmationis, & Ordinis nunquàm reiterari: Non potest enim assignari altera ratio, nisi quòd imprimunt charactêrem indelebilem; nam v.g. Confirmatio datur per modum augmenti spiritualis; augmentatio autem sæpius fit non minus quàm nutritio: Et ideò si Confirmatio non imprimeret Charactêrem indelébilem, nulla esset ratio, cur non reiteraretur, sicut reiteratur Eucharistia, quæ datur per modum nutritionis spiritualis.

Probatur etiam 5. ex nostris principiis: nam si conveniens est ad majorem gloriam Regis & Principis, vel etiam cujuslibet nobilis, ut eorum milites, servi, & domestici Charactêrem quemdam habeant, sivè signum per quod ad specialia quædam officia pro dominorum suorum obsequio deputentur, & ab aliis discernantur: multò magis congruum est pro majori gloria Dei, & Christi, ut eorum milites, & servi, ac domestici per quemdam charactêrem ad Divinum cultum deputentur, & ab infidelibus discernantur, Hoc etiam expedit ad majus bonum Ecclesiæ, & cujuslibet fidelis, sicut pari modo expedit ad meliorem statum cujuslibet Reipublicæ, ut omnes ejus cives possint concives suos ab aliis qui sunt exteri, dignoscere, & discernere.

Ratio autem, propter quam impressio hujusmodi charactêris non conveniebat sacramentis antiquæ legis, sumitur ex variis Divi Thomæ locis: Et quidem quia in lege naturæ fideles non erant congregati, nec specialiter ad Divinum cultum deputati, sed per totum Orbem dispersi, & infidelibus permixti, ideò in cordibus suis Deo famulabantur, vel etiam exteriùs juxta proprium instinctum: Undè character huic statui non conveniebat; dicimus enim charactêrem deputare homines ad cultum Dei, & fideles ab infidelibus discernere. In lege verò scripta, quam tulit Moyses à Domino, quamvis Judæi forent à nationibus infidelium segregati, & ad specialem Dei cultum congregati,

quia tamen propter hujus legis imperfectionem ad officia folummodò corporalia deputabantur „ fufficiebat eis fignum quoddam corporale, per quod ab infidelibus difcernerentur, quod præftabat Circumcifio. Sed quia Chriftiani in nova lege debent adorare Deum in Spiritu, & veritate, & ad cultum fpiritualem funt congregati, ideò recipere debent characterem fpiritualem.

Ratio verò, propter quam character ille fpiritualis confertur per tria prædicta facramenta, non autem per alia novæ legis facramenta, eft: Quia per Baptifmum homines adfcribuntur familiæ Chriftianæ; & per Confirmationem deftinantur Chriftianæ militiæ; & per Ordinem deputantur ad fpecialia officia in domo Dei, ficut etiam ad facramentorum adminiftrationem: Et ideò per hæc tria facramenta debet imprimi character, ut illi qui ipfa recipiunt, tanquàm domeftici, milites, & fervi Dei, & Chrifti ab aliis difcernantur. Eucharistia autem non debet characterem imprimere, quia hoc ipfo quòd aliqui funt domeftici, milites, & fervi Principis, vel Regis, ab ipfo jam nutriri debent, nec exigitur ab eis novus character, ut admittantur ad refectionem; undè cum Euchariftia detur per modum refectionis fpiritualis, hoc ipfo quòd homines funt domeftici, milites, & fervi Dei per Baptifmum, Confirmationem, & Ordinem, fine nullo novo charactêre, poffunt hujufmodi fpiritualem refectionem recipere: Quapropter licèt Euchariftia præfupponat alia facramenta charactêrem imprimentia, faltem Baptifmum, ipfa tamen non debet charactêrem imprimere. Pœnitentia verò, & Extrema-Unctio, & Matrimonium non debent fimiliter imprimere charactêrem propter aliam caufam, quia nempè non deftinantur immediatè ad divinum cultum, nec ad difcernendum fideles ab infidelibus, fed folummodò ad removenda obftacula Divini cultus, Pœnitentia quidem ad tollenda peccata, Extrema-Unctio ad tollendas peccati reliquias, & Matrimonium, ut facramentum, inftitutum eft in remedium concupifcentiæ.

Objiciunt Hæretici aliqua Sanctorum Patrum teftimonia, in quibus dicunt charactêrem effe vifibilem,

& sensibilem, & transire cum sacramento.

Respondeo facilè; vel potiùs præveniuntur objectiones per istam Regulam generalem, distinguendo duplicem characterem: alter est character imprimens, & alter est character impressus: verum quidem est quòd character imprimens est ipsummet sacramentum visibile, & sensibile consistens in actione transeunti: Sed character impressus est qualitas spiritualis quæ à sacramento producitur, & in subjecto relinquitur, ac in ipso manet indelebiliter. Sicut etiam duplex sigillum distinguitur, alterum imprimens quod est ipsummet sigillum, alterum impressum, quod est character ille, quem relinquit impressum, in ipsa cera: Nec possunt sine tali distinctione conciliari testimonia Patrũ; cum enim aliquando dicant charactêrem esse corporeum, & transeuntem, aliquando verò, immò sæpiùs asserant esse spiritualem, & permanentem; priora testimonia intelligi debent de charactêre imprimente, alia verò de charactêre impresso de quo loquimur in præsenti.

ARTICULUS II.
In quo consistat Essentia characteris.

Advertendum est pro intelligentia hujus innodatissimæ difficultatis, hanc esse differentiam notatu dignissimam inter potentiam, & habitum vel dispositionem: quòd habitus & dispositio supponunt in suo subjecto determinationem ad ipsam substantiam operis & faciunt solummodò determinationem quantùm ad modum, vel circa bonum, si fuerit habitus virtuosus, vel circa malum, si fuerit habitus vitiosus. idemque dicendum est de dispositione: Sed potentia determinat subjectum suum circa ipsammet operis substantiam, & quantùm est de se, indifferenter se habet ad modos ipsius operis neque curat quòd benè, vel malè fiat. Exempli gratia: potentia intellectiva datur ad ipsam intellectionis substantiam, ita ut indifferenter se habeat ad bonam, vel malam intellectionem, & utramque ipsi nos producere possimus per hujusmodi potentiam: At verò, habitus scientiæ non datur ad substantiam, sed ad modum in-

tellectionis, & determinat ipsum intellectum ad benè, sivè scientificè intelligendum. Plures alii pluribus aliis modis tam intra, quàm extra Scholam D. Thomæ, explicant prædictam differentiam potentiæ, & habitus: sed iste modus explicandi, qui ex variis Aristotelis, & D. Thomæ authoritatibus inferri potest, videtur omninò necessarius ad intelligentiam Conclusionis infra stabiliendæ.

Advertandum est 2. duplicem quoad propositum distinguendam esse potentiam nedùm moralem, sed etiam physicam; scilicet passivam unam, & alteram activam. Potentia passiva physica (juxta explicationem potentiæ jam datam) determinat subjectum ad aliquid recipiendum quantùm ad ipsam rei substantiam: Potentia verò physica activa determinat physicè subjectum ad aliquid agendum, sivè producendum similiter quantum ad solam substantiam: verbi gratia: eadem potentia intellectiva est potentia physica activa, quia nedùm moraliter sed etiam physicè producit intellectiones; & est etiam potentia passiva non minùs quàm activa, quia nedum producit, sed etiam recipit, vel potiùs nedum facit ut anima nostra producat sed etiam ut recipiat intellectiones tanquam actiones immanentes, & facit utrumque quoad substantiam tantùm, & non quoad modum, quia quocumque modo se habeant intellectiones nostræ, sufficit eidem potentiæ quòd habeant substantiam sivè essentiam intellectionis ad hoc ut producantur ab anima, & in ipsa recipiantur mediante ipsa potentia intellectiva. His prænotatis.

Mirum est quantùm dissentiant Doctores, tùm antiqui, tùm moderni: Sed obmissis sententiis, quæ jam eliminatæ sunt à Scholis, duæ celebres factæ sunt inter Doctores quarum altera est D. Thomæ, qui 3. parte, quæstione 63. articulo secundo docet, charactêrem esse potentiam spiritualem: Ita etiam docent omnes Thomistæ, & alii plures cum ipsis: Altera est satis communis inter alios, quòd nempè character est habitus, vel dispositio: Ipsi etiam Thomistæ diversimodè explicant mentem Magistri sui Angelici: Sed videtur Ioannes à S. Thoma in commentario prædi-

cti articuli optimè insinuare modum eam explicandi : Undè sit.

Conclusio. Character Sacramentalis est potentia quædam spiritualis physica, vel passiva tantùm ut character Baptismi, vel activa tantùm ut character Ordinis, vel passiva simul & activa ut character Confirmationis.

Probatur 1. pars, primò : Character est indelebilis ; ita ut remaneat etiam in damnatis, prout docent Catholici, & explicabimus postea : Sed quomodo, & quare sit indelebilis explicari nequit in sententia aliorum, benè tamen in Doctrina D. Thomæ, quia constat omnes potentias remanere in damnatis, ut intellectum, & voluntatem : Undè si ponatur quòd character sit potentia, explicabitur facilè cur sit indelebilis. At verò habitus, vel dispositio supernaturalis cessat in damnatis : Undè si character poneretur inter habitus aut dispositiones, deberet etiam cum illis cessare. Hæc ratio magis constabit ex sequentibus Articulis, ubi ex professo explicabimus huiusmodi characteris indelebilitatem.

Probatur, vel potiùs explicatur secunda pars : Character enim Baptismi ordinatur solummodò ad recipiendum alia sacramenta : Ergo si semel supponatur quòd sit potentia non debet dici nisi potentia passiva, sivè receptiva: è contra character Ordinis nō ordinatur nisi ad conficienda & adiministranda sacramenta: Ergo debet esse potentia activa: Character autem Confirmationis ordinatur ad aliquid agendū, & ad aliquid etiam recipiendum; etenim ordinatur ad recipiendum charactêre Ordinis, & ordinatur etiam ad fidem protestandā: Ergo simul est potentia passiva, & activa. Sed hæc propria hujusmodi sacramentorum munera magis explicabuntur, quando agemus de sacramentis in particulari.

Probatur 2. prima pars, & infertur ex superiùs dictis : etenim diximus in præcedentibus Articulis charactêrem ordinari ad receptionem, vel administrationem sacramentorum : Ergo debet esse potentia physica. Antecedens patet ex iam dictis ; & insuper probatur, quia homo nec ex natura sua, nec etiam ex ipsa gra-

tia ordinatur ad sacramenta sivè recipienda, sivè ministranda: Ergo conveniens fuit ad majorem gloriam Dei, & Christi, & majus bonum Ecclesiæ, & cujuslibet fidelis, quòd daretur aliquid per quod homo ad huiusmodi sacramenta destinaretur: & hoc est ipse character: Consequentia verò probatur: prius est quòd aliquid ordinetur ad substantiam, sivè essentiam alicujus rei, quàm ad modum, aut modificationem ipsius, cum essentia sit id quod est primũ in unaquaque re: ergo Character ordinat hominem ad ipsam sacramenti substantiam, & non ad ipsius modum. Sed iam diximus in primo notabili hanc esse differentiam inter potentiam, & habitum vel dispositionem, quòd habitus, & dispositio concernunt modos effectum; potentiæ verò concernunt solummodò substantiam, & essentiam eorum: Ergo character sacramentalir non est habitus vel dispositio, sed est potentia & quidem spiritualis, ut patet ex præcedenti Articulo: est etiam potentia physica, quia etiam ex dictis constat characterem esse aliquid physicum nobis per sacramenta impressum.

Confirmatur, & explicatur magis hæc ratio: potentia ordinatur ad aliud vel recipiendum, vel producendum indifferenter, sivè benè, sivè malè fiat: habitus autem, & dispositio essentialiter exigunt, quòd aliquid benè fiat, vel sunt causa quòd malè fiat: Undè etiam de virtutibus, quæ sunt habitus, & ad bonum ordinantur, dicitur, quòd nullus malè utitur ipsis, nec uti potest: Sed character respicit sacramenta non determinando eorum receptionem vel productionem sivè ad bonum, sivè ad malum, sed indifferenter se habendo ad utrumque: Ergo nec est habitus, nec dispositio, sed potentia. Minor probatur: nam aliquis uti potest suo charactere & benè, & malè, ita ut nihilominùs subsistat ipsa sacramenti essentia, & substantia; v. g. ille qui habet characterem Sacerdotalem potest celebrare Missam, & conficere Eucharistiam sivè benè, & in statu gratiæ, sivè malè, & in statu peccati mortalis, & nihilominus validum est sacramentum tam à malo, quàm à bono Sacerdote confectum, dummodò adsint aliæ conditiones, ut dicemus in sequenti Quæstione.

ARTICULUS. III.

Solvuntur obiectiones.

Objicitur primò : illud non est potentia, quòd supponit ipsam potentiam respectu sacramentorum: atqui omnis character supponit aliquam potentiam tam activam, quàm passivam respectu sacramentorũ : ergo nullus character est potentia sivè passiva, sivè activa, Major constat in omnibus habitibus, & dispositionibus intellectûs, & voluntatis, qui idcircò habent rationem habitûs, & dispositionis, non autem potentiæ, quia supponunt ipsam potentiam intellectûs, & voluntatis circa propriam objecti sui substantiam, undè non versantur nisi circa modos : Minor etiam probatur : nam omnis character cujuscumque sacramenti supponit in nobis potentiam obedientialem tam ad agendum, quàm ad recipiendum quidquid ipsi Deo placuerit : ergo supponunt potentiam circa substantiam sacramentorum, & non versantur nisi circa modos eorum.

Respondeo, distinguendo majorem : illud non habet rationem potentiæ, quod supponit potentiam positivam, concedo, negativam tantùm, nego : & similiter distinguenda est minor : nam licèt characteres sacramentales supponant in nobis potentiam obedientialem tam activam, quàm passivam, attamen non supponunt eam tanquàm potentiam positivam, sed negativam tantùm, etenim suo loco dicemus quòd potentia obedientialis cujuslibet creaturæ nihil aliud est, quàm ipsa creaturæ entitas cum mera non repugnantia ad recipiendum quidquid Deus ipsi voluerit imprimere, & ad producendum quidquid mediante tali virtute impressa voluerit producere : undè conveniens erat, quòd Christus Dominus præter hujusmodi potentiam obedientialem negativam sivè ad agendum, sivè ad patiendum sacramenta, institueret potentiam positivam tum ad patiendum sivè recipiendum sacramenta, tum ad agendum sivè producedum ipsa, & tales sunt characteres, qui positivè ordinantur ad sacramenta sivè suscipienda, sivè ministranda.

Ex quo patet differentia habituum, & dispositionum intellectûs, & voluntatis; quia supponunt ipsam potentiam intellectivam, & volitivam, quæ non est potentia merè negativa, sivè dicens meram non repugnantiam ad intellectionem, & volitionem, sed est potentia positiva, sivè dicens positivum ordinem, & positivam habitudinem ad intellectionem, & volitionem, quoad substantiam utriusque, prout explicuimus initio præcedentis articuli: undè non est mirum si omnes qualitates superadditæ hujusmodi potentiis sint habitus vel dispositiones, cum tamen characteres sacramentales superadditi potentiæ obedientiali sint veræ potentiæ.

Obijcitur 2. & instatur contra præcedentem solutionem: characteres sacramentales non sunt potentiæ, si supponant potentiam positivam tam ad agendum, quàm ad recipiendum sacramentum: sed illam supponunt: ergo non sunt potentiæ. Major constat ex præcedenti solutione: Minor facilè probatur: etenim dicemus, cum de Baptismo, quòd quilibet etiam non baptizatus, proindéque nullum characterem habens, potest validè, ac licitè, & positivè conferre sacramentum Baptismi in casu necessitatis: similiter positivè, & validè, quamvis non licitè sine charactere confirmationis suscipitur character ordinis: & ille qui baptizatur, non habet characterem ad recipiendum sacramentum Baptismi, aliàs daretur processus in infinitum, quia pro isto charactere imprimendo, prærequisitum esset aliud sacramentum, & pro illo altero adhuc aliud, & sic in infinitum.

Respondeo communi responsione: quòd ille, qui non est baptizatus, potest baptizare non ex officio, sed ex necessitate; & similiter, qui non est confirmatus, potest ordinari, sed non ex officio. Quia nihilominùs hæc solutio non videtur sufficiens, eo quòd juxta ipsam sine charactere sacramentali daretur in nobis potentia positiva tùm ad susceptionem, tùm ad administrationem sacramentorum, quoad eorum substantiam, licet non quoad modum, & quòd absolutè vel recipere, vel administrare sacramenta concernit eorum substantiam; quòd autem utrumque fiat, vel non fiat ex of-

ficio,non concernit nisi modum recipiendi, vel ministrandi hujusmodi sacramenta : ideò relicta hujusmodi solutione.

Respondeo 2. Sine charactere possumus vel recipere, vel ministrare sacramenta quoad substantiam, quantùm est ex ipsa exigentia receptionis, vel administrationis eorum, nego : quantum est ex dispensatione Christi, concedo : quia licet character ordinis, quantum est ex ipsa natura characteris, sit institutus ad ministranda sacramenta quantùm ad eorum substantiam, ita ut sine tali charactere, nulla administratio sacramentorum de jure cõmuni,ut ita loquar,deberet esse vel licita,vel valida;attamen de gratia speciali,& ex favore, & dispensatione cõveniens fuit,quòd respectu Baptismi omnes, in casu necessitatis posset hujusmodi sacramentũ cõferre quia est de necessitate salutis : fuit etiam conveniens quòd Ecclesia per Christum inspirata licèt prohiberet, non tamen irritaret susceptionem ordinis in eo qui non confirmatur recepit ordines, sed tantùm in eo qui eos recepit non baptizatus, propter rationes postmodùm explicandas, quando in particulari agemus de hujusmodi sacramentis.

Ad rationem autem subjunctam,

Respondeo, negando paritatem inter Baptismum & alia sacramenta : Baptismus enim est Janua sacramentorum, & est ratio recipiendi alia sacramenta; undè ex propria ratione sua habet quòd non præsupponat ullum characterem, nec ullum sacramentum, sed sit primum sacramentum quod confertur, ipsiusque character sit primus, qui imprimitur: sicut albedo quia est id per quod paries albificatur, non debet alba fieri per aliam albedinem ; & actio, quia est id ratione cujus causa producit effectum, non supponit aliam actionem;& sic de multis alijs,in quibus constat, quòd non datur processus in infinitum.

Objicitur 3. & urgetur contra præcedentem solutionem : quando aliquid est potentia respectu alterius, illud alterum sine ipso fieri non potest etiam ex dispensatione Dei : v. g. dispensare Deus non potest quòd aliquis sine intellectu intelligat, quòd velit sine voluntate, quòd videat sine potentia visiva : ergo si sacra-

menta confici possunt sine charactere, manifestum est characterem non esse potentiam respectu sacramentorum.

Responderi potest varijs modis, sed alijs solutionibus relictis, videtur dicendum quòd antecedens est verum, quando actiones sunt vitales; falsum autem, quando non sunt vitales: quia v.g. intellectio, volitio, & visio sunt actiones vitales, idcircò indispensabiliter requiritur, quòd ab ipsis potentijs procedant, eo quòd actio vitalis debet esse principaliter à principio intrinseco: at verò receptio, & confectio sacramentorum non sunt essentialiter, & indispensabiliter actiones vitales; undè recipiuntur etiam à parvulis, qui sunt incapaces hujusmodi actionum: & si Christus voluisset sic instituere, potuissent administrari ab adultis sine ulla actione vitali: undè quia actio, quæ non est vitalis, non exigit potentiam vitalem in illo, à quo producitur tanquàm ab instrumento, sed solummodò virtutem instrumentalem dependentem ab altero tanquàm à causa principali, ideò quamvis sit conveniens quòd Christus instituerit, ut ministri sacramentorum habeant characteres tanquàm potentias sacramentorum productivas, ipse tamen Christus Dominus tanquam causa principalis sacramentorum potest uti ministris tanquàm instrumentis, & supplere defectum characteris.

Hæc differentia actionis vitalis, & non vitalis magis constabit, quando explicabimus, cur non possit oculus corporeus elevari ad videndum Deum, benè tamen ignis corporeus ad torquendos Dæmones: constat etiam aliqualiter ex ijs, quæ diximus, cum de causalitate physica sacramentorum in præcedenti quæstione.

Obijcitur 4. & adhuc replicatur contra præcedentem solutionem: confectio, & administratio sacramentorum est essentialiter actio vitalis: ergo si actio vitalis indispensabiliter procedit à potentia vitali, non posset Christus dispensare, quòd sacramenta fierent sine charactere, si character foret potentia respectu eorum. Consequentia patet: Antecedens probatur dicemus enim in sequenti quæstione, quòd si minister sacramentorum non haberet intentionem conficiendi sacramentum, non

solùm sacramentum illud illicitum esset, sed etiam invalidum: ergo sacramentum essentialiter exigit fieri cum intentione humana: sed quidquid fit ex humana intentione, est actio vitalis: ergo.

Respondeo, quòd ex varijs solutionibus hæc videtur eligenda, quòd scilicet sacramenti productio est actio vitalis ex institutione Christi, non autem ex ipsa natura sacramenti: undè idem Christus Dominus, si voluisset, in hoc dispensare potuisset, & facere quòd sacramenta forent valida, licet aliquis sine ulla intentione verba protulisset: non enim est major ratio de receptione, quam de productione: si ergo recipi possunt sacramenta sine intentione, ut patet in parvulis, potuissent etiam conferri sine intentione ab adultis: actio igitur, quæ vitalis est essentialiter, & indispensabiliter: exigit etiam indispensabiliter potentiam vitalem: actio autem, quæ est vitalis, sed tamen dispensabiliter, exigit quidem potentiam vitalem, sed idispensabiliter: sicut enim Christus potest dispensare in hoc, quòd passio, vel actio sacramentalis sit vitalis, ita dispensare potest quòd suscipiatur, vel producatur sacramentum ratione characteris.

Objicitur 5. Quamvis character foret potentia, non tamen potest esse physica: ergo falsa conclusio quoad istam partem. Probatur antecedens: potentia physica cõstitui debet per aliquid physicum sibi intrinsecum, ut ex ipsis terminis constat: sed potentia characteris completur per aliquid morale tantùm, & extrinsecum: ergo non est physica, sed moralis; probatur minor: potentia v. g. quam habet Sacerdos ratione characteris ad absolvendum à peccatis, completur per jurisdictionem datam Sacerdoti ab Episcopo, ita ut si cum charactere absolveret sine tali jurisdictione, absolutio nedùm foret illicita, sed etiam invalida: similiter character ordinis ad administrandum sacramentum Confirmationis completur in simplici Sacerdote per dispensationem Summi Pontificis, ita ut Sacerdos cum tali dispensatione conferre possit confirmationem, quam conferre non posset sine tali dispensatione: sed jurisdictio data ab Episcopo, & dispensatio à Papa est aliquid morale tantùm, & extrinsecum ipsi Sacerdoti, ut per se constat: ergo.

Respondeo cum distinctione: quando potent complerur per aliquid extrinsecum, & morale, tanquàm per rationem constitutivam potentiæ, est moralis tantùm, concedo; tanquam per puram conditionem, sine qua non, nego: quia fieri potest, & fit in proposito, quòd potentia physica qualis est character, dependeat à dispensatione, vel jurisdictione, vel aliquo alio morali, & extrinseco, tanquàm à conditione, sine qua hujusmodi potentia non posset reduci ad actum: sicut dicemus, cum de Confirmatione, & extrema-Unctione, quòd oleum licet sit materia physica, & intrinseca utriusque sacramenti, non foret tamen materia, si non esset benedictum ab Episcopo, quamvis illa benedictio sit aliquid morale tantùm, & extrinsecum: sic etiam dicemus, cum de originali peccato, quòd traductio ipsius ab Adamo in posteros est physica, & tamen dependet ab una conditione, quæ est moralis tantùm, scilicet quòd Adamus fuerit caput morale totius generis humani. Quæ solutio sicut & præcedentes, refundi semper debet in Regulam generalem, quia nempè Christus sic voluit instituere sacramenta ad subordinationem, quæ requiritur in Ecclesia, ut hujusmodi characteres etsi essent potentiæ physicæ, dependerent tamen à conditionibus moralibus.

Objicitur 6. Illud quod determinat ad bonum, non est potentia, sed habitus vel dispositio: sed omnis character determinat ad bonum: ergo. Major constat ex differentia assignata inter potentiam, & habitum vel dispositionem initio antecedentis articuli: minor probatur: omnis character determinat vel ad recipiendum, vel ad administrandum sacramentum: sed receptio, & administratio sacramentorum est magnum hominis bonum; immò est bonum supernaturalis ordinis: ergo omnis character determinat ad bonum.

Respondeo, & est Regula generalis: illud quod determinat ad bonum, physicum tantùm, est habitus, nego; quod determinat ad bonum morale, concedo, & similiter distinguenda est minor: omnis enim character determinat quidem ad bonum physicum etiam supernaturale, scilicet receptionem, vel administrationem saeramentorum, sed indifferenter se habet ad bo-

num morale, quia respectu characteris indifferens est quòd talis receptio, vel administratio fiat benè, vel malè moraliter; & ideò non tollitur ratio potentiæ, nam etiam omnis potentia determinat ad bonum physicum, quia omnis actus cujuslibet potentiæ saltem est ens physicum, ac proindè bonum, physicum enim bonum & ens convertuntur, ut docent communiter Philosophi.

Objicitur 7. & replicatur contra præcedentem solutionem: scientia est habitus, & tamen non determinat nisi ad bonum physicum, & indifferenter se habet ad bonum, vel malum morale, cum possit aliquis benè, vel malè uti scientia, non minùs, quàm charactere; & tamen scientia non est potentia, sed habitus: ergo similiter character non erit potentia, sed habitus, hoc ipso quod determinat ad bonum saltem physicum: Immò ipsa etiam fides, quæ est virtus supernaturalis, potest compati statum peccati mortalis non minùs quàm character, & tamen propterea non est potentia, sed habitus: ergo idem dicendum est de charactere.

Respondeo, quòd scientia, & fides determinant ad bonum physicum quoad modum, & non quoad substantiam, quia omnis habitus, & omnis virtus sivè naturalis, sivè supernaturalis, sivé in intellectu subjectetur, sivè in voluntate, supponit utramque potentiam capacem attingendi suum objectum, scilicet verum, & bonum quoad substantiam, & determinat quoad modum, sivè facit quòd tali, vel tali modo attingat ipsum: at verò character determinat tam quoad substantiam, quàm quoad modum ad ipsum bonum physicum quia ut jam diximus, nullam supponit potentiam positivam in subjecto ad receptionem, vel admidistrationem sacramentorum: undé quamvis scientia, fides, & aliæ hujusmodi qualitates sint habitus, nihilominùs character est potentia.

Objicitur 8. character Baptismi non est potentia passiva: ergo falsa conclusio quoad istam partem. Probatur antecedens: omnis potentia passiva debet in se recipere illud, respectu cujus dicitur potentia: sed in charactere Baptismi nihil prorsùs recipitur; non quidem ipsum sacramentum, quod cum sit corporeum,

applicatur

applicatur ipsi corpori; neque gratia sacramentalis, quæ recipitur in anima, neque etiam alij characteres, quia non est credibile unum characterem esse, ut ita loquar, supra alium: ergo character Baptismi non est potentia passiva.

Respondeo, prætermissis aliis solutionibus, negando quòd sit de ratione potentiæ in se recipere semper illud respectu cujus dicitur potentia, sed sufficit quòd reddat subjectum capax illud recipiendi, ita ut sine ipso recipi non posset.

Vel adhuc meliùs respondetur in forma: debet potentia passiva recipere illud, respectu cujus dicitur potentia, distinguo, debet recipere ut quod, sivè esse id, quod recipit, nego; debet recipere ut quo, sivè esse id, quo mediante, sivè ratione cujus aliud recipitur, concedo: character autem Baptismi licèt non sit id quod recipit alia sacramenta, est tamen id quo, sivè ratione cujus alia sacramenta recipiuntur, ita ut subjectum sine tali charactere Baptismi sit omninò incapax recipiendi ullum aliud sacramentum. Exemplum hujus solutionis sumitur ex Aristotele in prædicamentis, capite de qualitate, ubi docet, quòd mollities in cera est potentia passiva, seu receptiva figuræ, aut characteris impressi à sigillo, & tamen character, quem sigillum imprimit, non recipitur in ipsa mollitie, sed tantùm in ipsa substantia ceræ, quia licèt cera nequeat hujusmodi characterem recipere nisi quando est mollificata, ipsum tamen retinet postea quando est indurata: sufficit igitur ad rationem potentiæ passivæ, quòd sit id, ratione cujus aliud recipitur, quamvis ipsum non recipiat.

Objicitur 9. character Confirmationis non erit potentia passiva, si sit vera solutio jam data: ergo falsa est. Probatur antecedens: nam diximus, quòd sine charactere Confirmationis potest recipi character Ordinis validè, quamvis non licitè: ergo character Confirmationis non recipit characterem Ordinis nec ut quod, nec ut quo, quandoquidem sine ipso recipi potest.

Respondeo, negando antecedens: ad cujus probationem est Regula generalis: sine charactere Confirmationis recipi potest character Ordinis, distinguo, recip

pi potest simpliciter, concedo; ministerialiter, ut ità loquar, nego: idest, simpliciter, & absolutè loquendo, verum est, quòd non confirmatus potest recipere Ordines, si non licitè, saltem validè; sed falsum est, quòd ille, qui non est confirmatus, recipiat Ordines tanquàm minister deputatus ab Ecclesia ad eorum receptionem: per ipsum autem characterem Confirmationis deputatur quis minister Ecclesiæ capax, si velit, Ordines recipere, & ad hujusmodi ministerium character determinat hominem baptizatum tam quoad substantiam quàm quoad modum, quia in ipso charatere Baptismi nullo modo includitur ratio talis ministerij: & sic character habet rationem potentiæ passivæ, sivè receptivæ.

Objicitur 10. Character non est potentia activa, quia illud non est activa potentia, sine quo res fieri potest: sed sine Charactere Confirmationis fieri potest illud omne ad quod ordinatur character: ergo. Major constat: probatur minor: character Confirmationis ordinatur ad publicam fidei protestationem, & defensionem: sed unusquisque etiamsi non fuerit confirmatus, potest auxilio solius fidei eam publicè protestari, & defendere: ergo.

Respondeo, distinguendo ultimam propositionem, & simul assignando regulam generalem: unusquisque potest per fidem, sine charactere Confirmationis, ipsam protestari, & defendere publicè, ex virtute, concedo; ex officio, nego: sivè ut dicebamus in præcedenti solutione, hoc potest unusquisque præstare virtuosè, sed non ministerialiter: idest, non potest aliquis non confirmatus publicè protestari, & defendere fidem, tanquàm minister ab Ecclesia deputatus ad hujusmodi officium, quamvis hoc possit tanquàm homo virtuosus ex ipsius virtutis fidei inclinatione. Exemplum hujus solutionis egregium habemus ex D. Thoma; potest aliquis dupliciter arma gerere vel ad sui defensionem, vel ad defensionem Reipublicæ: potest quidem unusquisque arma gestare pro sui defensione, sed non possunt arma gestari pro Reipublicæ defensione nisi ab illis, qui sunt designati milites sivè per characterem physicum, ut antiquitùs designabantur, sivè per characte-

tem moralem, ut modò designantur: ita, quòd aliquis fidem defendat, quantum expedit ad salutem propriam hoc habet quilibet fidelis ex inclinatione ipsius virtutis fidei. sed quòd fidem defendat propter salutem aliorum, quando sic exigit necessitas, vel utilitas Ecclesiæ, hoc non habetur nisi per characterem Confirmationis.

Objicitur 11. & replicatur contra præcedentem solutionem; facere aliquid ex officio, non concernit substantiam, sed modum operis: sed jam diximus illud omne, quod non concernit substantiam, sed tantùm concernit modum operis, non esse potentiam, sed habitum: ergo semper manet quòd character Confirmationis, quantùm ad fidei protestationem, non sit potentia, sed habitus.

Respondeo, & est alia regula generalis: facere ex officio concernit modum, & non substantiam operis, ex parte objecti, concedo; ex parte subjecti nego: potentia autem concernit substantiam operis ex parte subjecti, habitus verò ex parte ejusdem subjecti concernit modum: id est, quòd sine charactere Confirmationis nec quoad modum, nec quoad substantiam exerceri potest hoc officium, sivè ministerium Ecclesiæ, nempè fidem protestari, eamque defendere pro aliorum salute, quamvis ipsa fidei protestatio, & defensio quoad substantiam fieri possit per solam virtutem fidei sine charactere Confirmationis.

Objicitur 12. Si character Baptismi, vel Confirmationis foret potentia passiva, quia sine ipso recipi non possũt alij characteres, nec alia sacramenta; sequeretur, quòd etiam quantitas foret potentia passiva, quia sine ipsa non potest substantia corporea recipere alia accidentia: sed nullus unquàm Philosophus dixit quantitatem esse potentiam passivam: ergo hæc ratio nulla est.

Respondeo, negando suppositum, quia quando dicimus characterem Baptismi, & Confirmationis esse potentiam passivam, supponimus characterem esse in prædicamento qualitatis, potentia enim est una ex quatuor speciebus qualitatis, quia nihil potest esse in aliqua specie, nisi sit in illo genere, sub quo immediatè ponitur hujusmodi species: cum igitur quantitas constituat

speciale prædicamentum diversum à prædicamento qualitatis, non est mirum, si non ponatur in aliqua specie qualitatis.

Objicitur 13. & replicabis contra præcedentem solutionē; Calor est vera qualitas, sine qua nec ignis agere posset, nec lignum suscipere formam ignis; & tamen calor non dicitur potentia activa ipsius ignis, nec etiam potentia passiva ipsius ligni: ergo similiter character nec debet vocari potentia activa, nec passiva, quamvis sine ipso nec recipere sacramenta possimus, nec ipsa conficere.

Respondeo etiam cum regula generali: quòd calor dici potest in igne potentia activa, & in ligno potentia passiva, non minus, quam instrumentum dicatur activa potentia, & mollities ceræ potentia passiva, ut supra notavimus ex Aristotele, nihilominùs ad differentiam eorum, quæ concernunt agentia libera, & vitalia, ab illis quæ concernunt agentia necessaria, & non vitalia, calor respectu ignis non dicitur potentia activa, sed virtus instrumentaria, & respectu ligni non dicitur potentia passiva, sed ultima dispositio.

Objicitur 14. Omnis potentia activa debet concurrere ad productionem illius, respectu cujus dicitur potentia: sed character Sacerdotalis non concurrit ad productionem sacramenti Eucharistiæ, vel gratiæ sacramentalis: ergo non est potentia activa. Probatur minor: quia character nihil contribuit ad transubstantiationem, sed sola verba consecrationis illam operantur: similiter nihil contribuit ad gratiam sacramentalem, sed solummodò ipsum sacramentum per virtutem divinam elevatum habet producere prædictam gratiam: ergo.

Respondeo, charactêrem esse instrumentum Christi Domini ad confectionem Eucharistiæ: & aliorum sacramentorum, & etiam gratiæ sacramentalis, ita ut idem omninò dicendum sit de charactere Sacerdotali respectu sacramentorum, ac de ipsis sacramentis respectu gratiæ: sicut enim supra diximus, sacramenta causare physicè gratiam per virtutem divinā sibi impressam toties quoties gratia producenda est; ita dicimus prædictum characterem esse instrumentum physicum, quod per virtu-

tem divinam ſibi impreſſam toties elevatur,& applicatur, quoties aliquod ſacramentum eſt producendum; immò idem character ſimul cum ipſo ſacramento concurrit tanquam inſtrumentum phyſicum ad productionem gratiæ ſacramentalis.

Obijcitur 15. Saltem alij characteres ordinum inferiorum, ut Diaconatûs,& Subdiaconatûs, nihil effectivè producunt: ergo non ſunt potentia activa. Conſequentia videtur evidens: Probatur antecedens, quia hujuſmodi characteres Diaconatûs, & Subdiaconatûs non reddunt ſuum ſubjectum capax producendi ullum ſacramentum: ergo nihil effectivè contribuunt ad confectionem ſacramentorum.

Reſpondeo, omnes hujuſmodi characteres ordinum inferiorum eſſe potentias quaſdam imperfectas in ratione charactêris; undè non ſunt potentiæ activæ ad confectionem ſacramentorum, ſed ſolummodò potentiæ activæ ad exercitium officiorum ſibi correſpondentiũ; v.g. character Subdiaconatûs eſt potentia activa reſpectu officij Subdiaconi, quia nullus niſi ordinatus in Subdiaconum poteſt facere ex officio id, quod Subdiaconus facit: ſicut igitur ſupra diximus, characterem Baptiſmi,& Confirmationis eſſe potentiam paſſivam, quia ſine ipſo alia ſacramenta non poſſunt recipi ſaltem ex officio, ita dicimus characterem cujuſlibet Ordinis eſſe potentiam activam, quia ſine ipſo non poteſt exerceri talis Ordo ex officio.

Obijcitur 16. facere aliquid ex officio, non concernit ſubſtantiam operis, ſed tantùm modum ipſius: ſed illud quod concernit modum, & non ſubſtantiam, non eſt potentia, ſed habitus: ergo ſemper manet characterem non eſſe potentiam, ſed habitum. Minor conſtat: Major probatur: quia rem aliquam abſolutè fieri, dicit ſubſtantiam operis: quòd autem fiat, vel non fiat ex officio, dicit ſolùm quòd fiat, vél non fiat tali modo: ergo.

Reſpondeo, ad plenam ſolutionem hujus objectionis, & aliquarum ex præcedentibus, diſtinguendo: fieri, vel non fieri ex officio nón concernit ſubſtantiam, ſed modum, ſi conſideremus ipſum opus abſolutè, concedò; ſi conſideremus in ordine ad bonum privatum, vel publicum, nego: character igitur ſuppo-

ponit substantiam operis quantùm ad bonum privatum, sed respicit operis substantiam quantùm ad bonum publicum: ita expressè D. Thomas 4. sententiarum, distinctione 7. quæstione 2. articulo primo; ubi ait quòd *Ad confitendam fidem in ordine ad se & ad propriam salutem non requiritur character, benè tamen ad ipsam confitendam in ordine ad bonum publicum, & ad salutem aliorum.*

Quæ solutio ut pleniùs intelligatur, & simul tollatur omnis scrupulus qui superesse posset circa præcedentes solutiones, advertendum est, quòd sicut docent communiter Theologi, hæc est differentia inter gratiam Christi, & omnium aliorum hominum, quòd cum Christus sit caput nostrum, gratia Christi nedùm est pro ipso Christo, sed etiam primariò, & principaliter pro aliorum salute: gratia verò cujuslibet hominis non est primariò, & principaliter nisi pro ipsius sanctificatione, & salute, secundariò autem, & minùs principaliter pro sanctificatione, & salute proximorum: character verò cum sit participatio, & emanatio Sacerdotij Christi, per se primò, & principaliter ordinatur ad bonum totius Ecclesiæ: undè illud omne, quod fit per ipsum characterem, concernit generale bonum Ecclesiæ; & sic omnes ordines conferunt characterem, ut suo loco dicemus, quando est exercendum aliquod officium ipsi Ecclesiæ necessarium.

Quod autem sufficiat ad rationem potentiæ respicere opus quoad substantiam secundùm aliquam rationem generalem, quamvis supponatur quoad eamdem substantiam secundùm rationem aliquam particularem, manifestè constat in sensibus externis, & sensu communi: etenim sensus communis non est minùs potentia, quàm quilibet sensus externus; & tamen supponit, quòd sensus externus respiciat sensatum secundùm rationem particularem, ipse verò respicit idem sensatum secundum rationem communem, ut docent Philosophi: similiter quamvis character supponat, quòd opus suum quoad substantiam respiciatur ab aliquibus virtutibus secundùm aliquam rationem particularem, sivè propter bonum proprium, & salutem propriam illius, qui operatur; quia tamen character

respicit idem opus quoad substantiam secundùm rationem communem, sivè bonum commune Ecclesiæ, & salutem aliorum: idcircò semper manet quod sit vera potentia.

ARTICULUS IV.

In quo subiecto recipiatur Character.

Advertendum est, quòd duplex est subjectum potentiæ: aliud est subiectum quod, mediatum, & radicale: aliud subjectum quo, immediatum, & proximum: certum est, quòd subjectum radicale, mediatum, & quod operatur, est ipsa substantia animæ: undè substantia animæ in hoc sensu est subjectum characteris. Sed difficultas est de subjecto quo, proximo, & immediato; sivè quid sit illud, quo mediante exercetur character, & ratione cujus immediatè producitur effectus characteris.

Conclusio: Character proximè, & immediatè subjectatur in intellectu. Ita D. Thomas, omnes Thomistæ, & omnes alij Theologi qui explicant essentiam characteris, sicut ipsam nos explicatam reliquimus in articulo præcedenti.

Probatur, & infertur ex dictis: Character est potentia ad cultum Divinum ordinata: ergo residere debet, ubi primariò, & per se residet cultus Divinus, quatenùs respicitur à charactere: sed cultus Divinus, quatenùs respicitur à charactere, residet in intellectu: ergo etiam character debet in intellectu subjectari. Totum argumentum constat, præter minorem subsumptam, quæ sic probatur: Fides est veluti substantia cultus Divini, prout respicitur à charactere: sed certum est, fidem residere in intellectu: ergo etiam character in intellectu residere debet: Minor constat ex tractatu de Fide: Major autem probatur: Character ordinatur ad cultum Divinum, quatenùs per ipsum Ecclesia constituitur, sivè congregatio fidelium, & illi qui pertinent ad Ecclesiam discernuntur per ipsum ab alijs non pertinentibus ad Ecclesiam, sivè fideles ab infidelibus:

diximus enim initio hujus quæstionis, quòd utrumque hoc munus pertinet ad characterem: sed fides est forma constituens Ecclesiam, ut dicitur in tractatu de Fide, proindeque discernens eos qui ad Ecclesiam pertinent, ab illis qui non pertinent ad ipsam: ergo fides respicit cultum Divinum eodem modo, quo character, & ideò in eodem subjecto recipi debet, scilicet in intellectu.

Obijcitur 1. Potentiæ recipiuntur immediatè in ipsa animæ substantia, ut docent Philosophi: ergo, si character est potentia, immediatè recipi debet in ipsa anima, & non in intellectu.

Respondeo, & est regula generalis, distinguendo antecedens: Potentia naturalis recipitur in anima, concedo; potentia supernaturalis, nego: character autem non est potentia naturalis, sed supernaturalis: ratio discriminis est, quia potentiæ naturales dimanant à substantia animæ, tanquam proprietates ab essentia: undè non est mirum, si in ipsa recipiuntur: sed potentiæ supernaturales non dimanant à substantia animæ tanquàm ipsius proprietates, sed dantur ad hoc ut potentiæ naturales eleventur ad productionem effectus supernaturalis; & ideò recipi debent non in ipsa substantia animæ, sed in ipsâmet potentia, quæ debet producere effectum supernaturalem; sicut character recipitur in intellectu, ad hoc ut producat Divinum cultum, quantum ad substantiam, & essentiam hujusmodi cultus.

Obiicitur 2. & replicatur contra præcedentem solutionem: Si character subjectatur in illis potentiis, quæ ordinantur ad cultum Divinum, non solùm subjectari debet in intellectu, sed etiam in voluntate, & in potentiis, & membris ipsius corporis, quia totus homo & quoad intellectum, & quoad voluntatem, & quoad omnes potentias ordinatur ad cultum Divinum: igitur non in solo intellectu, sed in aliis etiam potentiis subjectatur, character sacramentalis.

Respondeo, & est altera regula generalis, distinguendo illam propositionem; Totus homo quoad omnes potentias ordinatur ad cultum Divinum, quantùm ad essentiam, & substantiam hujusmodi cultus, nego,

Quantùm ad statum, perfectionem, & complementum, concedo : character autem ordinatur ad cultum Divinum secundùm solam essentiam , & substantiam hujusmodi cultus , & non secundùm statum , perfectionem , & complementum ipsius , quia ut diximus in præcedenti articulo , character est potentia destinata ad solam essentiam cultus Divini,& non ad hoc ut talis cultus benè, vel malè fiat : quia igitur per exercitium fidei divinus cultus exercetur quoad substantiam,quamvis non exerceatur secundùm totam perfectionem nisi præter fidem habeamus etiam charitatem, & tam corpus, quàm animam consecremus Deo,idcircò licèt cultus Divinus quantùm ad suam perfectionem , & complementum, præter fidem quæ est in intellectu, exigat charitatem, quæ est in voluntate, & alias virtutes,quæ sunt in aliis potentiis tam corporis, quàm animæ; quia tamen essentia cultus Divini solam fidem exigit in intellectu residentem,idcircò character in solo intellectu residet.

Obijcitur 3. Ea quæ sunt in intellectu , dantur ad cognoscendum , & non ad operandum : sed character, è contra, datur non ad cognoscendum, sed ad operandum ; non enim nobis inservit character ad hoc ut cognoscamus sacramenta , sed ad hoc ut ea conficiamus , & administremus : ergo non residet in intellectu.

Respondeo,& est tertia generalis regula, distinguendo majorem : Quæ sunt in intellectu, speculativo,dantur ad cognoscendum , & non ad exequendum , concedo : quæ sunt in intellectu , practico, nego : undè quia character datur non ad cognoscendum, sed ad operandum , sivè ad conficienda, & administranda sacramenta,& non ad ipsa cognoscenda, ideò non subjectatur in intellectu speculativo , sed in intellectu practico , sivè non est in intellectu ad speculationem, & considerationem eorum , quæ concernunt cultum Divinum , hoc enim est proprium munus fidei , sed ad praxim , sivè executionem eorum , & hoc est proprium munus characteris.

ARTICULUS V.

An, & quare Character sit indelebilis.

Supponendum est, quòd omnes Theologi unanimi consensu docent, characterem sivè Baptismi, sivè Confirmationis, sivè cujuslibet ordinis esse omninò indelebilem, & semel impressum remanere per totam æternitatem sivè in hominibus justis, sivè in peccatoribus, sivè in prædestinatis, sivè etiam in damnatis: sed in assignanda ratione hujusce indelebilitatis maxima est difficultas inter alios Theologos, qui constituunt characteris essentiam vel in habitu, vel in dispositione, vel in alijs hujusmodi; sed facilis est resolutio difficultatis in sententia Thomistarum, & aliorum Theologorum, qui cum D. Thoma dicunt, characterem esse potentiam, ut constabit ex conclusione, quam ponimus.

Conclusio: Character sacramentalis est omninò indelebilis, quia est potentia.

Probatur 1. Hæc est differentia inter habitus, & dispositiones ex una parte, & potentias ex altera, quòd potentiæ semper manent, licèt habitus, & dispositiones corrumpantur: v. g. habitus, vel dispositio scientiæ corrumpitur per ignorantiam, & similiter habitus, vel dispositio virtutis corrumpitur per vitium; sed intellectus, & voluntas, quia sunt potentiæ, nullatenùs corrumpuntur, sed semper in homine remanent. Sivè sit doctus, sivè ignarus, sivè virtuosus, sivè vitiosus: cum igitur ordo supernaturalis non destruat ordinem naturalem, sed ipsum perficiat, dicendum est, quòd similiter illa, quæ in ordine supernaturali habent rationem habitûs, vel dispositionis, corrumpi, vel perdi possunt propter varias rationes, sed illa quæ habent rationem potentiæ, nunquàm corrumpuntur, sed semper manent in quocumque statu homo ponatur: sequitur ergo, quòd cum character habeat rationem potentiæ, non autem habitûs, vel dispositionis, remanere debet in hominibus, sivè fuerint justi, sivè peccatores, sivè prædestinati, & beati, sivè reprobi, & damnati: quamvis

in hominibus justis, & prædestinatis remaneat character ad majorem ipsorum gloriam, in peccatoribus verò, & damnatis remaneat ad majorem ipsorum ignominiam.

Probatur 2. ratione D. Thomæ: Destructio alicujus rei vel provenit ex parte ipsius, vel ex parte subjecti, vel ex parte alicujus oppositi, vel ex parte Dei; nulla est destructio, quæ non proveniat ex aliquo horum quatuor capitum, ut inductione patet in omnibus rebus: sed character destrui non potest neque ex parte sui, quia est potentia spiritualis, res autem spirituales ex natura sua sunt incorruptibiles, ut dicitur in tractatu de Angelis: neque etiam ex parte subiecti, quia subjectum charactêris est intellectus, qui est similiter spiritualis, neque etiam ex parte alicuius oppositi, quia licet habitus, & dispositiones habeant oppositum quemadmodum vidimus in exemplis superiùs ablatis, nam scientiæ opponitur error, & virtuti vitium; attamen potentiæ nihil habent sibi oppositum, nam intellectui, & voluntati nihil opponitur; cum igitur character sit potentia, non potest habere aliquid oppositum, & ita destrui nequit ex parte alicuius oppositi: tandem destrui non potest ex parte Dei, quia Deus nihil destruit nisi illud, quod ex natura sua est obnoxium destructioni, sed semper conservat illud, quod ex natura sua est incorruptibile, sicut patet in cœlis, & Angelis, qui semper conservantur à Deo, quia ex natura sua sunt incorruptibiles. Igitur character ex nulla parte destrui potest, & ideò semper manet.

Obijcitur: fides, & omnes gratiæ gratis datæ, & omnia dona supernaturalia cessant in hominibus damnatis in ipso instanti damnationis: tum quia damnati sunt indigni omni beneficio Dei, & omnia dona supernaturalia sunt specialia Dei beneficia: tum quia damnati sunt incapaces exercendi aliquod ex huiusmodi donis, ideò cessant in ipsis tanquàm inutilia: ergo similiter character cum sit donum supernaturale, cuius damnati sunt indigni, & quod exercere nequeunt in statu damnationis, debet in eis cessare.

Respondeo, cum distinctione, & est regula generalis: Cessat donum supernaturale in hominibus dam-

natis, quod habet rationem habitûs, vel dispositionis, concedo; quod habet rationem potentiæ, nego: & quia charactêr habet rationem potentiæ, ideò remanet in damnatis, licèt sit donum supernaturale, & speciale Dei: ratio est, quia inter habitum, & dispositionem ex una parte, & potentiam ex altera, hæc est differentia, quòd quando aliquis se præbet indignum habitûs, vel dispositionis, cessat hujusmodi habitus, vel dispositio; sicut ille, qui est virtuosus, si vitiosè operetur, reddit se indignum uirtutis, & ideò corrumpitur habitus virtutis in illo; sed potentia hoc habet quòd semper maneat in subiecto, quantumvis se præbeat indignum ipsius; sicut licet aliquis malè utatur voluntate sua, quando peccat, propterea non corrumpitur eius voluntas, sed semper in eo manet non obstante quocumque peccato, & quocumque vitio: similiter licet habitus, vel dispositio aliquando pereat ex eo, quòd non exercetur, & inutilis est in subiecto; nihilominùs potentia nunquàm perit, quantumvis sit inutilis, & non exerceatur, sicut scientia, quæ est habitus, perit, si non exerceatur frequenter; sed intellectus, qui est potentia nunquàm periret, etiam si nunquàm exerceretur. Cum igitur character non sit habitus, vel dispositio, sed potentia, quantùmvis damnati sint ipsius indigni, & quantùmvis sit in eis inutilis, cum ab ipsis exerceri non possit, nihilominùs semper in eis remanet, & sic character est semper indelebilis in quocumque subiecto, & in quocumque statu.

ARTICULUS. VI.

Complementum huius quæstionis.

Quæres, quid sit res, sacramentum, & res sacramenti, & sacramentum, & res simul?

Respondeo in paucis; illud esse sacramentum, quod est signum rei sacræ, ut diximus initio Tractatûs: & illud esse rem sacramenti, quod est ipsa res, quæ per sacramentum producitur: & illud esse sacramentum, & rem simul, quod simul ac semel habet significare

sicut sacramentum, & produci sicut rem sacramenti v. g. in sacramento Baptismi, ipsa ablutio, cum verbis, quæ abluendo proferuntur, habet purè, ac præcisè rationem sacramenti, quia est signum effectuum, qui producuntur in administratione hujus sacramenti: gratia verò sanctificans purè ac præcisè est res sacramenti, sivè res per sacramentum producta, & nihil aliud significans: Sed character simul ac semel est sacramentum, & res sacramenti, quia est ipsa res, sivè effectus per sacramentum productus, sicut gratia; & insuper est signum rei sacræ sicut ipsum sacramentum, quia ut diximus in præcedentibus Articulis, significat, sanctificat eos, qui pertinent ad Ecclesiam, & ipsos distinguit ab aliis, qui non pertinent ab ipsam.

QUÆSTIO V.

De Causis Sacramentorum.

CAusæ Sacramentorum sunt Deus, & Christus Dominus, & homo purus. Deus est causa principalis, sed ut homo est causa instrumentalis: & homo purus est etiam purum instrumentum. Humanitas autem Christi est instrumentum conjunctum, sed homo purus sivè minister sacramentorum est instrumentum separatum: Sicut enim v. g. quando artifex conficit artefactum, manus artificis est instrumentum ipsi conjunctum, securis verò est instrumentum separatum: Ita Humanitas Christi est instrumentum unitum ipsi Deo ut causæ principali, & minister sacramentorum est instrumentum separatum. Incipiemus autem à difficultatibus, quæ concernunt ministrum Sacramentorum, quia sunt majoris momenti.

ARTICULUS I.

Utrum ad validitatem Sacramenti requiratur intentio ministri.

Advertendum est, quòd inter attentionem, & intentionem hæc est differentia, quòd ut minister sit attentus, debet advertere ad omnia, quæ facit, si non formaliter, & expressè, saltem virtualiter, & implicitè: Sed ad intentionem sufficit, quòd licèt non attendat ad ea, quæ facit, sed sit distractus, sivè voluntariè, sivè involuntariè, nihilominùs initio administrationis sacramentorum habuerit intentionem ipsa administrandi, & hujusmodi intentionem postea non revocaverit. Quærimus in proposito, utrùm saltem intentio faciendi, quod facit Ecclesia, sit necessaria in ministro sacramentorum, ad eorum validitatem.

Conclusio: Ut validum sit sacramentum, necessaria est intentio interior in ministro, quâ intendat facere, quod facit Ecclesia. Ita omnes D.D. Catholici post D. Thomam 3. parte, quæstione 64. articulo 8. Et fuit hæc conclusio definita in Concilio Tridentino sessione 7. Canone 11. de Sacramentis in genere, ubi dicitur, *Si quis dixerit in ministris dum sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit.*

Probatur 1. ratione D. Thomæ in Articulo 8. jam citato, & simul infertur ex dictis: Minister hujus sacramenti est instrumentum causæ principalis non qualecumque, sed animatum, & rationale: quamvis autem in instrumentis, quæ sunt inanimata, & irrationalia, non requiratur intentio producendi effectum, sed sufficiat sola motio agentis; requiritur tamen hujusmodi intentio in instrumento rationali, quia homo nequit rationaliter agere, nisi habeat saltem intentionē faciendi, quod faciendū est, quandoquidem intentio est primus actuum humanorum, sine quo nullus alius actus dari potest, qui sit humanus, sivè proprius hominis ut homo est, juxta ea quæ dicta sunt in tracta-

ta de Actibus Humanis : Ergo intentio illa est absolutè loquendo necessaria.

Probatur 2. altera ratione ejusdem Doctoris Angelici : Quando actiones sunt indifferentes necesse est quòd determinentur ad hoc ut producant effectum determinatum ; nam ex causâ indifferenti, quâ tali nihil determinatè sequitur, juxta commune axioma Philosophorum : sed materia, & forma Sacramentorum est indeterminata vel ad effectus sacramentales, vel ad alios effectus ; v. g. ablutio in Baptismo, quæ est ejus materia, & hæc verba, Ego te baptizo, quæ sunt ejus, forma, possunt vel significare ablutionem solummodò corporalem, vel etiam spiritualem, & sacramentalem : debet ergo talis indifferentia tolli per intentionem ministri intendentis producere effectum sacramentalem potiùs, quam alterum.

Objicitur primò : In Canone, Dedit q. 1. referuntur hæc verba Augustini, *Quos baptizat ebrius baptizat Christus* : Sed si Christus baptizat, validum est sacramentum ; & tamen si baptizat ebrius, constat, quòd minister non habet intentionē ministrandi Baptismum, cum in ipsa ebrietate sit incapax talis intentionis : Ergo potest validum esse sacramentum sine intentione ministri.

Respondeo, hunc locum esse vitiatum, nec haberi in D. Augustino, baptizat *ebrius*, sed *ebriosus*, inter quos terminos notabilis est differentia, quia ille dicitur *ebrius* qui est in actuali ebrietate : *ebriosus* autem dicitur ille, qui est obnoxius ebrietati, quamvis non sit tunc de facto ebrius : Vult igitur D. Augustinus quòd licèt minister sit *ebriosus*, dum modò non sit actualiter *ebrius*, sed habeat intentionem faciendi quod facit Ecclesia, validum est sacramentum quia ut dicemus postea, ad validitatem sacramentorum non requiritur bonitas, aut sanctitas ministrorum, sed sufficit prædicta intentio faciendi quod facit Ecclesia : Et hæc est Regula generalis ad explicanda plura Sanctorum Patrum testimonia.

Quòd autem hæc sit vera mens D. Augustini, ex eo convincitur quòd in tractatu 5, in Joannem (ex quo tractatu desumptus est canon ille citatus) sic loquitur

Augustinus, *Quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si Baptismus Christi erat, Christus baptizavit: Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam, quia Columbam attendo, per quam mihi dicitur, Hic est qui baptizat:* Quibus verbis constat Divum Augustinum velle solùmmodò, quod ministri quantùmvis mali verum conficiunt sacramentum, dummodò habeant intentionem faciendi qud Christus mandavit faciendum, proindéque etiam faciendi, quod facit Ecclesia.

Objicitur 2. authoritas D. Thomæ in Articulo jam citato in responsione ad secundum argumentum, ubi refert duas sententias, quarum prima exigebat intentionem mentalem in ministro, altera verò existimabat sufficere, quòd minister exteriùs proferret verba, juxta formam ab Ecclesia præscriptam: & videtur Sanctus Doctor rejicere primam sententiam, & sequi secundam: Ergo ex mente D. Thomæ non est necessaria in ministro intentio interior, sivé mentalis, faciendi quod facit Ecclesia; sed sufficit quòd exteriùs minister ea omnia præstet, quæ Ecclesia præcipit: ita ut v. g. si cum aqua elementali baptizet proferendo hæc verba *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, sivè postmodùm habeat, sivè non habeat intentionem baptizandi, validum sit Sacramentum.

Respodeo, quòd si objectio D. Thomæ conferatur cum ipsius responsione, mens ejus fiet manifesta: Objicit enim D. Thomas, quòd si requiratur intentio ministri ad Sacramenti validitatem, nullus poterit esse certus, quòd sacramentum receperit, quia nullus potest esse certus quòd minister intentionem habuerit: Et respondet, intentionem mentalem non esse requisitam; sed sufficere quòd minister servet circa materiam, & circa formam illud omne, quod præscribit Ecclesia: Vult igitur D. Thomas, ad hoc ut moraliter certi simus, & conscientia nostra non inquietetur, sufficere quòd minister fecerit exteriùs id quod Ecclesia præcipit: tunc enim credere debemus, quòd interiùs etiam fecit id quod mandat Ecclesia fieri, nempè quòd ha-

buit intentionem administrandi Sacramentum, sicut præcipit Ecclesia.

Quòd autem hæc sit mens D. Thomæ, patet ex eadem 3. parte, & eâdem quæstione 64. articulo decimo, ubi ait, *Dicendum quòd intentio ministri potest perverti dupliciter, uno modo respectu ipsius Sacramenti, cùm aliquis non intendit sacramentum conficere, sed derisoriè aliquid agere; & talis perversitas tollit validitatem sacramenti, præcipuè quando suam intentionem exteriùs manifestat.* Ex quibus verbis constat D. Thomam velle, quòd ad veritatem, seu validitatem sacramenti necessaria est intentio nedùm exterior, sivè exteriùs manifestata, sed etiam interior, sivè in mente concepta.

Objicitur 3. Episcopus antequam ordinet, protestatur se non habere intentionem ordinandi eos, qui sunt excommunicati, vel non habent ætatem legitimam, vel non habent dimissorias ab Episcopo suo: Et tamen isti omnes sunt ordinati: Ergo sine intentione ministri sacramenta possunt esse valida. Major patet ex Rituali Episcoporum, & ex praxi communi: Minor probatur: Illi, qui sic ordinati sunt, solummodò suspenduntur ab executione ordinum, sed non reordinantur: Sed si ordinatio eorum non fuisset valida, iterum ordinari deberent: Ergo iuxta communem Ecclesiæ sensum validè ordinati fuerunt.

Respondeo, hujusmodi protestationem, quæ habetur in Rituali Episcoporum esse solùmmodò comminatoriam, sivè ad hoc ordinari, ut Episcopus diligenter inquirat, an sint aliqui indigni ordinibus, ut eos excludat, si possit dignoscere: factâ tamen diligenti perquisitione, si eos non agnoscit, tenetur habere intentionem quā ab ipso exigit Ecclesia, & quia Ecclesia exigit, ut suppositâ tali perquisitione, eos omnes ordinet, quos habet præsentes, ideò valida est eorum omnium ordinatio.

Ut meliùs intelligatur ista Responsio, & assignetur Regula generalis ad solvendas similes objectiones, advertendum est, quòd sicut suo loco explicarimus, datur in omnibus rebus triplex inclinatio: prima particularis ad bonum proprium: secunda generalis ad bonum commune: tertia generalissima ad bonum Divi-

num: v. g. Aqua secundùm inclinationem particularem, & bonum proprium descendit, & tendit ad centrum terræ; sed secundùm inclinationem generalem propter bonum Universi ascendit sursùm quando impediendum est vacuum; & secundùm inclinationem generalissimam parata est facere, quidquid vult Deus per ipsam fieri. Ita similiter in ministro sacramentorum distinguere possumus triplicem intentionem; primam particularem, faciendi quod ipse existimat esse faciendum; secundam generalem, faciendi quod facit Ecclesia; tertiam generalissimam, faciendi quod Christus fecit: Et sicut in omnibus rebus inclinatio generalis prævalet particulari inclinationi, & generalissima prævalet utrique; undè aqua contra inclinationem particularem, secundùm quam descendere debet, ascendit tamen iuxta generalem inclinationem ad impediendum vacuum, & contra utramque inclinationem ageret ad obediendum Deo: Ita dicendum est, quòd in Episcopo intentio illa generalis, faciendi, quod Ecclesia præcipit, & multò magis intentio generalissima, faciendi, quod Christus fecit prævalet intentioni particulari faciendi quod ipse Episcopus credit hic & nunc faciendum circa talem vel talem ordinandum: Dummodò igitur in prædictis occasionibus habeat Episcopus intentionem faciedi id quod Ecclesia vult fieri in prædictis occasionibus, non desinit ordinandus validè suscipere ordines, licét non sucipiat eos licité, & licét etiam non sit in Episcopo intentio particularis ipsum ordinandi, immò licét intentio particularis sit contraria, scilicét non ordinandi ipsum; Quod adhuc magis constabit ex solutione sequentis objectionis.

Objicitur 4. & replicatur contra præcedentem solutionem: Hæretici non habent intentionem neque particularem, neque generalem faciendi, quod facit Ecclesia: & alii infideles, sicut turcæ, pagani, & similes, non habent intentionem nequidem generalissimam faciendi, quod Christus fecit: & tamen hæretici, turcæ, & pagani verum, & validum possunt conficere sacramentum: Ergo sine intentione, sivè particulari, sivè generali; sivè etiam generalissima potest confici sacramentum. Major probatur: Nam v. g.

hæretici non habent intentionem faciendi quod facit Ecclesia Romana, quando baptizant, sed quod facit eorum Ecclesia, sivè Lutherana, sivè Calvinistica; undè quia ipsi non credunt imprimi charactêrem in Baptismo, non intendunt ipsum imprimere baptizando: Multò magis alii infideles, qui non credunt in Christum, non intendunt facere, quod Christus fecit: Ergo quando hæretici, vel alii infideles administrant sacramenta, non habent illam intentionem, de qua loquimur: Minor etiam facilè probatur; & quidem de hæreticis certum est, quòd validè baptizant; & ideò quando hæretici fiunt catholici, non rebaptizantur; immò docent omnes doctores catholici, quòd nedùm hæretici, sed etiam alii infideles, ut turcæ, & pagani possunt validè conferre sacramentum Baptismi, dummodò observent omnia baptizando, quæ in ipsa Ecclesia observantur: Igitur Sacramentum Baptismi validè conferri potest sine ulla intentione ministri, vel illius qui sacramentum confert, neque intentione particulari, neque generali, neque generalissima.

Respondeo, quòd si hæreticus, vel infidelis non habet intentionē faciendi, quod Christus fecit vel quod facit vera Ecclesia, qualiscumque tandem illa sit, non est validum sacramentum: Sed si habet intentionem faciendi, quod Christus fecit, & quod facit vera Ecclesia, tunc sacramentum est validum; & licèt hæreticus, vel paganus non intendat facere, quod facit Ecclesia Romana, quia non credit ipsam esse veram Ecclesiam, dummodò tamen omnia faciat, quæ sunt de essentia sacramentorum, non desinit sacramenrum esse validum, quia hoc ipso quòd intendit facere quidquid Christus fecit. & quidquid facere debet vera Ecclesia ad imitationem Christi, cum aliundè certum sit Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam, quæ facit id, quod Christus fecit, idcircò licèt exprèsè per illam intentionem particularem, quam habet contra Ecclesiam Romanam, non faciat id, quod facit Ecclesia Romana, vel potiùs non habeat intentionem illud faciendi, attamen virtualiter, implicitè, & interpretativè per illam generale intentionem faciendi quod

Christus fecit, & quod facit vera Ecclesia, ubicumque reperiatur, habet intentionem faciendi quod facit Ecclesia Romana, quia est vera Ecclesia, & facit quod Christus fecit: Et quia sicut inclinatio generalis prævalet inclinationi particulari, ita generali, intentio prævalet intentioni particulari sicut jam dicebamus, ideò illa intentio generalis, quam habent hæretici, vel alii infideles faciendi quod Christus fecit, vel quod facit vera Ecclesia, prævalet inclinationi particulari, quam habent contra Ecclesiam Romanam; & ideò licet particulariter non intendant facere, quod facit Ecclesia Romana, sed potiùs contra ipsam facere velint, nihilominùs hoc ipso quòd generaliter loquendo, volunt facere, quód Christus fecit, & quod facit vera Ecclesia, validum est sacramentum.

Objicitur 5. Quando aliquis habuit intentionem recipiendi Baptismum, & postea incidit in amentiam, nihilhominùs baptizandus est, quamvis in tali statu non possit habere intentionem recipiendi hujusmodi sacramentum, ut patet ex Theologia Morali D. Thomæ verbo, *Baptismus*, quæstione 10. Ergo similiter dummodò aliquis habuerit intentionem administrandi sacramentum, licèt postea incidat in amentiam, & non habeat actualem illam intentionem, poterit validè sacramentum conferre; non enim est major ratio de administratione sacramentorum, quàm de ipsorum receptione.

Respondeo, concedendo antecedens, & negando consequentiam: ratio discriminis est; quia ille qui recipit Sacramentum, se habet ut patiens, ille verò qui confert sacramentum, se habet ut agens: ad patiendum autem, sivè recipiendum aliquem effectum, sufficit quòd subjectum non ponat obstaculum; undè sufficit aliquem habuisse intentionem recipiendi sacramentum v. g. Baptismi, eamque postea non retractasse, ut baptizari possit, quamvis in amentiam inciderit: Ad agendum verò præcipuè per modum instrumenti humani, requiritur motio propria hominis quatenùs est homo, sivè rationalis; undè si minister sacramentorum non sit compos rationis, & non habeat intentionem saltem virtualem conferendi sacramentum, non potest illud valide conferre: Et ratio radicalis hujus

solutionis est, quia ut docent philosophi præsertim Thomistæ, instrumenta debent habere actionem propriam, & præviam ad actionem causæ principalis, sivè actionem instrumentalem: Cum igitur, homo, nisi fuerit compos rationis, non possit habere rationem propriam hominis, ut homo est, sivè ut est rationalis, idcircò non potest habere rationem instrumenti, nec validè sacramentum conferre.

Objicitur 6. Qui aliquid faciunt joco, vel ludo, non intendunt seriò facere quod facit Ecclesia: Et tamen illi sacramenta conficiunt: Ergo talis intentio non est necessaria. Major constat: Minor probatur primò, D. Athanasij exemplo, qui adhùc parvulus alios similiter parvulos recreationis gratiâ batizavit; & nihilominùs declaratum fuit hujusmodi Baptisma fuisse validum, & hujusmodi parvuli non fuerunt rebaptizati.

Secundò probatur eadem minor exemplo adhùc difficiliori Sancti Genesij Martyris, qui ad irrisionem Ecclesiæ voluit in theatro baptizari ab aliis mimis: & tamen vidit Angelos Dei tenentes librum, in quo scripta erant sua peccata, quæ ab Angelis delebantur ea proportione, qua ipse baptizabatur; undè etiam hoc miraculo conversus fuit ad Religionem Catholicam, ut habetur in Martyrologio Romano: Ergo intentio non est necessaria.

Respondeo, quòd aliquid ita potest fieri ad recreationem, vel irrisionem, ut nihil seriò fiat; & tunc nequit esse intentio conficiendi sacramentum, quod proindè nullum est: Sed potest etiam seriò fieri quidquid est necessarium ad essentiam, & valorem sacramenti, quamvis postea hujusmodi actio sit ordinata ad recreationem, vel alium finem pravum, aut indifferentem; & tunc est intentio faciendi, quod facit Ecclesia, & validum sacramentum: sic ergo Divus Athanasius habuit intentionem faciendi, quod fieri viderat à Patriarcha Alexandrino, quamvis tunc ordinaret actionem illam ad recreationem: Sic etiam illi qui Divum Genesium baptizabant, habebant intentionem faciendi quod faciebat Ecclesia, quamvis hoc totum postea ordinarent ad irrisionem, & jocum. Igitur in forma respondeti debet cum distinctione: Non est intentio fa-

ciendi, quod facit Ecclesia, quando recreatio, vel irrisio est finis immediatus, & proximus, concedo; quando est solùm finis mediatus, & remotus, & ipsa confectio sacramenti est finis proximus, & immediatus, nego: Et hoc ultimum contigit in illo duplici exemplo: quamvis etiam dici possit ad secundum, exemplum quòd Deus de potentia absoluta, & extraordinaria contulit effectum sacramentalem, sivè gratiam baptismalem Sancto Genesio ad ipsius conversionem, non obstante quòd ejus socii ipsum baptizantes non haberent intentionem sufficientem ad validitatem sacramenti: nostra autem conclusio vult solummodò, quòd sacramentum non est validum de potentia, & lege ordinaria si non adsit intentio ministri; licèt sine ipsa validum esse possit de potentia, & lege extraordinaria, quia ut ait D. Thomas, *Deus non est alligatus Sacramentis*, sed cum illis, vel sine illis potest ad libitum suum nobis conferre gratiam.

Objicitur 7. Non est necessaria attentio pro validitate sacramentorum: Ergo nec intentio: Consequentia videtur evidens; quia non apparet major ratio de una, quàm de altera: Probatur antecedens Fatentur enim omnes, quòd modò aliquis formaverit intentionem conficiendi sacramentum, quæ remaneat virtualiter quando materiam exhibet & formam apponit, etiamsi hic & nunc in actuali collatione, vel confectione sacramenti non fuerit attentus, sed mente distractus, etiam voluntaria distractione, nihilominùs validum est sacramentum: Ergo ad ipsius validitatem non est necessaria attentio.

Respondeo negando consequentiam, & paritatem; quia sine attentione ministri, & non obstante voluntaria ipsius distractione, confectio & collatio sacramenti ratione intentionis est verus actus humanus: Sed si nedùm attentio deesset, verùm etiam intentio, actio ministri non foret actus humanus, nec ex ratione, vel deliberatione procederet, sed ex ipso homine quasi instrumento inanimato: Undè ut minister sit conveniens instrumentum Christi ad sacramentum, debet animari per ipsam intentionem, sicut ut perfectè confi-

ciat, vel conferat ſacramentum, debet inſuper habere attentionem.

Quæritur, qualis debeat eſſe hæc intentio.

Reſpondeo, quòd idem dicendum eſt de hujuſmodi intentione ad ſacramenti validitatem, ſicut dicitur de attentione ad officium reſpectu ipſius perfectionis: nempè quòd ſicut non requiritur attentio actualis, nec ſufficit habitualis, ſed requiritur virtualis: Ita ſimiliter requiritur, & ſufficit virtualis intentio, id eſt, quòd miniſter accedens ad adminiſtrandum v. g. Baptiſmum, vel aliud ſacramentum, habeat intentionem faciendi, quod Chriſtus fecit, vel quod facit Eccleſia; dummodò enim poſtea non retractet illam intentionem, quamvis in actuali adminiſtratione diſtractus fuerit, remanet prædicta intentio virtualiter, & in ipſius virtute validum eſt ſacramentum.

ARTICULUS II.

Utrùm in Miniſtro Sacramentorum requiratur fides, vel Charitas.

Advertendum eſt, quòd miniſter in ſtatu peccati mortalis, non poteſt licitè ſacramentum conficere, vel conferre: Utrùm autem aliquando excuſetur à mortali peccato, ſi in tali ſtatu mortalis peccati, conficiat, vel conferat ſacramentum explicabitur, ubi agetur de Euchariſtia; oſtẽdemus enim, quandonã licitè aliquis in tali ſtatu poteſt miniſtrare ſacramentum: Undè, nunc ſolùm quærimus, utrùm in hujuſmodi ſtatu poſſit quis validè conficere quodvis ſacramentum.

Concluſio: Nec charitas, nec fides miniſtri requiritur ad ſacramenti validitatem: Undè non obſtante ſtatu peccati mortalis, immò non obſtante hæreſi miniſtrorum, validum erit ſacramentum, ſi aliundè non deſint conditiones requiſitæ: Ita communiter Doctores.

Probatur hac unica, ſed efficaci ratione: Chriſtus Dominus uti poteſt quolibet inſtrumento, ſivè miniſter,

quo mediante conficit sacramentum, sit in statu gratiæ, sivè in statu peccati, sivè sit catholicus, sivè hæreticus: Igitur ex mera voluntate ipsius dependet quòd utatur ministro sivè peccatore, sivè etiam hæretico ad sacramentum conficiendum: Cum igitur nec ex Scriptura, nec ex Patribus, nec Summis Pontificibus, aut Conciliis habeamus, quòd Christus nolit uti hujusmodi ministris, immò potiùs conveniens sit, quòd ipsis utatur; quia ut ait D. Thomas minister est veluti canalis, quo mediante Christus communicat aquam Divinæ gratiæ, parum autem refert sivè canalis, sit argenteus, sivè plumbeus, modò per ipsum aqua transire possit: sicut etiam medicus licèt ægrotus, alium tamen sanare potest, qui non sanat alios per sanitatem suam, sed per artem medicinæ: Ita quia minister non sanctificat alios per propriam sanctitatem, sed quatenùs est instrumentum Christi, sufficit, quòd Christus sit Sanctus, quamvis ipse minister sit peccator; maximè, cum ut docent philosophi, instrumentum non agat in virtute propria, sed in virtute causæ principalis.

Objicies: Nemo dat, quod non habet, juxta commune philosophorum axioma: Sed minister peccator, vel hæreticus non habet gratiam: Ergo non potest eam conferre, nec proindè sacramenta conficere; quia ut supra diximus, qui conficit sacramenta, debet etiam causare gratiam sacramentalem, eo quòd causa causæ est causa causati.

Respondeo, & est Regula generalis: Nemo dat, quod non habet, distinguo: quod non habet vel formaliter, vel virtualiter, concedo; formaliter semper, nego: quamvis enim ut philosophi docent, causa principalis debeat formaliter, vel etiam eminenter præhabere effectum producendum, sufficit tamen, quòd instrumentum præhabeat ipsum virtualiter: Minister autem licet non habeat formaliter gratiam quando est in statu peccati, habet tamen eam virtualiter per modum instrumenti, ratione sui ministerii: sicut medicus, qui est ægrotus, licèt non habeat sanitatem in se ipso formaliter, habet tamen eam respectu aliorum virtua-

liter,

tualiter quatenùs ratione medicinæ virtutem habet conferendi aliis sanitatem.

ARTICULUS III.

Vtrùm nedùm homines viatores, sed etiam Beati, immò Angeli possint esse ministri sacramentorum.

Conclusio : Solus homo viator secundùm legem ordinariam est minister sacramentorum : secundùm autem legem extraordinariam, & absolutam, possunt etiam Angeli, & animæ Beatorum ministrare sacramenta. Ita communiter Thomistæ; quamvis alii aliter sentiant: sed quia quæstio curiosa est potiùs, quàm utilis aut necessaria, idcircò eam breviter expedio.

Probatur, & infertur ex principiis, quæ pro sacramentis in communi ab initio stabilivimus: Administratio non minùs quam confectio sacramentorũ ordinatur ad majorem Christi gloriam, & ad majus bonum Ecclesiæ: undè fuit conveniens, quòd Christus Dominus ordinaret ut talis administratio ab Ecclesiæ iurisdictione, & authoritate dependeret : cum igitur Ecclesia militans nullam habeat iurisdictionem supra Ecclesiam triumphantem, idcircò non erat conveniens, quòd secundùm legem ordinariam Angeli, vel animæ Beatorum, qui pertinent ad Ecclesiam triumphantem, administrarent, & multò minùs conficerent sacramenta, quæ tantùm spectant ad militantem Ecclesiam. Sed Christus non est legibus suis alligatus, immò quatenùs est Deus, potest, absolutè loquendo, id omne facere, quod non implicat contradictionem; & ideò secundùm legem suã extraordinariam, & potentiam suam absolutam potest uti sivè Angelis, sivè animabus beatis ut ministris ad sacramenta sivè administranda, sivè etiam conficienda & ita fecisse legitur in pluribus sanctorum historiis : immò cum Deus optimus quâlibet creaturâ quantùmvis pessimâ uti possit ad bonum; & aliundè, ut supra diximus, bonitas ministri non sit necessaria ad validitatem sacramenti, & etiamsi necessaria foret, posset Deus in ea dispensare, idcircò, si vellet, posset Deus ipsis Dæ-

monibus, & animabus damnatis uti tanquàm instrumentis ad confectionem, vel administrationem sacramentorum: nec ipsis uteretur ut malis secundùm statum suum, sed ut bonis, saltem bonitate naturæ.

Objicitur: Angeli, vel animæ Beatorum in corporibus assumptis non proferrent verba, quæ essent opera vitalia; nam ut diximus in tractatu de Angelis, non possunt Angeli, vel animæ in corporibus assumptis exercere opera vitæ: cum igitur verba sint de essentia sacramentorum, & Deus etiam per absolutam potentiam non possit tollere rerum essentiam, fieri non potest quòd animæ, vel Angeli conficiant, aut administrent sacramenta: vel saltem dicendum erit quòd hujusmodi sacramenta ab Angelis, vel animabus administrata sunt essentialiter diversa à nostris sacramentis.

Respondeo, & est regula generalis, distinguendo hujusmodi propositionem; verba sunt de essentia nostrorum sacramentorum, quatenùs sunt opera vitalia simpliciter dicta, nego; quatenùs sunt signa sensibilia, & practica gratiæ nobis conferendæ, concedo: & quia Angeli, & animæ beatæ, in corporibus assumptis proferrent verba, quæ forent signa sensibilia, & practica gratiæ nobis conferendæ, idcircò, verè conficerent sacramenta ejusdem essentiæ cum nostris.

ARTICULUS IV.

Quomodo Christus Dominus sit causa efficiens sacramentorum.

Conclusio. Christus Dominus est causa efficiens sacramentorum per duplicem virtutem, quarum altera convenit ipsi, ut Deo; & dicitur potestas authoritatis: altera convenit ipsi ut homini; & dicitur potestas excellentiæ. Ita D. Thomas, & omnes Theologi cum ipso.

Probatur, & infertur ex secundo nostro principio: Debemus ad majorem Christi gloriam, tribuere ipsi omnem causalitatem quam possumus circa sacramenta: sed non possumus aliam tribuere præter duas prædictas; ergo. Probatur minor: quia Christus, quatenùs

est Deus, habet potestatem authoritatis super omnia sacramenta, sivè plenissimam authoritatem, & absolutissimum dominium, ratione cujus potest de sacramentis disponere, & ea instituere prout vult; quia Christus ut Deus potest id totum, quod ipse Deus, absolutè loquendo: sicut igitur Deus habet illam plenissimam authoritatem, & potestatem super omnia sacramenta; ita etiam Christus ut Deus. Sed Christo ut homini non possumus tribuere authoritatem, quæ convenit causæ principali, sed solummodò ministerium, quod convenit causæ instrumentali; nihilominùs ad exprimendam supremam Christi dignitatem inter ministros sacramentorum, & ad denotandum quòd ipsius ministerium longè superat ministerium aliorum, potestatem ipsius ministerialem vocamus potestatem *excellentiæ*, cum potestas aliorum præcisè dicatur ministerialis.

Obiicies. Christus etiam ut homo est causa principalis sacramentorum: ergo ipsi etiam ut homini convenit potestas authoritatis. Consequentia patet: Probatur antecedens: Christus ut homo est perfectior sacramentis; si enim consideremus id, quod est corporeum, & sensibile in sacramentis, certum est humanitatem Christi esse nobiliorem, cum corpus Christi sit omnium corporum nobilissimum: si verò consideremus id, quod est in ipsis spirituale, adhuc humanitas excedit, quia anima Christi est nobilissima inter res spirituales: cum ergo illa causa sit principalis, quæ excedit perfectionem effectûs, sequitur, Christum secundùm humanitatem esse causam principalem sacramentorum.

Respondeo, quòd quia iuxta regulam philosophorum, quod est causa causæ, est causa causati, causa principalis sacramentorum est causa principalis etiam gratiæ, quæ producitur per sacramenta: & quia ut supra ostendimus, gratia sacramentalis est etiam ipsa gratia sanctificans; ideò causa principalis sacramentorum debet etiam esse causa gratiæ sanctificantis: constat autem ex tractatu de gratia, quòd solus Deus potest esse causa principalis gratiæ sanctificantis, quia tanta est ipsius dignitas, ut superet nedùm terram, &

cœlum, homines, & Angelos, sed etiam ipsam dignitatem Matris Dei, ipsamque humanitatem Christi, solâ unione hypostaticâ seclusâ; atque ita immediatè sub ipso Deo collocatur, & supra res omnes creatas; & sic solus Deus est causa principalis ipsius; cætera autem omnia tanquàm inferiora non possunt ad eius productionem concurrere, nisi instrumentaliter.

Infertur ex dictis duplex esse instrumentum sacramentorum, & triplex gratiæ sacramentalis: nam respectu sacramentorum, aliud est instrumentum coniunctum, nempè humanitas Christi, quæ coniungitur suæ causæ principali, scilicèt ipsi Deo: instrumentum verò separatum est purus homo administrans sacramenta, nam est instrumentum separatum à sua causa principali, scilicet ab ipso Deo: sicut cum artifex conficit artefactum, duplex ipsius instrumentum concurrit, aliud coniunctum, scilicèt manus, vel brachium, aliud separatum, ut securis, vel serra, aut aliquid simile: respectu verò gratiæ sacramentalis, aliud est instrumentum coniunctum, & animatum, scilicet eadem Christi humanitas, quæ concurrit modo rationali ad productionem gratiæ sacramentalis: aliud verò est instrumentum separatum, & animatum, scilicèt minister sacramenti, qui etiam modo rationali, & humano concurrit ad productionem eiusdem gratiæ: tertium tandem est instrumentum separatum, & inanimatum, nempè ipsummet sacramentum, quod concurrit ad productionem gratiæ realiter quidem, & physicè, sed tanquam aliquid separatum à causa principali, & aliundè inanimatum. Idcircò autem Deus utitur his tribus instrumentis ad productionem gratiæ sacramentalis, ut omnia concurrant ad nostram sanctificationem, quia ut ait Apostolus ad fideles, 1. ad Thess. 4. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.*

ARTICULUS V.

Vtrùm Christus Dominus immediatè per se ipsum instituerit omnia Sacramenta.

Hanc difficultatem insinuo tantùm in hoc articulo, quia fusiùs explicabitur, cum de sacramentis in particulari: hæretici enim huius temporis negant plura ex sacramentis novæ legis, ut sacramentum Confirmationis, & Extremæ Unctionis; quidam etiam ex illis negant sacramentum Pœnitentiæ, alii etiam sacramentum Matrimonii; alii denique etiam ex parte negant sacramentum Ordinis: undè quando agemus de sacramentis in particulari, demonstrabimus etiam ea fuisse à Christo instituta. Catholici verò licet omnes fateri debeant omnia novæ legis sacramenta à Christo fuisse instituta, quia id in Concilio Tridentino habetur, dum expressè definit sessione 7. Canone primo: *Si quis dixerit sacramenta novæ legis non fuisse omnia á Christo instituta, anathema sit:* nihilominùs non desunt ex Doctoribus Catholicis, qui dicunt Christum non omnia omninò sacramenta immediatè, & per se ipsum instituisse, sed quædam ex illis reliquisse Apostolis instituenda, & eos de modo instituendi docuisse: sed communiter Theologi asserunt omnia omninò sacramenta novæ legis fuisse à Christo immediatè instituta: ita præsertim D. Thomas 3. parte, quæstione 64. articulo 4. & in 4. sententiarum, distinctione 17. quæstione 3. articulo primo, quæstiuncula 5. & omnes Thomistæ cum ipso; & alii communiter: undè sit.

Conclusio. Conveniens fuit, quòd Christus per se ipsum immediatè omnia novæ legis sacramenta institueret; ipsi verò Ecclesiæ instituenda relinqueret sola sacramentalia.

Probatur, & infertur ex nostris principiis, & rationibus desumptis ex D. Thoma locis citatis: hoc enim est ad majorem Christi gloriam, & majus bonum Ecclesiæ: primò, ne fideles suam spem reponerent in alio, quàm in Christo, inquit D. Thomas, congruum

fuit, quòd solus Christus institueret sacramenta, quæ sunt media nobis necessaria ad salutem: secundò, cum sacramenta sint veluti fundamenta totius Ecclesiæ, gloria Christi exigebat, ut ipse solus hæc fundamenta jaceret, & sacramenta institueret: Tertiò, ne in Ecclesia suboriretur aliqua divisio propter diversa sacramenta à diversis instituta, sicut apud illos, qui dicebant, ut refert Apostolus, *Ego quidem sum Pauli ego autem Apollo, ego verò Cephæ*; congruum fuit, quòd Christus solus omnia institueret sacramenta, nec ullum Apostolis relinqueret instituendum: Quartò, cum dignitas sacramentorum desumatur ex eorum authore, congruum fuit, quód nullum prorsùs esset in Ecclesia sacramentum, quod non foret à Christo institutum: denique sicut solus Deus immediatè per se ipsum creavit totum universum, & instituit ordinem, quem creaturæ invertere non possunt, ita debuit recreare, sivè reparare totum universum per sacramenta, talem in eis ordinem instituendo, quem nullus, neque ipsa etiam Ecclesia mutare posset.

Quia tamen sacramentalia sunt quædam dispositiones ad ipsa sacramenta ut magis jam explicabimus, ideó conveniens erat, quód licet Christus immediatè per se ipsum sacramenta institueret, nihilominùs ad demonstrandam Ecclesiæ dignitatem, ipsi relinqueret sacramentalium institutionem. Et hæc est etiam regula generalis ad præveniendas aliquas objectiones, quæ fieri possent ex authoritatibus sanctorum Patrum, qui dum videntur asserere, quôd Christus Ecclesiæ commisit institutionem cæremoniarum, quæ sacramenta concernunt, non loquuntur nisi de ipsis sacramentalibus: nam ut dicemus postea, cum de ijsdem sacramentalibus agemus, cæremoniæ plures in sacramentis adhibitæ, præter materiam, & formam omninó necessariam, non sunt ipsum sacramentum, sed solummodò aliquid sacramentale: & ideó Ecclesia sicut istas cæremonias instituit, ita eas etiam mutare potest; quamvis non possit mutare sacramenta, sicut nec instituere. Aliæ objectiones, quæ fieri possent contra conclusionem, præsertim ab hæreticis, proponentur, & solventur agendo de sacramentis in particulari.

QUÆSTIO VI.

De numero sacramentorum, & de sacramentalibus.

PRo complemento hujus tractatûs de sacramentis in communi, agendum superest de numero sacramentorum: & quia sacramentalia sunt dispositiones ad sacramenta, de ipsis quoque sermo erit: de illis verò, qui sacramenta recipiunt, non agunt Scholastici in tractatu de sacramentis in communi, sed in tractatibus de sacramentis in particulari, eo quòd variæ sunt dispositiones, quæ requiruntur in illis, qui sacramenta suscipiunt, juxta differentiam eorumdem sacramentorum: si etiam aliquid aliud circa sacramenta in communi desiderari videatur, explicabitur cum de illis in particulari agetur.

ARTICULUS I.

Utrùm convenienter aßignentur septem sacramenta.

Conclusio. Conveniens est numerus septenarius sacramentorum in Ecclesia assignatus, scilicet Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonij. Ita omnes Catholici contra hæreticos, qui plura negant ex hujusmodi sacramentis, quos etiam impugnabimus agendo de quolibet sacramento in particulari.

Probatur primò authoritate Sacræ Scripturæ desumpta ex veteri Testamento, quæ est prophetia de sacramentis novæ legis non solùm quantùm ad numerum, sed etiam quantùm ad eorum ordinem: igitur in psalmo 28. sic describit Propheta omnia sacramen-

ta: Primò ait, *Vox Domini super aquas*, ecce Baptismum, cujus propria materia est aqua cum his verbis, seu vocibus, Ego te baptizo, &c. Secundò ait, *Vox Domini in virtute*, ecce Confirmationem, cujus proprius finis est virtus, seu fortitudo nobis conferenda: Tertiò, *Vox Domini in magnificentia*, ecce Eucharistiam, in qua Christus dando se ipsum suam demonstrat magnificentiam: Quartò, *Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros libani*, ecce Pœnitentiam, in qua per contritionem confringuntur cedri Libani, sivè peccatores; nam ut ait idem Propheta, *Vidi impium elevatum sicut cedros Libani*. Quintò, *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, ecce Matrimonium, quod ordinatur ad mitigandam concupiscentiam: Sextò, *Vox Domini concutientis desertum, & commovebit Dominus desertum Cades*, ecce sacramentum Ordinis; voluit enim Deus, quòd in solo deserto offerrentur sibi sacrificia à populo, quem liberaverat de Ægypto: in deserto etiam dedit Manna, & in deserto Cades fuit illa petra, ex qua fluxit aqua; soli enim ministri possunt offerre sacrificia, & dare Eucharistiam, quæ per Manna designatur, & ex officio conferunt Baptismum, qui designabatur per aquam; instruunt etiam populos, quorum doctrina etiam per aquam adumbratur, juxta illud sap. *Aquâ sapientiæ salutaris potabis eos*. Septimò, *Vox Domini præparantis cervos, & revelabit condensa, & in templo eius omnes dicent gloriam*. Ecce sacramentum Extremæ Unctionis; nam in fine vitæ debent Christiani desiderare gloriam, *quemadmodum*, ut ait Psalmista, *cervus desiderat ad fontes aquarum*, & ad eam obtinendam præparantur per hoc sacramentum: & mysteria fidei nostræ, quæ modò sunt condensa, sivè obscura, tunc clarè revelabuntur; & tunc etiam in Templo Dei, sivè in cœlesti patria omnes prædestinati dabunt gloriam Deo.

Probatur 2. pluribus congruentijs, quæ afferuntur à D. Thoma 3. parte, quæstione 65. articulo primo;

& plurimis alijs locis : sed brevitatis gratiâ sufficiat hæc unica , quæ est præcipua : loquendum est de homine in ordine gratiæ , sicut de eodem loquimur in ordine naturæ servata proportione ; gratia enim naturam non destruit , sed perficit : in ordine autem naturæ necesse est, primò , quòd generetur homo ; deindè quòd crescat , & confortetur , quousquê vir perfectus evadat ; tertiò , quòd nutriatur quotidie aliàs vita ipsius non possèt subsistere. Similiter in ordine gratiæ requiritur primò , quòd homo spiritualiter regeneretur , quod fit per Baptismum ; deindè quòd roboretur spiritualiter , quod præstatur per Confirmationem ; tertiò , quòd nutriatur , & hoc fit per Eucharistiam.

Si autem in ordine naturæ contingat , hominem in aliquem morbum incidere , debent parata esse remedia ad ipsum sanandum : & postquam sanatus est , debet per diætam , & alia media convenientia tollere debilitatem ex morbo relictam , sivè reliquias jam superati morbi : undè etiam in ordine gratiæ debet esse sacramentum institutum ad tollendos spirituales morbos , in quos homo potest incidere , scilicèt peccata ; & hoc est sacramentum Pœnitentiæ ; & aliud etiam ad tollendas morborum spiritualium , sivè peccatorum , reliquias ; & hoc dat Extrema-Unctio. Sed quia homo & in ordine naturæ , & in ordine gratiæ est animal sociabile , & nedùm pro se , sed etiam pro aliis destinatum , idcircò sicut in statu politico naturali requiritur quædam jurisdictio ad conservationem reipublicæ : & quia homines sunt mortales , requiritur etiam Matrimonium ad multiplicationem generis humani , ejusque conservationem , ut aliis morientibus alij succedant ; ideò etiam in Republica spirituali , & Christiana requiritur sacramentum Ordinis pro conservanda iurisdictione , & sacramentum Matrimonii pro ipsorum fidelium conservatione.

Quantùm ad ordinem sacramentorum , est etiam magna convenientia : quia priùs homo debet considerari in se , quàm in ordine ad alios ; & priùs

etiam in particulari, quàm in communi, cum omnis communitas præsupponat particularia, & ex ipsis componatur. Sacramenta igitur, quæ concernunt hominem in particulari, debent priùs enumerari, quàm illa, quæ concernunt Ecclesiam in communi: ex sacramentis autem enumeratis, quinque priora concernunt quemlibet homminem in particulari; duo verò posteriora concernunt Ecclesiam in communi. Ex illis autem, quæ concernunt hominem in particulari, illa priùs debent enumerari, quæ concernunt ipsum per se loquendo, quàm quæ concernunt per accidens, quia quod convenit per se, convenit essentialiter, , & quod convenit per accidens, convenit accidentaliter, ut ex ipsis terminis constat: omnis autem essentia prior est accidentibus: ex his igitur constat, quòd inter sacramenta primum locum tenere debent Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia, quæ per se loquendo, & essentialiter concernunt quemlibet fidelem in particulari: secundum locum Pœnitentia, & Extrema-Unctio, quæ respiciunt quemlibet fidelem in particulari, sed per accidens tantùm: ultimum tandem locum tenent Ordo, & Matrimonium, quæ non respiciunt aliquem fidelem in particulari sumptum, sed solummodò Ecclesiam in communi.

Sola difficultas esse potest circa confirmationem, & Eucharistiam: quia videtur, quòd cibus nobis est necessarius, ut augeamur, & confortemur, atque ita quòd Eucharistia, quæ datur ad nos spiritualiter nutriendum, debeat priùs enumerari, quàm Confirmatio, quæ datur ad nos augendum, & confortandum spiritualiter. Nihilominùs benè respondet D. Thomas loco citato: quòd quia confortatio, & augmentum hominis non durat nisi quousquê homo debitum statum attingat, & vir perfectus evadat, nutritio autem durat toto tempore vitæ, atque ita diu post augmentum subsistit, & requiritur; ideò post sacramentum, quod requiritur ad augmentum (& est Confirmatio) enumerari debuit sacramentum, quod requiritur ad nutrimentum, sivè Eucharistia.

Videtur etiam, quòd possit esse difficultas circa Ordinem, & Matrimonium: cum enim Matrimonium respiciat bonum magis commune, quàm Ordo, videbatur conveniens, ut priùs enumereratur. Sed benè respondet idem Doctor Angelicus ibidem, quòd Ordo respicit bonum magis spirituale, quàm Matrimonium, & ideò sacramentum Ordinis erat præferendum sacramento Matrimonii.

ARTICULUS II.

De sacramentalibus.


Solus ferè D. Thomas agit de sacramentalibus. Undè pauca, quæ dicemus, ex ipsius fontibus desumuntur.

Igitur ex Angelico Doctore 4. sententiarum, distione 2. quæstione prima, articulo 2. ad septimum; sacramentale definiri potest |, dispositio quædam ad sacramenta; quatenùs scilicèt per sacramentalia removentur ea, quæ prohibere possunt effectus sacramenti: sic verbi graciâ in Baptismo, per exorcismos reprimitur nequitia Dæmonum, ne impediant effectum Baptismi: quando etiam ingredimur Ecclesiam, ut accedamus ad Pœnitentiam, vel Eucharistiam, dùm aquam benedictam in ingressu sumimus, remittuntur venialia peccata, & excitamur ad dispositiones pro hujusmodi sacramentis requisitas, sivè ad eliciendos actus, quibus disponamur ad condignè recipiendum sacramenta.

Sicut autem septem assignantur sacramenta, ita etiam septem assignantur sacramentalia ab eodem Angelico Doctore 3. parte, quæstione 66. articulo 5. scilicet, Confessio generalis; tunsio pectoris; oratio Dominica; benedictio Episcopalis; aspersio aquæ benedictæ; quælibet sacramentalis unctio, sivè præcedens, sivè subsequens sacramenta, sub qua etiam comprehenduntur exorcismi; & oratio in Ecclesia dedicata: quæ omnia intelligi debent esse

ſacramentalia, quando fiunt ex inſtitutione Eccleſiæ.

Tandem obſervandum eſt, quòd Chriſtus Dominus, ut Eccleſiam commendaret, voluit ipſi committere inſtitutionem ſacramentalium, cum tamen foret conveniens, ut ſupra diximus, quòd ipſe ſolus eſſet inſtitutor ſacramentorum: & quia debemus loqui de Eccleſia (ſicut de Chriſto ipſius fundatore) quantùm poſſumus ad majorem ipſius gloriam; idcircò piè credimus, quamvis de hoc non poſſit dari demonſtratio, quòd ſacramentalia ſuos effectus producunt ex opere operato; atque ita ex opere operato reprimunt nequitiam Dæmonum, remittunt peccata venialia, & nobis auxilia ſpecialia conferunt, quibus diſponimur ad confectionem, vel receptionem ſacramentorum.





TERTIÆ PARTIS THEOLOGIÆ THOMISTICÆ TRACTATUS III.

De Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia.



QUATUOR principia, ex quibus inferebamus conclusiones de Sacramentis in communi, inservient etiam pro Sacramentis in particulari; & sunt, Major gloria Dei, & Christi; & majus bonum totius Ecclesiæ, & cujuslibet fidelis: Et insuper erunt particularia principia pro quolibet ex Sacramentis in particulari, ut constabit ex sequentibus Quæstionibus, & Articulis.

QUÆSTIO I.

De Baptismo.

PRincipium particulare, ex quo inferri debent ea, quæ concernunt Sacramentum Baptismi, est, quòd Baptismus datur ad regenerationem spiritualem, ut dicebamus cum de Numero Sacramentorum.

Advertendum est autem, quod licèt sit unum Sacra-

mentum Baptismi, quod est ipse Baptismus aquæ; ad ipsum tamen reducuntur alia duo, quæ habent aliquam rationem Baptismi, scilicet actus contritionis cum voto sivè desiderio Baptismi, & Martyrium: Nam contritio cum hujusmodi voto, & ipsum etiam Martyrium gratiam conferunt illis etiam, qui nondùm baptizati sunt, ut videbimus in sequentibus Articulis: Et ideò triplex communiter Baptismus distinguitur, scilicet Baptismus fluminis, Baptismus flaminis, & Baptismus sanguinis. Baptismus fluminis dicitur ille, qui confertur per aquam, quæ nomine fluminis designatur: Baptismus flaminis dicitur ille, qui consistit in actu contritionis, eo quòd ut explicabimus cum de Pœnitentia, contritio est actus Charitatis, & elicitur per flamen, sivè inspirationem Spiritus Sancti: Tandem Baptismus sanguinis est Martyrium, in quo sanguis effunditur pro Christo Domino.

ARTICULUS I.

Quænam sit materia, & forma Baptismi fluminis, sivè aquæ.

Advertendum est primò, quòd Baptismus Græcè idem est ac Latinè ablutio: Undè à D. Thoma definitur Baptismus, exterior ablutio corporis sub præscripta forma verborum, scilicet sub his verbis: Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filij, & Spiritu Sancti, Amen. Et quia, juxta communem usum, aqua inseruit ad abluendum, ideò conveniens fuit, quòd aqua foret materia remota hujus Sacramenti Baptismi, maximè propter principium jam insinuatum, quòd nempè Baptismus datur ad regenerationem spiritualem: sicut ergo initio mundi Spiritus Sanctus omnia produxit ex aquis, ut habetur Genes. 1. ita conveniens fuit, quòd in medio sæculorum omnia pariter ex aquis reproduceret, sive regeneraret, ut omittamus alias convenientias, quæ videri possunt apud D. Thomam, & alios authores.

Advertendum est secundò, quòd quia materia proxi-

ma nihil est aliud quàm usus materiæ remotæ, & utimur aquâ, quando per ipsam aliquid abluimus, idcircò ablutio debet esse materia proxima Baptismi: & quia semper est ablutio rei, sivè fiat per ipsius immersionem in aquam, sivè per effusionem aquæ in ipsam rem, sivè corpus abluendum, sivè per solam aquæ aspersionem; idcircò Baptismus his tribus modis validè conferri potest. Olim quidem Ecclesia baptizabat immergendo ipsos baptizandos in aqua: nunc autem baptizat effundendo aquam super ipsos: & in casu necessitatis, inquit Divus Thomas, quando scilicet adest maxima multitudo baptizandorum potest conferri Baptismus per solam aquæ aspersionem. Non est etiam necessarium, quòd ista sivè immersio, sivè effusio, sivè aspersio sit trina, sed sufficit, quòd sit una, olim enim fiebat tribus vicibus, nunc autem fit una tantùm vice, eo quòd Ecclesia hujusmodi consuetudines, quæ non sunt de essentia sacramenti variavit, prout exigebant circumstantiæ locorum, temporum, & personarum.

Advertendum est 3. ex communi consensu Theologorum, quòd quia in verbis sacramentalibus sufficit salvari substantiam significationis, ideò licèt ex verbis prædictis omittatur particula, Amen, non desinit validum esse sacramentum, quia subsistit significatio verborum: Similiter licèt omittatur pronomen, Ego, adhùc subsistit sacramentum, quia implicitè continetur in hoc verbo, Baptizo: Immò docent aliqui, quod si loco Patris, diceretur, genitoris, adhùc validum esset sacramentum, quia pater, & genitor idem substantialiter significant: Et simile est, si loco Filij, dicatur geniti; & loco Spiritus Sancti, dicatur procedentis ab utroque. Sed quia hæc omnia incerta sunt, idcircò mortaliter peccaret, qui consuetam Ecclesiæ formam mutaret: Videri possunt, quæ diximus agendo de materia, & forma sacramentorum in communi: sufficit hic advertere, quòd quia regeneratio spiritualis primum locum tenet in ordine spirituali, idcircò Fides quæ etiam primum locum tenet inter virtutes, correspondet Sacramento Baptismi: & quia primum ac præcipuum objectum, & mysterium nostræ Fidei est

Trinitas personarum in unitate Essentiæ, idcircò conveniens fuit, quòd necessaria huius sacramenti forma esset expressio Personarum Sanctissimæ Trinitatis, & insinuatio Unitatis earum in Essentia: insinuatur autem Unitas, quando dicitur, In Nomine, sumendo in singulari, & non In nominibus, in plurali: exprimitur verò Trinitas, quando subditur, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: Et quia in his omnibus conveniunt omnes authores nedùm Catholici, sed etiam hujus temporis Hæretici, ideò non egent speciali conclusione, sed solummodò explicandæ sunt tres difficilimæ authoritates, quæ contra prædicta ex Decretalibus Summorum Pontificum objici possunt.

Objicitur primò: Pelagius Papa, Canone Multi, de Consecratione, distinctione 4. sic expressè loquitur, *Evangelicum præceptum, ipso Deo & Domino Nostro Iesu Christo tradente, nos admonet in nomine Trinitatis, trina etiam mersione sanctum Baptisma unicuique tribuere.* Ex qua authoritate sic formatur argumentum: Ecclesia non potest mutare Evangelicum præceptum: Sed ex prædicto Summo Pontifice evangelicum est præceptum baptizare cum trina immersione: Ergo Ecclesia non potest oppositum facere: & sic invalidum videtur sacramentum, quod modò confertur cum unica tantùm immersione; immò quod non confertur cum immersione, sed solummodò cum effusione.

Respondet D. Thomas 3. parte; quæstione 66. articulo 8. ad 2. quòd Pelagius Papa intelligit trinam immersionem esse de mandato Christi *in suo simili*: cujus solutionis sensus est, trinam immersionem esse de mandato Christi, non quidem tanquam verum, & rigorosum præceptum, sed tanquàm aliquid deductum ab ipso ut à suo simili, ita ut Evangelicum præceptum nos admoneat & invocare Sanctissimam Trinitatem in Baptismo, & trinam immersionem facere, sed diversimodè, quia ita admonet invocationem Trinitatis esse faciendam, ut hoc sit omninò necessarium, & re vera de præcepto, ita verò admonet trinam immersionem esse faciendam, ut hoc sit congruum, & conveniens ad majorem similitudinem sivè expressionem, & repræ-

ſentationem Sanctiſſimæ Trinitatis, ſed non ita ut ſit de præcepto, & ita ut non poſſit Eccleſia vel trinam vel unam immerſionem facere; vel etiam uti effuſione loco immerſionis, prout expediens judicaverit ad confutandas hæreſes, ſicut jam diximus quòd modò in Baptiſmo fit unica effuſio aquæ ad majorem ſimilitudinem, ſivè expreſſionem Unitatis trium Divinarum Perſonarum in eſſentia, quia Hæretici Ariani, & alij ſimiles negabant unitatem eſſentiæ, & conſubſtantialitatem Divinarum Perſonarum.

Objicitur 2. Nicolaus Papa, ut habetur ex Capite, *A quodam*, de Conſecratione diſtinctione 4. reſpondens Bulgaris conſulentibus quid eſſet agendum de multis à quodam Judæo baptizatis, ait, *Si in nomine Trinitatis, vel tantùm in nomine Chriſti, ſicut in actibus Apoſtolorum legitur, baptizati ſunt, unum quippè idemque eſt, ut Sanctus Ambroſius exponit, quia non illorum, ſed ejus eſt, rebaptizari non debent.* Ex qua authoritate formatur hoc argumentum: Si rebaptizari non debent: ergo ſupponuntur verè baptizati: ergo ex mente Summi Pontificis validum eſt Sacramentum Baptiſmi collatum in ſolo nomine Chriſti, quod tamen negant omnes Doctores.

Reſpondet D. Thomas in eadem 3. parte, quæſtione 66. articulo 6. ad tertium, quòd *Nicolaus Papa dictum ſuum confirmat ex duabus præmiſſis, & ideò ejus reſponſio patet ex primis duabus ſolutionibus*, nempè ex illis ſolutionibus quas dedit ibidem Doctor Angelicus ad duas priores Objectiones: Senſus autem hujus tertiæ ſolutionis hic eſt, quòd quia Summus Pontifex Nicolaus reſponſionem ſuam fundavit ſupra authoritatem D. Ambroſij, non cenſetur velle ſibi adhiberi majorem fidem, quàm mereatur authoritas Ambroſij, nec proindè loqui ex Cathedra, ut ajunt, ſivè ut Summum Pontificem, ſed ut Doctorem particularem adhærentem ſententiæ alterius Doctoris particularis, ſilicèt Ambroſij: Unde poſſumus hujuſmodi opinionem rejicere, & re vera nunc communiter exiſtimatur falſa, quia ut dicemus ſuo loco, poteſt Summus Pontifex errare quatenùs eſt Doctor particularis, & maximè dum inſtrueret dixit, vel inſinuas

quòd sequitur aliquem alium Doctorem particularem.

Instabis Quidquid sit de sententia D. Ambrosij, constat, quòd in actibus Apostolorum legitur Apostolos baptizasse in nomine Christi: certum est autem, Baptismum ab Apostolis collatum, fuisse validum: Ergo validum est sacramentum Baptismi, si conferatur in nomine Christi.

Respodet idem Doctor Angelicus ibidem ad primum, quòd *ex speciali revelatione Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant, ut nomen Christi, quod erat odiosum Iudæis & gentilibus, honorabile redderetur per hoc quòd ad ejus invocationem Spiritus Sanctus dabatur in Baptismo.* Et addit alibi, quòd quia illius dispensationis causa fuit conveniens illi tempori, modò verò non est conveniens; idcircò licèt tunc validum esset sacramentum Baptismi ab Apostolis in nomine Christi collatum, nihilhominùs modò foret invalidum.

Objicies 3. Alexander III. Capite, *si quis*, de Baptismo, expressè ait, *Si quis puerum ter in aquam immerserit in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen: & non dixerit, Ego baptizo te in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen: non est puer baptizatus*: Si non est baptizatus puer; ergo Sacramentum Baptismi non est validum: Ergo ex mente hujus Summi Pontificis hæc omnia verba nullo prorsùs excepto, necessaria sunt ad validitatem Sacramenti, contra id quod supra diximus, nempè quòd Baptismus esset validus, licèt omitteretur particula, *Ego*, vel particula, *Amen.*

Respondeo, distinguendo, ultimam consequentiam: Hæc omnia verba sunt necessaria ad sacramenti validitatem, vel implicitè, vel explicitè, concedo; semper explicitè, nego: & quia ut supra etiam diximus in verbo, *baptizo*, implicitè continetur, & subintelligitur pronomen, *Ego*, etiam aliis verbis subintelligitur particula, *Amen*; idcircò illis expressè prætermissis, propter alia verba implicitè utrumque vocabulum importantia validum esset sacramentum.

Et quòd hæc sit vere mens Summi Pontificis patet : tum quia Summus Pontifex nihil aliud intendit, quàm demonstrare esse omninò necessarium nedùm quòd ipsa actio fiat, sed etiam quòd verbis exprimatur ; unde hoc dixit propter verbum, *baptizo*, & propter expressionem Personarum Sanctissimæ Trinitatis, & non propter quodlibet ex aliis verbis in particulari : tùm quia Ecclesia Latina numquàm reprobavit Baptismum Ecclesiæ Græcæ tanquàm invalidum, & nihi ominùs Græci non exprimunt illud pronomen, *Ego*, quia non dicunt, *Ego te baptizo :* sed dicunt, *baptizatur servus Christi :* Ergo constat, quodlibet ex prædictis verbis non esse necessarium ad validitatem sacramenti.

ARTICULUS II.

Explicantur plures casus conscientiæ circa materiam, & formam Baptismi.

Ex omnibus conscientiæ casibus, qui circa materiam, & formam Baptismi agitari possunt eos tantum explicabimus, qui sunt necessarii, vel saltem utiles, & eos omnes sequentibus Regulis comprehendemus.

Prima regula generalis est, quòd Baptimus validè conferri potest in aqua putei, fontis, fluminis, stagni, paludis, maris : in aqua calefacta à sole, vel igne ; in aqua turbida, vel salsa, aut amara : in aquis mineralibus balneorum sulphureorum ; in aqua pluviæ ; immò etiam in lixivio, & aliis hujusmodi : quia diximus, cum de Sacramentis in communi, quòd tunc salvatur essentia sacramenti ex parte materiæ, quando subsistit essentia, sivè species illius rei sensibilis, sivè elementi, quod componit sacramentum : & quia in omnibus prædictis salvatur vera species, & essentia aquæ naturalis, simplicis, & elementaris, cum omnes hujusmodi mutationes sint accidentales tantùm, idcircò sufficiunt pro materia Sacramenti Baptismi quantùm ad ejus valditatem.

Secunda regula est quòd Baptismus non potest validè conferri in saliva, sudore, vel lachrymis, vel aqua rosacea, vel aqua vitis, vel aquis artificialibus, aut alchymicis, aut aliis similibus: Quia non habent essentiam, aut speciem aquæ naturalis, simplicis, & elementaris.

Tertia regula est, quòd Baptismus fieri nequit in luto, quia lutum est magis terra, quàm aqua; neque in vino lymphato, quia est magis vinum, quàm aqua: Validè tamen fieri potest in aqua ex luto expressa; immò etiam in aqua ex vino extracta, si verum sit quod aliqui dicunt, extrahi posse; quia tamen dubium est, utrùm illa aqua extracta sit vera & naturalis aqua idcircò in ipsa baptizandum esset sub conditione, & in casu necessitatis, sicut dicemus de aliis casibus.

Quarta regula generalis est: Quamvis aquæ admisceantur aliæ substantiæ extraneæ sivè carnis, sivè aliorum ciborum, aut etiam liquorum, si nihilominùs remaneat aquæ substantia, non censetur mutatio essentialis; sed accidentalis tantùm; & idcircò jusculum carnis potest esse materia Baptismi, si in eo sit magis de aqua, quàm de aliena substantia, & è contra non potest esse materia si sit magis de corpore extraneo, quàm de ipsa aqua, quod dignosci potest ex spissitudine; si verò dubium suboriatur, debemus ipsâ uti sub conditione.

Quinta regula generalis est: Non posse fieri Baptismum in nive, glacie, vel grandine, quia licèt ibi sit materia remota Baptismi, sivè species, & essentia aquæ naturalis, & elementaris, non est tamen materia proxima, sivè ablutio, quia aqua in tali dispositione non est capax abluendi: fieri tamen posset Baptismus in aqua ex ipsis resoluta, quia tunc esset materia tam proxima, quàm remota, & ex hujusmodi aquâ fieri posset ablutio: Dubitatur inter casuistas de aqua quæ resolveretur ex sale; undè in casu necessitatis eâ utendum foret sub conditione.

Sexta regula generalis est, quòd ablutio fieri debet in parte notabili corporis v. g. in capite; certum est enim quòd quia in ipso vigent omnes sensus, idcircò sufficit ipsum abluere, & tunc abluitur pars pro toto:

dubitatur autem de aliis partibus corporis: Quidam casuistæ dicunt sufficere quòd minima gutta aquæ tangat minimam corporis partem; immò Dominicus Soto asserit sufficere quòd aqua tangat capillos; immò Sylvester dicit sufficere quòd aqua tangat pellem secundinam, quâ involuuntur pueri, dum nascuntur, quia hæc omnia censentur pertinere ad corpus humanum: Omnes hujusmodi opiniones ad hoc saltem inserviunt, ut quando aliter fieri nequit, hoc modò saltem conferatur Baptismus, ad minus sub conditione.

Septima generalis regula est, quòd ut omnia vitentur inconvenientia, & præsertim periculum irritandi Sacramentum Baptismi, debent omnia verba formæ in Ecclesia ordinariè distinctè proferri, scilicèt, Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen: Nihil autem refert ad validitatem in quacumque lingua proferantur quia sufficit quòd remaneat substantia significationis hujusmodi verborum: Immò nullus dicitur esse scrupulus, quamvis hæc verba non ita benè pronuncientur ex balbutie, vel lapsu linguæ, aut alio simili defectu, ut si balbus dicat pa is loco patris, quia hoc non obstante remanet substantia significationis verborum juxta communem usum.

Octava regula generalis, eaque notatu dignissima est pro omnibus Sacramentis, quam benè, & fusè explicat Mercorus in sua Basi Theologiæ Moralis, nempè: Quoties est aliqua opinio probabilis circa sacramenti administrationem, & præcipuè Baptismi, utpotè sacramenti necessitatis ad salutem, quantumcumque minima sit hujus opinionis probabilitas, eam sequi debemus, & administrare sacramentum sub conditione; quia debet esse principium generalissimum; quòd sacramenta sunt media ordinata ad salutem hominis tanquàm ad finem: est autem de ratione mediorum quòd inserviant fini suo, quantùm possunt, atque ita in casu quo periclitaretur vel salus hominis ex una parte, vel sacramenti validitas ex altera, deberemus potiùs sacramentum exponere periculo irritationis, quàm hominem periculo damnationis: Sed optimè advertit idem author, quòd conferendo sacramentum sub conditione evitamus utrumque periculum, modò

conditio præponatur, & non postponatur verbis sacramentalibus, v. g. dicendo, si est materia sufficiens, vel, si non es baptisatus, Ego te baptizo: non verò è contra, Ego te baptizo, si non es baptizatus, aut si materia est sufficiens; quia postponendo conditionem verbis sacramentalibus statim atque hujusmodi verba pronunciata sunt, antequàm pronuncietur conditio, vel confectum est sacramentum, vel invalidatum. Sed quando præponitur conditio, antequàm verba sacramentalia proferantur, si conditio subsistit, sacramentum conficitur; si autem non subsistit, non tamen propterea irritatur, quia sacramentum dependere quidem potest ex aliqua conditione de præterito, vel de præsenti, sed non ex conditione de futuro, ut suo loco magis explicabimus.

ARTICULUS III.

Utrum pueri Judæorum, & aliorum infidelium sint invitis parentibus baptizandi.

Advertendum est pro intelligentia celebris hujus difficultatis, quód infideles quoad propositum sunt in duplici differentia; alii nullo modò sunt Ecclesiæ subditi, ut illi, qui numquam baptizati fuerunt, nec aliàs jure belli subditi sunt dominio Ecclesiæ: Alij verò sunt Ecclesiæ subditi vel quia Baptismum susceperunt, sicut hæretici, & schismatici, vel quia jure belli capti sunt, ut Judæi, qui inter nos commorantur; & alii plures, qui quotidie in bello Christianorum contra Infideles capiuntur: Rursus ex illis, qui Ecclesiæ subditi sunt, alii subduntur dominio civili tantùm, & politico; alii verò etiam dominio servili, & despotico: Judæi v. g. subduntur priori dominio, quia inter nos civiliter, & politicè permittuntur commorari, eo ferè modo quo alij cives in civitate, & regnicolæ in regno: posteriori modo subduntur illi omnes, qui jure belli in captivitatem rediguntur, quales sunt inter nos aliqui & plures in illis urbibus Christianorum quæ sunt finitimæ urbibus infidelium.

Advertendum est 2. Quòd ex communi consensu do-

ctorum possint filii Hæreticorum, & Schismaticorum, invitis eorum parentibus, baptizari; quia fatentur omnes, quòd Ecclesia potest Hæreticos, & Schismaticos cogere ad observantiam omnium præceptorum naturalium: & Divinorum: Cùm igitur unum ex præcipuis præceptis sit baptizandi parvulos, ad hoc potest Ecclesia cogere Hæreticos, si nolent parvulos baptizare: Nullus tamen hoc attentare debet authoritate privata, sed tantùm authoritate publica; nisi in casu, quo filius alicujus Hæretici foret proximè moriturus, & vellent nihilominùs ipsius parentes differre Baptismum; tunc enim quilibet Catholicus deberet hujusmodi parvulum baptizare, ut etiam dicemus postea, quòd in simili casu baptizandi forent pueri quorumvis infidelium. His interim prænotatis.

Triplex circa propositam difficultatem est sententia: Nam Scotus, & Scotistæ, & quidam alii Theologi tum antiqui, tum moderni docent, quòd licet non possint privatæ personæ baptizare pueros infidelium invitis parentibus, nihilominùs id possunt principes, & alii publicam habentes authoritatem.

Secunda sententia est Capreoli, Catharini, & aliorum ex antiquis, & modernis asserentium non posse baptizari parvulos infidelium invitis parentibus quocumque modo subjiciuntur Ecclesiæ.

Tertia est Caïetani, Soti, Ledesmæ, Cabreræ, & aliorum communiter Thomistarum, quam explicabimus conclusione sequenti, & ostendemus etiam esse D. Thomæ.

Conlcusio: Non licet baptisare parvulos infidelium, etiam eorum qui subditi sunt Ecclesiæ dominio civili, & politico: benè tamen eorum, qui subduntur Ecclesiæ dominio servili, & despotico.

Probatur 1. pars conclusionis, & infertur ex principio alibi explicando, quod nempè gratia non destruit naturam, sed eam perficit: Undè etiam jus divinum non abrogat, sed perficit jus naturæ; hoc supposito formatur argumentum. Vel hujusmodi parvuli ita baptizarentur, ut abstraherentur à cura parentum, & inter catholicos educarentur; vel ita ut relinquerentur sub cura parentum ab ipsis educandi: Neutrum fieri po-

est: Ergo non est licitum invitis parentibus eos baptizare. Probatur minor quoad primam partem: quia illicitum est privare aliquem jure suo: Sed parentes jus paternum habent in filios suos ad eos educandos: Ergo illicitum est, & injustum ab ipsis invitis auferre parvulos, & eos tradere aliis educandos. Probatur etiam eadem minor quoad secundam partem: quia illicitum est exponere sacramenta manifesto periculo prophanationis: Sed relinquere parvulos baptizatos sub cura parentum infidelium, esset exponere Baptismum manifesto periculo prophanationis, quia moraliter certum est quòd hujusmodi parvuli cum pervenerint ad usum rationis propter affectum naturalem erga parentes, sequentur eorum instinctum, & abnegabunt fidem quam in Baptismo receperunt: Ergo illicitum est hoc etiam modo baptizare hujusmodi parvulos.

Probatur eadem prima pars 2. ratione, quæ maximè convincit: si licitum foret baptizare parvulos infidelium alterutro ex his duobus modis, procul dubio tot Sanctissimi Pontifices, & Imperatores Christiani jussissent baptizari parvulos Judæorum apud nos commorantium, cum hoc eis facillimum esset: Sed nedùm Ecclesia Romana hoc non facit, verùm etiam hoc prohibet; undè cum à triginta circiter annis in hac Urbe Avenionensi quidam Catholicus baptizasset parvulam filiam alicujus Judæi, jussit quidem Sacra Congregatio de propaganda fide, ut hæc filia abstraheretur à cura parentum, & in monasterio monialium educaretur, sed simul etiam prohibuit ne ullus deinceps attentaret baptizare hujusmodi parvulos Judæorum inuitis parentibus: Cum ergo Ecclesia Romana debeat esse regula nostra in rebus fidei, & morum, videtur modò nedùm certa Thomistarum sententia in hac parte, sed etiam improbabilis opinio eorum, qui docent oppositum.

Secunda pars conclusionis Probatur: Quando aliquis habet dominium despoticum in alterum, nedùm potest disponere de illo ad libitum, sed etiam de bonis ipsius immó de ipsis filiis, ita ut vel patrem servum, vel filios ejus vendere possit; Igitur is potest filios à

parentibus separare, eosque tradere aliis educandos; & tunc cessabit inconveniens, quod ex D. Thoma attulimus, quia si hujusmodi parvuli baptizentur, nec privabuntur parentes jure suo paterno, quando ab ipsis separabuntur filij, nec exponentur sacramenta periculo prophanationis, qu a poterunt hujusmodi filij à Catholicis piè, & religiosè enutriri; immò docent plures Theologi, non fore inconveniens, quòd hujusmodi parvuli relinquantur sub cura parentum, modò præcaveant domini ne ab ipsis pervertantur.

Probatur 2. Conclusio quoad utramque partem: Non possunt parentes infideles cogi ad suscipiendum Baptismum: ergo neque etiam ad permittendum, quòd sui filij baptizentur. Probatur antecedens: quia una ex dispositionibus requisitis ad Baptismum in adultis est fides: sed ad fidem cogi non possunt: ergo neque ad Baptismi susceptionem: Major probabitur infra, & est communis inter Theologos: Minor etiam probatur; quia ut dicitur agendi de fide, Fides exigit piam motionem voluntatis, sivè quòd voluntas hominis fidelis liberè determinet ipsius intellectum ad præbendum assensum mysteriis fidei: sed constat neminem cogi posse ad id quod liberum est: ergo ad fidei susceptionem nemo cogi potest. Consequentia verò primi argumenti probatur: quia quando Christus in Evangelio præcepit, ut Apostoli, eorumque discipuli baptizarent omnes, loquebatur de adultis tam benè, quàm de parvulis: si ergo, non obstante tali præcepto, non baptizantur adulti nisi ipsi consentiant; ita non debent baptizari parvuli, nisi parentes eorum consentiant, quia eâdem proportione, quâ parentes possunt liberè de se ipsis disponere, possunt etiam liberè disponere de suis parvulis; sicut nihilominùs illi, qui sunt captivi, amiserunt libertatẽ circa se ipsos, ita etiam circa suos parvulos, quos proindè licitum est ipsis invitis baptizare.

Confirmatur hæc ratio quantùm ad primam partem conclusionis jam stabilitæ: Christus Dominus, & Apostoli dederunt nobis exemplum in omnibus, præsertim in eis, quæ pertinent ad Evangelij prædicationem, & ad collationem Baptismi, qui est Sacramentum apprimè necessarium: sed ex toto Evangelico con-

stat, Christum Dominum nec per seipsum, nec per suos Apostolos coëgisse unquàm infideles ad susceptionem Evangelij, vel baptismi, sed misisse Apostolos suos, ut converterent mundum ad religionem christianam absque armis, & sæculari potentia, sed miraculis, beneficiis sanctis exemplis, mansuetudine, humilitate, patientia, aliisque virtutibus, & persuasionibus: ergo omnes Christiani tanquàm imitatores Christi, & Apostolorum debent non violenter infideles, aut eorum filios ad fidem, vel baptismum cogere, sed suaviter ad religionem nostram inducere, nisi in casu quo absolutum supra ipsos dominium habeant, ita ut & parentes, & filij captivi non dependeant ex voluntate, & libertate propria, sed domini sui.

Plures instantiæ fieri possunt contra prædictas rationes, quæ proponentur, & solventur in sequentibus obiectionibus.

Objicitur primò: eadem est ratio de baptismo in novo Testamento, ac de circumcisione in veteri Testamento: sed tunc licitum erat circumcidere pueros infidelium inuitis parentibus: ergo nunc etiam licet eos baptizare. Major constat: quia sacramentum Baptismi substitutum est sacramento Circumcisionis, quod erat ipsius figura: Minor probatur: nam primi Machabæorum capite 2. de Mathathia sic legitur, *Circuivit Mathathias, & amici eius, & destruxerunt aras, & circumciderunt pueros incircumcisos quotquot invenerunt in finibus eorum*: ibi autẽ laudatur Mathathias propter præclaras actiones suas: ergo cum procul dubio inter hujusmodi parvulos essent plures pertinentes ad parentes infideles, cum quibus tunc Judæi bella gerebant, sequitur fuisse laudabile circumcidere pueros infidelium, licet invitis parentibus eorum.

Respondeo, & est regula generalis, quòd si hujusmodi parvuli capiantur in bello, licitum est nunc eos baptizare, sicut tunc licitum erat eos circumcidere; non verò, si non capiantur in bello: & ratio semper est, quia iure belli rediguntur in captivitatẽ; & jam diximus quòd possunt domini baptizare filios captivos, & laudabiliter hoc faciunt: & constat ex loco citato Scripturæ, quòd Mathathias eos tantùm circumcidit, quos jure belli fecerat captivos.

Objicitur 2. Dicitur communiter, si jubeat aliquid Imperator, & iubeat aliud Prætor, obediendum est Imperatori potiùs, quàm Prætori, quia quãdo præcepta sunt invicem contraria, debemus exequi præceptum potiùs superioris, quàm inferioris: sed Deus iubet, ut baptizemus parvulos: ergo debemus eos baptizare, quamvis reluctentur parentes infideles: undè etiam in actibus Apostolorum legimus eam fuisse Apostolorum vocem, *Obediendum est magis Deo, quam hominibus.*

Respondeo, & est altera generalis regula, distinguendo maiorem: quando Imperator, vel alius superior vult quod exequamur præceptum eius, etiam contra voluntatem Prætoris, aut cuiusvis alterius inferioris, concedo; quando non vult quòd præceptum ipsius exequamur, nisi de consensu inferioris, nego: & similiter distinguenda est minor; licet enim Deus velit, & iubeat, quòd baptizemus parvulos, vult tamen, & iubet etiam quòd hoc fiat dependenter ex beneplacito, & consensu parentum eorum.

Obiicitur 3. & replicabis contra præcedentem solutionem: Voluntas Dei est, quòd baptizentur parvuli etiam contra voluntatem parentum: sed iam diximus, quòd Deo obedire debemus, quando aliquid iubet absolutè, & vult illud servari, etiamsi nolint homines: ergo huiusmodi parvuli baptizandi sunt etiam invitis parentibus. Maior probatur: si parentes infideles vellent corporaliter occidere parvulos suos, posset, immò teneretur quilibet catholicus huiusmodi parvulum eripere de manibus parentum, ipsique vitam servare: sed quando parentes infideles nolunt permittere quòd baptizentur sui parvuli, peius faciunt, quàm si eos corporaliter interficerent, quia interficiunt spiritualiter, & eos exponunt periculo damnationis æternæ: ergo à fortiori nedùm illi qui publicam habent authoritatem, sed etiam quilibet Christianus authoritate privatâ potest parvulum eripere de manibus parentum, eumque ipsis invitis baptizare; nec ulla potest assignari ratio, cur velit Deus, quòd conservemus vitam corporalem parvulis infidelium ipsis invitis, quàm quod eis conferamus vitam spiritualem.

Respondeo, negando consequentiam, & paritatem inter

vitam corporalem, & spiritualem: regula enim generalis est, quòd tenentur infideles, & omnes prorsùs homines observare præcepta naturalia hoc ipso quòd præditi sunt ratione, & lumine naturali: undè ad hujusmodi præcepta observanda cogi possunt ab illis, qui publicam potestatem habent ut eos cogant; & in casu quo ad istos qui hanc potestatē tenent, recurri non posset, quilibet particularis potestatē habet: undè cum omnes parentes jure naturali obligentur cōservare vitam parvulis suis, & peccant contra naturam, quando eos interficere volunt, idcircò omnes potestatem publicā habentes, debent parvulos è manibus eorum eripere, quando volunt ipsos interficere: & si antequàm ad judices recursus haberi posset, existimaremus interficiendum parvulum, deberet quilibet eum eripere, & salvare: sed ad observāda præcepta supernaturalia nemo cogi potest nisi qui ad eorum observantiam se obligaverunt; & aliundè ut jam diximus, nullus cogitur, ut se obliget ad hujusmodi observantiam, nec ut acceptet fidem, & religionem nostram; sed Christus, & Apostoli, & omnes eorum successores invitaverunt ad Religionem Christianam per solam verbi Divini prædicationem, per exempla virtutū, per miracula, sine ulla violentia: cum igitur præceptum suscipiendi Baptismum sit omninò supernaturale, nec ad ipsum cogi debent infideles, nec eorum filij.

Et quòd hæc solutio sit legitima, evidenter probatur ex eo quòd certum est, quòd non possumus hominem adultum baptizare invitum, & reluctantem, & nihilominùs ipsum etiam invitum impedire possumus, & debemus, ne se occidat: cujus nulla alia ratio assignari potest, quàm quòd præceptum non se interficiendi est naturale, ad quod observandum omnes cogi possunt: præceptum verò suscipiendi Baptismum est supernaturale, ad quod observandum omnes quidem invitari possunt, & debent, sed non possunt, nec debent cogi.

Objicitur 4, & replicatur contra præcedentem solutionē: Reiicere Baptismum, est peccatum contra lumen naturæ: sed possunt infideles cogi ad servanda præcepta naturæ, & impediri, ne contra ipsam peccent: ergo possunt etiam cogi ad non reijciendum Baptismum, & consequenter ad ipsum suscipiendum, & pro suis parvulis. Probatur major quia lumen naturæ

dictat Religionem Catholicam esse omnibus aliis præferendam, præsertim quando sufficienter fuit exposita: igitur infideles, quibus sufficienter religio nostra exposita est, peccant contra lumen naturæ, si eam reijciant.

Respondeo, & est regula generalis, cum distinctione; peccant contra lumen naturæ, directè & immediatè, nego; indirectè, &, mediatè concedo: & similiter concedo, quòd catholici potestatem habentes possunt indirectè, & mediatè cogere infideles ad fidei susceptionem, sed non directè, & immediatè, quia ut dicitur in tractatu de auxiliis divinæ gratiæ, si infideles benè uterentur auxiliis naturalibus, & sequerentur instinctum naturæ in fuga mali, & prosecutione boni, credendum est certissimè, inquit D. Thomas, quòd eos Deus vel per se ipsum vel per aliquem angelum, aut aliquem concionatorem instrueret de rebus fidei: sicut igitur possunt Christiani cogere infideles ad observanda præcepta naturalia, ita possunt eos indirectè, mediatè, & per accidens cogere ad fidei susceptionem.

Vel potiùs ut melius loquar, cogi possunt infideles ad audiendum Evangelium, sed non possunt cogi ad ipsum acceptandum: & hæc est praxis Ecclesiæ Romanæ: undè in hac urbe coguntur Judæi audire concionem qualibet die Sabbati. Cujus ratio est, quia lumen naturale dictat, audiendum esse Evangelium, ut judicemus an sit verum, relinquendo postea ipsi arbitrio infidelium præbere, vel denegare assensum Evangelio jam audito. Ad summum igitur infideles cogi possunt, ut audiant propositionem nostræ fidei, & in suis terris permittant Evangelij prædicationem; sed cogi non possunt ad ipsius susceptionem, & observantiam.

Objicitur 5. Si parentes infideles docerent filios suos blasphemare contra Christum, Beatissimam Virginem, & Religionem Christianam, licitum foret hujusmodi parvulos separare à parentibus, & tradere aliis meliùs erudiendos: sed pejus faciunt, quando eos in infidelitate sua erudiunt: ergo etiam in isto casu licitum est eos separare, & baptizare. Major probatur: quia omnes Judices debent protegere innocentes, & impedire ne fiat eis injuria: Christus autem, Beatissima Virgo,

& religio Christiana sunt innocentes, & fit eis iniuria per blasphemiam : ergo blasphemos coercere possunt, & debent : Minor etiam probatur : quia infidelitas secundùm omnes Theologos est maius peccatum, quàm blasphemia : ergo parentes peius faciunt, dum filios erudiunt in infidelitate, quàm dum docent eos blasphemare.

Respondeo, infidelitatem esse maius peccatum, quàm blasphemiam cæteris paribus, & absolutè loquendo, non autem cæteris imparibus, & respectivè ad societatem humanam : regula enim generalis est, quòd respublica Christiana, sicut & respublica civilis non magis puniunt peccata, quæ sunt maiora secundùm se, sed quæ magis nocent societati politicæ, & Christianæ : undè quamvis fornicatio sit peccatum mortale, & valdè grave, non ita tamen pluribus in locis punitur sicut homicidium, immò alicubi * permittitur, quamvis homicidium nullibi permittatur, quia homicidium magis nocet humanæ societati : ita quamvis infidelitas sit gravissimum peccatum, Deus tamen vult, quòd permittatur, quamvis non velit, quòd permittatur blasphemia, quia Deus vult liberam esse fidei susceptionem, atque ita si aliquis non velit fidem suscipere, potest in infidelitate sua permanere : quia tamen unusquisque suam religionem sequi potest seu veram, seu falsam, absque eo quòd blasphemet de aliis religionibus, idcircò puniuntur infideles si blasphement de religione Christiana : non censentur autem blasphemare contra Religionem Christianam per hoc purè, ac præcisè quòd eam non acceptent, sivè reiiciant, quia in hoc non fit iniuria notabilis Religioni Christianæ. Undè.

Responderi potest 2. duplex esse genus iniuriæ, quæ Religioni Christianæ fieri potest : altera ex eo quòd reiicitur, & existimatur falsa ; & hæc iniuria, & omnis alia similis permittitur ex ipsa natura Religionis Christianæ, quæ vult liberè acceptari, ideòque dat libertatem ipsam reiiciendi : alia est iniuria excedens huiusmodi limites, ut si dicerentur christiani stulti, & irrationales; & hæc iniuria, aut alia similis non nascitur ex ipsa natura Religionis Christianæ, sed potiùs

* *seu melius toleratur, ut & in sequentibus.*

est contra naturam ejus, & propterea ab ipsa non permittitur, & ideò quando infideles in huiusmodi iniuriis excedunt, puniuntur à Christianis, & privantur etiam in pœnam illo iure, quod habent in suos filios.

Obiicitur 6. Ratio, propter quam non possumus baptizare filios infidelium invitis parentibus, est, quia non possumus privare parentes iure suo in filios: sed hæc ratio nulla est: ergo. Probatur minor: quia Gregorius Nonus in capite, ex litteris, de conversione infidelium, expressè asserit, quòd *Si pater velit infantem baptizari, licèt mater nolit; vel è contra mater consentiat, licet pater repugnet; infans baptizandus est:* Sed hoc fieri non posset, saltem in secundo casu, si ratio prædicta valeret: ergo: Minor probatur: quia ius patris prædominatur iuri matris: ergo si attendendum esset ad huiusmodi ius, non foret baptizandus infans repugnante patre, licet consentiente matre.

Respondeo, & est altera regula generalis: ius patris prædominatur iuri matris cæteris paribus, concedo; si cætera non sunt paria, nego: quia est regula generalis in Theologia Morali, quòd favorabilia sunt amplianda, & odiosa restringenda: cum igitur favorabile sit conferre baptismum parvulis, & sit odiosum denegare ipsis propter ius parentum, idcircò licentia baptizandi huiusmodi parvulos ampliari debet, quando alteruter parentum præbet consensum, sivè fuerit pater, sivè mater.

Obiicitur 7. Baptizare possumus parvulos infidelium etiam invitis parentibus, quando sunt, moraliter loquendo, proximè morituri: ergo absolutè loquendo, & in quocumque casu illud etiam possumus. Antecedens est praxis Ecclesiæ Romanæ; nam cum Carmelitæ excalceati in Perside, & aliis infidelium regionibus huiusmodi parvulos morti proximos baptizarent & numerus parvulorum qui ita baptizati fuerant, invitis parentibus, oblatus fuisset Sacræ Congregationi de propaganda Fide, hoc approbavit Sacra Congregatio: consequentia verò probatur: quia quãtùmcunque hujusmodi parvuli sint proximè morituri, adhuc nihilominùs remanēt sub cura parentũ; si igitur in illo casu privantur parẽtes jure suo, cur non etiam privabuntur in aliis casibus?

Respondeo esse axioma morale, & simul alterã regulã

generalem; quod parùm distat, nihil distare videtur: Undè parvuli proxime mortui, quamvis physicè sint adhùc vivi, moraliter tamen censentur mortui: & hoc ipso exempti sunt à cura, & jure parentum; in aliis autem casibus à tali jure parentum non sunt exempti; & ideò in isto casu, non autem in aliis, possunt baptizari.

Objicitur 8. Ex suppositione, quòd parvuli baptizati fuerint contra voluntatem parentum infidelium, quamvis hujusmodi Baptismus contra justitiam fuerit collatus, non desinit esse validus, & tunc separandi sunt parvuli à cura parentum, & tradi debent Catholicis educandi: hæc enim est praxis Ecclesiæ Romanæ, nam initio hujus Articuli diximus, quòd Congregatio de propaganda Fide jussit illam parvulam, quæ contra voluntatem suorum parentum Judæorum baptizata fuerat, ab ipsis separari, & in monasterio monialium educari. Ergo etiam separari possunt ante Baptismum ad hoc, ut illis conferri possit, maximè cum parentes privari debeant jure suo, quando ipso abutuntur; abutuntur autem jure suo in filios, quando permittere nolunt, quòd baptizentur: Ergo hoc ipso tali jure privari possunt, & debent.

Respondeo, esse aliud axioma morale, & aliam generalem regulam; quod ex duobus malis minus est eligendum: & quia ex suppositione quòd Baptismus sit collatus hujusmodi parvulis, alterutrum inconveniens sequi debet, vel quòd parentes jure suo priventur, vel quòd Sacramentum prophanetur, idcircò minus malum eligendum est, privando parentes jure suo ad evitandum majus malum, scilicèt prophanationem sacramenti: Sed extra hunc casum, & alios jam explicatos, non sunt parentes privandi jure suo, si abutantur ipso præcisè non acceptando Religionem nostram, vel ipsum Baptismum, cum Deus velit, ut hoc dependeat ex eorum voluntate.

ARTICULUS IV.

De institutione, obligatione, subjecto, & effectibus Baptismi.

Plura dici possent circa ea quæ proponutur in titulo, & fusè explicantur à D. Thoma 3. parte, quæstione 66. & sequentibus; sed ea tantum referemus, quæ videntur necessaria, vel utilia.

Advertendum est primò, quòd licèt in hoc omnes conveniant, quòd Christus Dominus immediatè per seipsum instituit Baptismum, ita ut ipsi etiam Hæretici hoc fateantur, nihilominùs inter Doctores Catholicos dissensio est circa tempus institutionis: Quidam enim volunt Christum non instituisse hoc sacramentum nisi post resurrectionem: Alij verò dicunt, quòd Christus ipsum instituit, quando dixit Nicodemo, ut habetur Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritus Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Sed D. Thomas in prædicta quæstione 66. articulo secundo expressè docet, Christum instituisse Baptismum, quando fuit baptizatus in Jordane: Quæ sententia videtur etiam esse D. Augustini sermone 3. Dominicæ infra octavam Epiphaniæ, ubi sic ait, *Ex quo Christus in aquam mergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua:* Sed aqua non abluit peccata, nisi quatenùs ingreditur Sacramentum Baptismi tanquàm ipsius materia: Ergo innuit D. Augustinus ex tunc institutum fuisse Sacramentum Baptismi. Idemque etiam infertur ex nostro principio: diximus enim quòd Sacramentum Baptismi ordinatur ad regenerationem spiritualem: sicut igitur initio mundi ex aqua omnia generata sunt, quando Spiritus Sanctus apparuit super aquas; ita conveniens fuit, quòd omnium regeneratio inciperet, quando Christus ingressus est aquas Jordanis, & Spiritus Sanctus apparuit super eas in specie columbæ. Videri possunt aliæ congruentiæ in D. Thoma.

Regula generalis ad conciliandas Doctorũ opiniones,

& etiam sanctorum Patrum testimonia, est, quòd dicere possumus institutionem baptismi fuisse inchoatam, quando Christus ingressus est aquas Jordanis, fuisse verò consummatam, quando post resurrectionem, Matthæi ultimo, dixit discipulis suis, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Cum enim hoc sacramentum baptismi, sicut supra diximus de omnibus sacramentis novæ legis, constet elemento sensibili tanquàm materiâ, & verbis tanquàm formâ, videtur congruum asserere tunc inchoatam fuisse baptismi institutionem, scilicet ex parte materiæ, quando Christus Dominus tangendo elementum aquæ in Jordane per suum corpus sacratissimum, contulit illi virtutem regenerandi spiritualiter, quoties foret materia baptismi, consummatam verò fuisse institutionem, scilicet ex parte formæ, quando Christus in illo ultimo cap. Matthæi post resurrectionem suam protulit verba, quæ sunt ipsa forma baptismi, dicendo, *Baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Advertendum 2. quòd circa obligationem baptismi, licet fateantur omnes, quòd hujusmodi obligatio se extendit ad quemlibet hominem, dissentiunt tamen circa tempus, quo incæpit ista obligatio: breviter assignari potest regula generalis ad explicandas, & conciliandas authoritates, & opiniones Patrum, & doctorum, distinguendo duplex genus obligationis: alia enim est obligatio particularis, quæ respicit aliquem in particulari: alia generalis, quæ respicit omnes in communi: & possemus dicere, quòd particularis obligatio Baptismi incæpit ab eo tempore, quo Christus Nicodemo dixit prædicta verba, quæ retulimus ex 3. cap. Joannis, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Obligatio verò communis incæpit ex eo tempore quo Christus protulit alia verba, quæ retulimus ex ultimo cap. Matthæi, *Euntes docete omnes gentes, &c.* Ratio est quia ex eo tempore, quo Christus sic allocutus est Nicodemum, illi in particulari, qui habebant notitiam hujus Mysterij, & sacramenti, obligabantur ad ipsius susceptionem, cum Christus assereret, eos aliter salvari non posse: sed ex eo tempore, quo Christus præcepit Apostolis, & discipulis suis, ut docerent, &

baptizarent omnes gentes, incæpit iſta obligatio eſſe generalis, nec ullus ex tunc ſalvari potuit ſine tali ſacramento vel in re, vel in voto, ut poſtea magis explicabimus.

Advertendum eſt 3 quòd omnes in caſu neceſſitatis poſſunt adminiſtrare hoc ſacramentum, quia cum ſit inſtitutum ad regenerationem ſpiritualem, & nullus niſi ſpiritualiter regeneratus poſſit introire in regnum Dei, quia regeneratio fit per gratiam, ſine qua nullus obtinebit gloriam, quæ ſola ſimpliciter loquendo eſt regnum Dei, idcircò eſt ſacramentum maximæ neceſſitatis, & ideò Deus vult ex maxima ſua miſericordia, ut faciliùs omnes homines ſalvari poſſint, quòd in caſu neceſſitatis poſſit quilibet eſſe miniſter hujus ſacramenti, ipſumque validè conferre, modò adhibeat materiam, & formam, ſicut ſupra diximus.

Advertendum 4 quòd nullus poteſt eſſe miniſter hujus ſacramenti reſpectu ſui ipſius, ſed tantùm reſpectu aliorum, ideſt, quòd nemo poteſt nec licitè, nec validè ſeipſum baptizare, ſed tantùm alios, atque ita nullum eſſet ſacramentum, ſi quis effundendo aquam ſupra ſe, diceret, ego me baptizo, &c. Ratio infertur ex noſtro principio: quia baptiſmus eſt regeneratio ſpiritualis ad inſtar generationis corporalis; undè ſicut nullus ſeipsũ poteſt generare, ſed neceſſe eſt, quòd ab alio generetur, ita nullus poteſt ſe ipſum regenerare, ſivè baptizare, ſed neceſſe eſt, quòd ab alio regeneretur, ſivè baptizetur: undè D. Thomas in prædicta quæſt. art. 5. ad quartũ ait, quòd *Propterea Chriſtus Dominus noluit baptizare ſeipſum, ſed voluit à Ioanne baptizari.*

Dices: Innocentius III. Extra. De baptiſmo, & eius effectu, conſultus de quodam Judæo, qui ſe ipſum baptizaverat, reſpondet quidem eſſe rebaptizandũ: ſed nihilominùs addit, *Talẽ ſalvandũ fuiſſe, ſi tunc obiiſſet:* Sed ſi ſacramentũ fuiſſet omninò nullum, non fuiſſet Judæus in virtute illius ſalvatus: ergo ſaltem in caſu neceſſitatis validum eſt ſacramentum baptiſmi etiam reſpectu ſui, & licet unicuique ſe ipſum baptizare.

Reſpondeo, ſummum Pontificem manifeſtè inſinuare, quòd tale ſacramentũ erat invalidum, quandoquidẽ ait, quòd *ille Iudæus erat rebaptizandus*; certũ eſt enim

quòd sacramentum non reiteratur, quando validum est. Dùm autem addit summus Pontifex, *Quòd si Iudæus in illo casu foret mortuus, salvatus fuisset*; non asserit, quòd salvatus fuisset virtute sacramenti in re suscepti, sed tantùm per sacramentum in voto susceptum; quia quamvis Baptismus, quem talis Judæus sibi contulerat, esset invalidus, erat tamen manifestum signum voti, seu desiderij, quod habebat, ipsius baptismi, ita ut voluisset, si potuisset, ab alio baptizari: dicemus autem postea, quód baptismus in voto salvare potest saltem adultos: non peccavit autem Judæus, ita sibi conferendo Baptismum, quia hoc fecit bona fide, & ex ignorantia invincibili, nesciens sacramentum ita collatum esse nullum: si quis autem sciens, & volens, ita sibi baptismum conferret, procul dubio mortaliter peccaret.

Advertendum est 8. Quód subiectum capax sacramenti baptismi est omnis homo viator tam parvulus, quàm adultus, ut docent omnes Doctores, & infertur ex nostro principio: quia institutus est baptismus ad regenerationem spiritualem, sivè ad recipiendam gratiam nos in Christo regenerantem: cùm igitur tam parvuli, quàm adulti sint subiectum capax gratiæ, sunt etiam subiectum capax baptismi.

Sed maxima differentia est inter dispositiones, quæ requiruntur in parvulis, & eas, quæ requiruntur in adultis ad baptismum: nam ut optimè ait D. Thomas, parvuli sunt veluti infantes intra matris uterum degentes, ubi non ore proprio nutriuntur, sed ore suæ matris: adulti veró sunt veluti infantes iam positi extra matris uterum, qui ore proprio cibum capere debent: ita similiter parvuli non debent actibus suis propriis sese disponere ad sacramentum Baptismi, sed disponuntur per fidem, & charitatem Ecclesiæ, veluti matris suæ: adulti verò propriis actibus sese disponere debent ad ipsum baptismum; & in primis requiritur, quód habeant fidem; deindè quód habeant saltem attritionem de suis peccatis: sed de hoc infra redibit sermo, & fusè ostendemus contra Jansenium, quód licitè possumus cum sola attritione accedere ad sacramenta mortuorum, qualia sunt sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ.

Advertendum 6. Quòd principalis effectus Baptismi est producere primam gratiam, quia ut sæpè diximus, Baptismus est regeneratio spiritualis, quæ explicari debet ad modum generationis corporalis: sicut ergo per corporalem generationem confertur ipsa vitæ essentia, quam possumus vocare primam vitam, seu vitam substantialem, ad quam sequitur secunda vita, seu vita accidentalis, quæ sunt ipsæ operationes vitales: ita conveniens fuit, quòd per Baptismum conferretur ipsa essentia gratiæ, seu prima gratia, quæ est vita animæ nostræ, & quam possumus dicere vitam essentialem in ordine supernaturali, ad quam sequitur vita accidentalis ejusdem ordinis supnrnaturalis, quæ sunt ipsæ virtutes, earumque operationes.

Baptismus confert etiam characterem tanquàm effectum minùs quidem principalem, quàm gratiam, sed tamen indelebiliter inhærentem: quæ omnia satis explicata sunt, cum ageretur de sacramentis in communi. An, & quomodo Baptismus conferat per accidens secundam gratiam, explicatur in tractatu de Pœnitentia, nam & Baptismo, & Pænitentiæ commune est conferre per se primam gratiam, & per accidens secundam.

Advertendum est tandem, quòd foret mortale peccatum differre sine aliqua legitima causa Baptismum parvulorum ultra octavum diem, vel ad summum ultra duodecimum: Ita communiter censent Doctores, & præsertim Dominicus Soto in 4. Sententiarum, distinctione 5. quæstione unica, articulo 3. & idcircò jure optimo Rex Christianissimus Ludovicus XIV. recenti Decreto jussit, ut si Hæretici suos filios intra octo dies non baptizarent, Catholici baptizarent eos.

In assignanda autem ratione differunt inter se authores: Alii volunt esse contra jus naturale ita differre Baptismum; alii esse contra jus divinum; alii putant esse solmmmodò contra jus Ecclesiasticum, quatenùs hæc consuetudo valdè rationabiliter in Ecclesia introducta est baptizandi parvulos intra illud tempus: Consuetudo autem vim habet legis in re maximi mo-

menti, quale est Sacramentum Baptismi, utpotè sacramentum necessitatis ad salutem: Et hæc ultima opinio probabilior est; quia si non foret talis consuetudo obligans ad modum legis, non apparet demonstrativa ratio, cur secundùm jus naturale, & divinum non posset differri Baptismus parvulorum ultra prædictum tempus, si aliundè nullum esset periculum mortis eorum.

Potest autem *a* (& sæpiùs fit præsertim in Gallia) conferri Baptismus intra illud tempus, servatâ debitâ materiâ, & formâ sacramenti quantùm ad ipsius essentiam remittendo ad aliud tempus cæremonias, quæ observantur in collatione hujus sacramenti: Et quia Hæretici nostri temporis hujusmodi cæremonias rejiciunt, & irrident, idcircò pro earum explicatione, & defensione sit.

ARTICULUS V.

De cæremoniis Sacramenti Baptismi.

Conclusio: Deus reliquit Ecclesiæ suæ dispositionem cæremoniarum, quæ concernunt sacramentum Baptismi. Ita omnes Catholici contra Hæreticos hujus temporis.

Probari posset conclusio pluribus rationibus, sed quia eas afferemus, quando agemus de traditionibus, idcircò unica pro nunc sufficiat, quæ est argumentum, quod vocant ad hominem contra Hæreticos. Christus reliquit Ecclesiæ suæ dispositionem circa ipsam Baptismi materiam, & in hoc Hæretici eam sequuntur: Ergo à fortiori reliquit ipsi dispositionem circa cæremonias Baptismi, in quibus omnes eam imitari debent. Consequentia videtur evidens: quia minus est disponere de cæremoniis, quas fatemur non pertinere ad ipsam essentiam Sacramenti Baptismi, quàm de materia, quæ pertinet ad ipsam essentiam, ut fatentur omnes: Si igitur Christus reliquit Ecclesiæ dispositionem circa aliquid majus, & essentiale in sacramento, à fortiori reliquit circa aliquid minus, & accidentale: Antecedens probatur: Nec est verbum, nec exemplum in scripturâ,

a Habitâ ab Episcopo legitimâ dispensatione.

ex quo poſſimus inferre quòd Baptiſmus ſit conferendus per ipſam effuſionem aquæ ſupra hominem baptizandum; immò potiùs è contra habemus exemplum, quòd Baptiſmus ſit conferendus per immerſionem ipſius baptizandi in aquam, cum Scriptura ſacra teſtetur, quòd Divus Philippus Apoſtolus hoc modo baptizavit Eunuchum Reginæ Candacis, ambo enim deſcenderunt in aquam: Et fatentur Hæretici hujus temporis, præſertim Voſſius in lib. de Baptiſmo, quòd initio Eccleſiæ Baptiſmus conferebatur per immerſionem, quæ conſuetudo perſtitit in Eccleſia per plura ſæcula: Igitur ex ſcriptura nec verbo, nec exemplo colligitur, quòd Baptiſmus ſit conferendus per aquæ effuſionem; nihilominùs modò Eccleſia confert Sacramentum Baptiſmi per hujuſmodi effuſionem, & ipſi etiam hujus temporis Hæretici hoc modo Baptiſmum conferunt: Ergo Eccleſia circa Baptiſmi materiam eſſentialiter ad ſacramentum requiſitam habet poteſtatem diſponendi de uſu ipſius materiæ, pro ut ex inſtinctu Spiritus Sancti expediens eſſe judicat: Quare ergo negant Hæretici Eccleſiam habere authoritatem diſponendi de cæremoniis ad hoc ſacramentum, vel potiùs ad magis convenientem ipſius adminiſtrationem requiſitis, pro ut ei ſuggerit Spiritus Sanctus?

Confirmatur præcedens ratio: Vel Chriſtus Dominus inſtruens Eccleſiam in ſuis Apoſtolis, & Diſcipulis determinavit uſum materiæ, quæ requiritur ad Sacramentum Baptiſmi; vel hujuſmodi uſum reliquit indeterminatum: Si dicatur quòd determinavit, contra eſt, quòd priùs Eccleſia utebatur materiâ Baptiſmi, ſivè aquâ, diverſimodè, quàm nunc utatur, nam primitiva Eccleſia baptizabat per immerſionem baptizandi in aquam, nunc Eccleſia baptizat per aquæ effuſionem; atque ita vel Eccleſia primitiva fecit contra inſtitutionem Chriſti quod nunquàm dicent Hæretici hujus tempori, quandoquidem generaliter reſpondent veram fidem quoad omnia myſteria fuiſſe in primitiva Eccleſia per quatuor prima ſæcula: Vel Eccleſia, quæ modò eſt, dum ita baptizat, facit contra inſtitutionem Chriſti, quòd ſi

hæretici hoc secundum dicunt, se ipsos condemnant; quandoquidem eumdem ritum in Baptismo observant. Si autem respondeatur, quòd Christus reliquit usum aquæ indeterminatum: Ergo reliquit ipsum determinandum Ecclesiæ, prout ei suggeret Spiritus Sanctus: Quod si semel concedatur, nulla prorsùs ratio afferri potest, cur non similiter reliquerit cæremonias Baptismi ipsi Ecclesiæ determinandas juxta inspirationem Spiritus Sancti: Quòd si respondeatur, Christum Dominum determinasse utrumque usum materiæ Baptismi, ut posset Ecclesia alterutro ex duobus modis uti aquâ ad baptizandum prout expediens judicaret: Contra est, quòd hoc nec verbo, nec exemplo probatur ex Scriptura, nam omnia verba Scripturæ, in quibus fit mentio de Baptismo, abstrahũt à modo, quo debemus uti aquâ: exempla autem, quæ habentur in Scriptura, non insinuant nisi modum utendi aqua ad baptizandum per immersionem ipsius baptizandi in aquam, ut patet in exemplo jam allato: Oportet igitur, quôd in hoc Hæretici recurrant ad traditiones: quòd si semel traditiones admittant circa usum materiæ sacramentorum, nescio quam rationem habere poterunt negandi traditiones circa ceremonias, quibus Ecclesia utitur in administratione eorumdem sacramentorum.

Objectio unica fieri potest ab Hæreticis, præter alias, quas faciunt contra traditiones, & quas etiam proponemus suo loco, & solvemus; interim ista solvitur: Nam dicere possunt, quòd in actibus Apostolorum habetur, aliquot millia hominum fuisse baptizatos una die: Hoc autem videtur fieri non potuisse per immersionem hujusmodi hominum in aquam, sed solum per effusionem aquæ super ipsos: Eodemque argumento utebantur aliqui ex antiquis, qui dicebant conferendum esse Baptismum per solam aquæ aspersionem, quia existimabant tot homines baptizari non potuisse nisi per simplicem aspersionem.

Sed facilè respondetur, ex hoc loco nihil prorsùs inferri in favorem Hæreticorum; cum enim tunc omnes Apostoli, & Discipuli forent congregati, & post

poſt prædicationem D. Petri, proindéque poſt ipſius inſtructionem, hujuſmodi homines, ſivè ex Judæis, ſivè ex Gētilibus fuerint baptizati, potuit facilè quilibet ex Apoſtolis, & qulibet ex diſcipulis baptizare aliquot ex ipſis, & illi qui priùs erant baptizati, baptizare aliquot ex aliis, qui ſuperant baptizandi, & ſic intra parvũ tempus omnes facilè baptizari potuerunt, per immerſionem in aquam: & ſanè credibile eſt, quòd ſi per ſolam effuſionem aquæ, vel ſola aſperſione baptizati fuiſſent hujuſmodi conſuetudo introducta fuiſſet in Eccleſiam; *a* cum tamen ut jam diximus, & ipſi etiam Hæretici *b* fatentur, Eccleſia primitiva habuerit per multa ſæcula conſuetudinem baptizandi per immerſionem.

Nimis prolixum eſſet recenſere in particulari omnes Baptiſmi ceremonias, & earum congruentias explicare quæ ſunt omnino ægregie videantur in D. Thoma 3. parte, quæſtione 71. Et in Catechiſmo Concilij Tridentini, & in aliis authoribus.

ARTICULUS VI.

Utrùm Baptiſmus Flaminis aliquando ſufficiat ad ſalutem.

Advertendum eſt primò, quòd duplicem diſtinguere poſſumus ſalutem. Alia eſt prima ſalus, quæ eſt ipſa juſtificatio, per quam recipimus gratiam, quæ ex noſtræ ſalutis inchoatio: Alia dicitur ſecuda ſalus, quæ conſiſtit in ipſa gloria, nam glorificatio eſt noſtræ ſalutis.

Advertendum eſt ſecundò, votum Baptiſmi eſſe duplex: aliud implicitum; & aliud explicitum: Votum explicitum Baptiſmi dicitur illud ratione cujus habemus in voto, ſivè deſiderio ipſum Baptiſmum: Ut ſi quis in communi voveat; ſeu deſideret facere quidquid neceſſarium eſt ad ſuam ſalutem, quamvis in particulari non proponat ſumere Baptiſmum, habet votum ipſius implicitum, quia in illa generali intentione faciendi quidquid requiritur ad ſalutẽ, implicatur ut ita loquar, ſivè implicitè continetur, & involuitur.

a *ad explicationem aliam. adhibet S. Thomas. 3. p. q. 66. art. 7.*

intentio sumendi Baptismum, cum hoc sacramentum sit unum ex requisitis ad salutem: Si autem in particulari determinet, & proponat sumere Sacramentum Baptismi, tunc suam exprimit intentionem, & habet votum ipsius explicitum. His prænotatis.

Circa propositam difficultatem triplex est sententia: duplex extrema; & una media. Prima exigit votum explicitum Baptismi ad utramque salutem: Secunda è contra docet sufficere votum implicitum ad utramque: Tertia docet votum implicitum sufficere ad primam salutem, votum verò explicitum esse necessarium ad secundam salutem: Et pro nunc insinuo tantùm hujus difficultatis resolutionem, quia convenit cum alia difficultate de Fide, utrùm scilicèt, & quomodo fides requiratur, & sufficiat ad salutem: Diximus autem suo loco, fidem implicitam Trinitatis, & Incarnationis sufficere ad primam salutem, fidem verò explicitam utriusque mysterii esse necessariam ad secundam salutem: Et quia quæ ibi diximus, facilè applicari poterunt ad præsens propositum, idcircò ne eadem repetere cogamur, hanc difficultatem, prout concernit adultos, breviter in hoc articulo explicabimus.

Conclusio: Baptismus flaminis ita sufficit adultis ad salutem, ut quatenùs includit votum implicitum Baptismi fluminis, sivè aquæ sufficiat ad primam salutem; requiratur verò votum explicitum ad secundam salutem.

Probatur prima pars, quòd Baptismus flaminis sufficiat ad salutem, vel potiùs explicatur: Baptismus flaminis dicitur flamen, sivè ardor Spiritus Sancti; idest, actus per quem aliquis inflammatur ad amorem Dei, & detestationem suorum peccatorum propter ipsum Deum summè dilectum: Sed hujusmodi flamen Spiritus Sancti salvat hominem vel salute completa, sivè secunda, vel prima salute, sivè inchoata: Ergo. Major est definitio, vel potiùs explicatio Baptismi flaminis: Minor probatur ex generali, & egregio principio: Nulla est operatio perfecta alicujus naturæ, quæ non præsuponat ip-

ſam naturam in ſubjecto, quamvis operatio imperfecta poſſit eſſe ſine ipſa natura per aliquid quod ſuppleat vices naturæ: Exempli gratia: in homine non poteſt dari perfecta ratiocinatio niſi beneficio animæ rationalis, & ipſius intellectûs, qui eſt præcipua potentia dimanans ab anima; ſed ratiocinatio imperfecta haberi poteſt per ſolam imaginationem ſine ulla operatione intellectus, vel animæ rationalis, ut docent Philoſophi, & conſtat experientia. quando in ſomno imperfectè diſcurrimus, quod non fit per intellectum, ſed per imaginationem: Et ratio radicalis eſt, quia generaliter loquendo in natura rerum omnium, inferius participat aliquid de natura ſuperioris, ſed nunquàm habet completam ipſius naturam, aliàs omnia confunderentur potiùs, quàm ſubordinarentur: Igitur omne inferius per hujuſmodi virtutem à ſuperiori participatam poteſt aliqualiter, ſive imperfectè operationes ſuperioris elicere, ſed non poteſt pertingere ad operationes ipſius perfectas. Quia igitur ſervatâ proportione loquendum eſt de ordine ſupernaturali, ſicut de ordine naturali, quia gratia non deſtruit naturam, ſed eam perficit: idcircò dicendum eſt, quòd operationes perfectæ ordinis ſupernaturalis produci nequeunt ſine eo, quod tenet locum naturæ in hujuſmodi ordine, quamvis operationes imperfectæ produci poſſint mediante aliquo ſupplente defectum naturæ: Sed aliundè certum eſt apud omnes Theologos, quòd in ordine ſupernaturali gratia tenet locum naturæ; & quòd Charitas, & actus ipſius ſunt operationes perfectiſſimæ hujus ordinis ſupernaturalis, quandoquidem reſpiciunt Deum tanquàm finem ultimum iſtius ordinis, immò omnes alias hominis operationes habent dirigere in hujuſmodi finem ultimum: Actus autem Fidei, & Spei ſunt operationes imperfectæ ejuſdem ordinis: Undè quamvis ad eliciendos actus Fidei, & Spei ſufficiant eorum habitus, nihilominùs ad eliciendum actum Charitatis præter ipſum Charitatis habitum indiſpenſabiliter ipſa gratia requiritur. Quoties

igitur aliquis diligit Deum super omnia dilectione supernaturali; quoties etiam propter Deum summè dilectum sua peccata detestatur per actum contritionis, toties ipso facto iustificatur, sivè gratiam recipit, vel præsupponitur recepisse in priori naturæ ipsius iustificationis; nam ut etiam suo loco explicabimus, in iustificatione gratia, & amor Dei, vel contritio se invicem præveniunt, ita ut gratia sit prior contritione in genere causæ efficientis, contritio veró sit prior gratiâ in genere causæ materialis, & dispositivæ.

Probatur eadem prima pars secundò: & hæc ratio est facilior alterâ: Deus pronior est ad miserendum, quàm ad puniendum: sed homini ad hoc ut damnetur, sufficit secundùm Divinam Iustitiam, quód habeat nedùm effectum, sed etiam solummodó votum, seu desiderium mali; certum est enim, quód ille damnatur, nedùm qui malè agit, quando potest, sed etiam qui vellet malè agere, licèt non possit: ergo à fortiori secundùm Divinam Misericordiam sufficere debet, quód aliquis habeat voluntatem boni, seu desiderium suscipiendi Baptismum, ad hoc ut salvetur: Baptismus autem flaminis importat huiusmodi desiderium: ergo debet homini sufficere ad salutem, maximè cum respectu sacramentorum, sicut respectu virtutum, voluntas pro facto reputetur, ut etiam suo loco explicatur.

Probatur secunda pars conclusionis: Prima salus est ipsa salus inchoata: secunda veró salus est salus consummata: ergo conveniens fuit, quód votum, prout est necessarium ad primã salutem, esset votum baptismi solummodó inchoatum, & imperfectum: prout veró necessarium est ad ultimam salutem, esset votum completum, & perfectum: votum autem implicitum est imperfectum, votum veró explicitum est perfectum: ergo votum implicitum debet sufficere ad primam salutem, sed debet esse necessarium votum explicitum ad ultimam salutem.

Probatur eadem secunda pars 2. Dicitur agendo de Fide, quód ex solo Dei beneplacito dependet determinare illud, quod nobis est necessarium ad salutem: Divinum autem beneplacitum non manifestatur nobis

nisi per Scripturam, vel Patres: undè de necessitate Fidei, & Sacramentorum loqui debemus, prout ex Scriptura, vel Patribus inferre possumus: ex quibus, ut ibidem dicitur, colligitur, fidem implicitam sufficere ad primam salutem, fidem veró explicitam esse necessariam ad salutem ultimam: & quia mysterium Sanctissimæ Trinitatis est primum, & præcipuum mysteriorum, quæ concernunt divinitatem, ac veluti primum eorum principium: mysterium veró incarnationis est primum, & præcipuum mysteriorum, quæ concernunt Christi Humanitatem, ac veluti primum eorum principium: ideó conveniens fuit, quód fides mysterii Trinitatis, & Incarnationis foret necessaria ad salutem, fides quidem implicita ad primam salutem, fides verò explicita ad ultimam salutem: cum igitur servatâ proportione sacramentum baptismi sit veluti primum principium sacramentorum, undè etiam dicitur janua sacramentorum, ut supra advertimus, eo quòd in eo fit regeneratio spiritualis, & sicut in ordine naturæ generatio est primum veluti principium totius vitæ humanæ, ita etiam in ordine gratiæ regeneratio spiritualis est primum veluti principium eorum omnium, quæ spectant ad hujusmodi ordinem: & ideò votum baptismi debuit esse necessarium ad salutem, votum quidem implicitum ad primam salutem, votum verò explicitum ad ultimam salutem.

Objicitur. Expressè dicitur in scriptura, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*; & plura sunt alia similia loca in scriptura, & Patribus, ex quibus manifestè colligitur, quod sine Baptismo fluminis, sivè aquæ, nullus salvari potest: sed ille, qui baptizatur solo baptismo flaminis, non renascitur nisi ex Spiritu Sancto, non autem ex aqua; ergo salvari non potest. Et plura alia Sanctorum Patrum testimonia afferri possunt, in quibus contra hæreticos Pelagianos docent, nullum salvari posse sine baptismo aquæ: ergo non sufficit solus baptismus amoris Dei.

Respondeo, & est regula generalis pro explicandis omnibus istis testimoniis: nullus salvatur, nisi renascatur ex baptismo aquæ, vel suscepto in re, vel saltem

in voto, concedo; suscepto semper in re, nego: Et similiter distinguitur minor: qui baptizatur per flamen Spiritus Sancti, non renascitur ex aqua, in re susceptâ concedo; ex aqua in voto susceptâ, nego: Christus autem dixit, quòd nisi renascetur ex aqua, salvari non poterat: Sed reliquit postea Ecclesiæ suæ determinandum, an ipsius sermo intelligendus esset de Baptismo aquæ in re, vel tantùm in voto.

Quantùm ad Patres, est altera similis regula generalis, quòd loquuntur de Baptismo aquæ vel in re, vel saltem in voto: & alterutro ex his duobus modis docent hujusmodi Baptismum aquæ esse necessarium contra Pelagianos, aliosque similes Hæreticos, qui dicebant nec ipsam realem susceptionem Baptismi, nec etiam ipsius votum, seu desiderium requiri ad tollendum originale peccatum, eo quòd hujusmodi peccatum originale negabant, ut dicitur in Tractatu de peccatis.

Objicitur 2. Si nostra secunda ratio valeret, probaret quòd votum implicitum Baptismi sufficeret ad utramque salutem tam ultimam, quàm primam: quia desiderium peccati sufficit, ut ita loquar, ad utramque damnationem, etiamsi tale desiderium sit implicitum tantùm; idest, nedùm sufficit ad primam damnationem quæ est ipsum mortale peccatum sed etiam ad damnationem ultimam, quæ est æterna damnatio: Ergo similiter solum votum implicitum boni, seu Baptismi, deberet sufficere ad utramque salutem.

Respondeo, Negando paritatem, & consequentiam: Quia regula generalis est: quòd bonum sumitur ex integra causa, malum ex quocumque defectu: Undè desiderium quodcunque ipsius mali sivè explicitum, sivè implicitum sufficit ad æternam damnationem: Sed ad æternam salutem non sufficit quodcumque desiderium boni, sed debet esse desiderium supernaturale, & desiderium explicitum, tum propter rationes jam insinuatas, tum propter alias loco citato de Fide explicandas.

ARTICULUS VII.

An mater secari debeat, ut parvulus baptizetur?

Advertendum est id, quod D. Thomas ait 3. parte, quæstione 68. articulo 11. ad tertium; *Dicendum, quòd non sunt facienda mala, ut veniant bona, ut dicitur ad Romanos 3. & ideò non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum: Si tamen mater mortua fuerit, vivente prole in utero debet aperiri, ut puer baptizetur.* Ex qua doctrina habemus, quòd si mater repugnet, secari non debet, ut parvulus baptizetur: Adhuc tamen superest difficultas, utrùm quando mater consentit, & vult suam salutem corporalem exponere pro salute spirituali sui parvuli, tunc saltem liceat illam secare: Undè.

Advertendum 2. Quòd regulariter loquendo hoc non debet fieri etiamsi mater ipsa velit quia ut audivi à viris peritis in arte, compertum est experientiâ, quòd ut plurimùm convulsiones, quas mater patitur, dum secatur, causant mortem parvuli, & ita nihil proficitur, sed tam proles, quam mater moritur; E contra verò experientiâ compertum est, quòd facilè salvatur puer, dum expectatur, quòd mater expiret modò statim atque mater expiravit aliquid in ore matris ponatur, ne defectu aëris parvulus suffocetur: Sic igitur regulariter loquendo agendum est in hujusmodi casu: Sed quia contingere potest, quòd quando mater secatur, parvulus extrahetur vivus, ut baptizetur, qui è contra moreretur, & baptizari non posset, antequàm mater expiraret, idcircò.

Advertendum est 3. Quòd unusquisque in tali casu sese gerere debet, sicut Decreto regio in Gallia sancitum est, prout audivi à fide dignis; quòd nempè nulli licet secarie matrem ad extrahendum parvulum, ipsumque baptizandum, sivè repugnet, sivè consentiat mater, nisi præsente medico, aliàs puniretur ut homicida: Et hoc valdè rationabiliter, quia omnibus peritis in arte credendum est in his-

quæ artem illam concernunt: undè medico credere debemus, quando indicat fieri posse, quòd si mater aperiatur, parvulus extrahatur vivus, & baptizetur, & quòd priùs moreretur, quàm mater, atque ita baptizari non posset, nisi modo prædicto.

ARTICULUS. Ultimus.

Utrùm Baptismus sanguinis, sivè Martyrium liberet ab omni culpa, & pæna; & faciat ex attrito contritum.

Advertendum est primò, quòd martyrium nedùm convenit morti toleratæ propter fidem, sed etiam propter aliquam virtutem, sivè castitatis, sivè cujusvis alterius: nihilominùs oportet, quòd martyr patiatur mortem non se defendendo, & quòd patiatur eam à causa violenta, ut sit imago, & expressio passionis, & mortis Christi Domini: undè illi qui moriuntur in bello contra Turcas v.g. non sunt propriè loquendo martyres, quia se defendunt quantùm possunt: similiter illi, qui tempore pestis expositi moriuntur, non sunt etiam propriè, & simpliciter loquendo martyres, quia mors eorum provenit ex causa naturali, & non ex violenta; undè nec isti, nec illi Christum perfectè imitantur, & exprimunt, qui mortuus est non defendendo se, & per causas violentas, non verò naturales: idcircò autem aliquis martyr esse potest propriè, & simpliciter tam bene pro aliqua virtute, quàm pro ipsa fide, quia ut optimè ait D. Thomas, *Omne opus virtutis est protestatio fidei nostræ*; undè illi, qui moriuntur pro virtute, censentur mori pro fide: hoc sufficit prænotare circa martyrium quantùm ad ejus essentiam.

Advertendum est 2. quòd ut explicabimus ex professo in tractatu de pœnitentia, hoc est privilegium sacramentorum novæ legis, quæ dicuntur sacramenta mortuorum, scilicet Baptismi, & Pœnitentiæ, quòd faciant ex attrito contritum, id est, ut explicabimus suo loco, ex attrito actu, contritum habitu, ita ut licitum sit accedere ad hujusmodi sacramenta cum attritione,

modò talis attritio existimetur supernaturalis, & tunc in ipso Sacramento recipitur gratia, & charitas, qui sunt habitus contritionis, sivè à quibus elicitur ipse contritionis actus.

Advertendum est 3. quòd Sacramentum Baptismi fluminis, sivè aquæ, delet ex opere operato totam culpam, & totam pœnam, & hoc sequitur ex nostro principio, quia hujusmodi sacramentum confertur per modum regenerationis spiritualis, in qua idem proportionaliter servatur, quod in generatione corporali; undè sicut in corporali generatione fit resolutio usque ad materiam primam, ita ut nihil remaneat de composito præcedenti nisi sola materia tanquàm subjectum, & compositum genitum sit omninò novum: Ita in Baptismo nihil remanet de veteri homine nec quantùm ad culpam, nec quantùm ad pœnam ipsi debitam, sed fit omninò novus homo, ita ut si aliquis, quantùmvis maximus fuisset peccator, baptizaretur, & statim moreretur, evolaret in cœlum eodem instanti, nec transiret per purgatorium. Quæritur ergo utrùm tanta sit excellentia Martyrii ut eandem virtutem habeat, ac Baptismus, & Pœnitentia.

Conclusio: Baptismus sanguinis, sivè Martyrium habet hoc excellentissimum privilegium, ut tam parvulis, quàm adultis conferat gratiam, & charitatem, ac remissionem omnis culpæ, & pœnæ; & adultum faciat ex attrito contritum.

Probatur hac unica ratione: Ea, quæ dependent ex mero arbitrio Dei, non possunt à nobis cognosci nisi per Scripturam, & Patres, quibus mediantibus Deus nobis notificat suam voluntatem: Sed quòd Deus talem ac tantam virtutem contulerit Martyrio, hoc dependet ex mero ipsius arbitrio: Ergo hoc aliundè probari non potest, quàm ex Scriptura, & Patribus: Sed secundùm Scripturam, & expositionem Sanctorum Patrum habemus hoc privilegium fuisse concessum Martyrio; nam Divus Augustinus libro 13. de Civitate, capite 8. sic loquitur, *Quicumque etiam non percepto generationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum illis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte*

Baptismatis: qui enim dixit, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum cælorum, aliâ sententiâ istos fecit exceptos, ubi non minùs generaliter dixit, qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo qui in cælis est: & alio loco, *qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*: Hæc D. Augustinus, quibus verbis non solùm nostram conclusionem docuit, sed eam etiam probavit optimè ex Scriptura, & satisfecit objectionibus, quæ ex eadem Scriptura fieri possunt.

§. Similiter D. Thomas in 4. Sentent. distinctione 4. quæstione 3. articulo 3. quæstiuncula 3. sic habet: *Sicut in Baptismo aquæ liberatur homo ab omni culpa, & pœna, ita in Baptismo Sanguinis*: Et ibidem ad primum, ait, *Baptismus Sanguinis non habet hoc totum ex opere operantis, sed hoc habet ex imitatione passionis Christi, & ideò pueri quamvis liberum arbitrium non habeant, si occidantur pro Christo, in suo Sanguine baptizati salvantur*: Et idem Angelicus Doctor 3. parte, quæstione 8. articulo 1. ad secundum, *Passio*, inquit, *pro Christo susceptâ obtinet vim Baptismi, & ideò purgat ab omni culpa & veniali, & mortali, nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhærentem*; Et communiter alij Doctores sancti id totum tribuunt Martyrio, quod Baptismo: undè sicut Baptismus liberat à culpa, & pœna, ita ut si baptizatus moreretur, statim cœlum ingrederetur, idem dicendum est de Martyre.

Probari etiam potest congruentiâ ex secundo nostro principio deductâ, scilicet ex majori gloria Christi: Cum enim ipsius passio, & mors ordinentur ad tollendam culpam, ita ut si peccatum non fuisset, Christus non venisset; cum ordinentur etiam ad remittendam pœnam, quia cum pœna sit effectus culpæ, non censeretur perfectè ablata culpa, nisi remitteretur etiam tota pœna; cum denique ordinentur ad aperiendam Januam Paradisi, quæ non clauditur nisi vel propter culpam, vel propter pœnam nondùm totaliter remissam: congruum erat ad demonstrandam vim, & efficaciam hujus sacræ passionis, & mortis, ut Martyrium tan-

quam expreſſa utriuſque imago deberet omnem culpam, & omnem pœnam, & ſtatim conferret gloriam, ac uno verbo quòd idem præſtaret ac ſacramentum Baptiſmi, & Pœnitentiæ: undè ſicut baptiſmus aquæ parvulos ipſos ſanctificat, & ſi ſtatim moriantur vel antequàm ad uſum rationis perveniant, abſque ulla alia, ex parte ſui, diſpoſitione ſalvantur, ita etiam ſi afficiantur martyrio: adulti verò ſicut ad Baptiſmum, & Pœnitentiam accedere debent ſaltem cum attritione ſupernaturali de peccatis, & hoc ſufficit ad eorum juſtificationem, & ſalutem; idem dicendum eſt, ſi cum eadem attritione martyrium ſubeant.

Probari poteſt 1. ex communi conſenſu Eccleſiæ, quæ celebrat feſtum ſanctorum Innocentium, quorum licèt plures circumciſi eſſent, nonnulli tamen ex ipſis erant procul dubio incircumciſi, cum omnes parvuli à bimatu, & infra occiſi fuerint, & tamen non poſſent circumcidi niſi in octava die: cum igitur Eccleſia indiſcriminatim de his omnibus feſtum inſtituerit, ſignum eſt, quòd cenſet eos qui nondum circumciſi erant, in ſuo ſanguine fuiſſe circumciſos; & à fortiori illos, qui modò martyrizantur, ſi non fuerint aquâ baptizati, in ſuo ſanguine baptizari.

Objectiones, quæ fieri poſſunt ex Scriptura ſacra, ſolutæ manent ex regula generali jam inſinuata à D. Auguſtino, nempè neminem ſalvari niſi per aquam, ut teſtatur Chriſtus in Evangelio, ſi aliundè non ſit exceptus à Chriſto; benè tamen ſalvari, ſi aliundè excipiatur, ſicut ipſos martyros ipſemet Chriſtus excepit.

Objicies 2. illud Apoſtoli primæ ad Corinthios 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*: quorum verborum ex D. Thoma, & alijs interpretibus ſenſus eſt, martyrium ſine charitate nihil prodeſſe: ſed prodeſſet maximè, ſi juſtificaret, & ſalvaret: ergo nec ſalvat, nec juſtificat.

Reſpondeo, & eſt regula generalis, pro his & ſimilibus teſtimoniis Scriptutæ, & Patrum; diſtinguendo hujuſmodi propoſitionē nihil prodeſt martyriū, ſi martyr charitatem non habet, vel antecedenter, vel concomitanter, concedo; antecedenter ſemper, nego: Quam-

vis enim martyr non semper habeat charitatem antequàm martyrizetur, in eo tamen instanti, quo martyr moritur, infallibiliter charitatem recipit si fuerit parvulus, & similiter recipit charitatem adultus, dummodò saltem habeat attritionem supernaturalem de peccatis suis: Si autem attritionem non habeat, tunc charitatem non recipit, & martyrium nihil ipsi prodest; & sic verificatur dictum Apostoli.

Objicitur ultimò: Si Martyrium suppléret Baptismũ, & Pœnitentiam, foret inutile, quòd ille, qui in proximo est ut martyrizetur reciperet Sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ: Sed nihilominùs docent communiter Doctores, quòd si habet occasionem, & nondùm sit baptizatus, tenetur suscipere Baptismum, & idem est de Sacramento Pœnitentiæ, si sit in peccato mortali: Ergo signum est, quòd Martyrium non præstat id totum, quod præstant hujusmodi sacramenta.

Respondeo cum distinctione: Si Martyrium tantum valeret, quantum Baptismus, vel Pœnitentia, ex propria institutione sua, concedo, quòd ille qui posset Martyrium subire, non teneretur hujusmodi sacramenta suscipere: Si Martyrium hoc possit ex privilegio tantùm, & in supplementum hujusmodi Sacramentorum, nego: Sic autem est, quòd Martyrium non est institutum ad nostram sanctificationem, & salutem, sicut Baptismus, & Pœnitentia; & ideò non est speciale sacramentum, sed reducitur ad Sacramentum Baptismi, habet enim ex privilegio tantùm, & in supplementum Baptismi, vel Pænitentiæ, quód nos sanctificet, & salvet. Præterea quamvis Martyrium habeat prædictum privilegium, non propterea martyr eximitur ab observantia Divinorũ præceptorum, & quia præceptum est impositum omnibus suscipiendi Baptismum, & illis qui à Baptismo suscepto commiserunt mortale peccatum, præcipitur susceptio Sacramenti Pœnitentiæ, ideò si datur occasio suscipiendi talia sacramenta, antequàm martyr subiret Martyrium; peccaret mortaliter, si ea non susciperet.

Quædam aliæ Objectiones fieri possunt, quæ solutæ manent ex dictis supra in prima Quæstione de sacramentis in communi, articulo primo.

QUÆSTIO II.

De Sacramento Confirmationis.

Quia Confirmatio non est Sacramentum necessitatis, sed utilitatis tantùm, ut mox dicemus, idcircò non ita fit expressa mentio ipsius in Scriptura Sacra: Undè contra Hæreticos probatur magis traditione Ecclesiæ, quàm authoritate Scripturæ; & idcircò sufficit suo loco demonstrare contra hujus temporis Hæreticos necessariò admittendas esse traditiones: Sufficit etiã breviter explicare, quænã sit materia, & forma hujus sacramenti; & unam, aut alteram circa idem sacramentũ difficultatem resolvere sicut solent cõmuniter Scholastici.

Advertendum est igitur, matetiam remotam hujus sacramenti esse chrisma, quod nomen Græcè idem significat, ac Latinè unguentum: Et quamvis unguentum sumatur pro quolibet liquore mixto, nihilominùs ex communi usu Ecclesiæ sumitur pro oleo cui admixtum est balsamum: Hæc est igitur mareria remota hujus sacramenti, oleum nempè cum balsamo, cujus plures congruentiæ videri possunt apud D. Thomam: sufficiat hæc unica desumpta ex primo principio eorum, quæ dicuntur de hoc sacramento, scilicèt quòd institutum est ad roborandum fidelem pro publica fidei confessione: Undè sicut antiquitùs athletæ pugnaturi oleo ungebantur, ut se faciliùs ab adversariis expedirent: ita ad significandum hujus sacramenti effectum, convenienter adhibetur oleum, quia virtute hujus sacramenti faciliùs possunt fideles vincere adversarios fidei: Sicut etiam oleum supernatat aliis liquoribus, & sese purũ conservat, ita dum unguntur fideles, admonentur ut fidem puram, & incorruptam conservent: Balsamum autem, quod est odoriferum, significat, quòd fideles protestando fidem debent bonum exemplum præbere aliis juxta illud Apostoli, *Christi bonus odor sumus*: Item

Balsamum sicut odoriferum ita etiam corruptionis præservativum est, ut significetur fidelibus, quòd virtute hujus sacramenti præservabuntur à corruptione fidei.

Materia verò proxima hujus sacramenti, sicut in omnibus aliis sacramentis, est usus materiæ remotæ: & quia oleo, & balsamo, & chrysmate, & quolibet alio liquore mixto intantum, utimur, in quantum ipso ungimus corpus, idcircò unctio est materia proxima sacramenti Confirmationis: debet autem talis unctio fieri in fronte, quia sacramentum Confirmationis institutum est ad expellendam verecundiam, ut fidelis audacter fidem profiteatur: undè quia frons est propria sedes verecundiæ, & audaciæ, convenienter in hac parte corporis fit unctio chrysmatis: debet antem oleum, quo utimur in Confirmatione, esse benedictum ab Episcopo, quia hoc sacramentum datur ad perfectionem fidelium, undè per benedictionem Episcopi, cujus officium exigit statum perfectionis, denotatur Confirmationem esse sacramentum perfectionis.

Forma hujus sacramenti est, *a Confirmo te chrysmate salutis &c.* quam formam pronunciando Episcopus imprimit signum Crucis super confirmatum, quia signum Crucis est vexillum Christianorum ad pugnandum contra inimicos fidei: postmodùm Episcopus dat alapam confirmato, ut meminerit, quòd destinatur ad quamcumque injuriam pro Christi nomine, & fidei defensione tolerandam. His prænotatis sit.

ARTICULUS I.

Vtrùm fideles teneantur ad suscipiendum confirmationis sacramentum.

Duplex est sententia circa propositam difficultatem, altera D. Thomæ, omniumque Thomistarum, & plurium aliorum, quòd nullus per se loquendo tenetur suscipere hoc sacramentum: altera est Scoti, Scotistarum, & quorumdam aliorum docentium oppositum.

Conclusio. Nullus est casus, in quo per se loquendo obligemur ad suscipiendũ sacramentum confirmationis.

a *Signo te signo crucis &c.*

Probatur primò : quia hujusmodi sacramentum non obligat, si nullum sit de ipso præceptum neque divinū, neque ecclesiasticum:sed nullum tale præceptum assignari potest : ergo, id etiam convincitur ex ipsa natura hujus sacramenti,diximus enim quòd institutum est ad hoc ut fideles publicè protestentur fidem coram tyrannis tēpore persecutionis:sed possūt Christiani sic protestari fidem per solam virtutem fidei , & zelum Religionis Christianæ sine auxiliis Confirmationis, quamvis cum auxiliis,quæ conferuntur per hoc sacramentum, talis protestatio meliùs fiat & faciliùs : ergo hoc sacramentum non est simpliciter,& absolutè necessarium ad publicam fidei protestationem, sed tantùm secundùm quid , & ideò perfectio est , & optimum consilium suscipere hujusmodi sacramentum,non est tamen de ipso rigorosum præceptum.

Per accidens tamen, quando aliquis non existimaret se habere sufficientes vires ex fide,& zelo ad hujusmodi protestationē,teneretur accedere ad hoc sacramentum, ut acciperet majores vires per auxilia divinæ gratiæ , quæ in hoc sacramento conferuntur.Per accidens etiam illi,qui sunt ordinandi, tenentur priùs suscipere sacramentum Confirmationis juxta declarationem Concilij Tridentini : similiter etiam per accidens tenetur quilibet hoc sacramentum suscipere, quando foret scandalum si non susciperet,v.g.quando Episcopus confirmat, & ipse præsens est,ita ut sine ulla difficultate possit hujusmodi sacramentum suscipere, quia si non susciperet, crederetur ipsum contemnere , & sic populus scandalizaretur.

Probatur 2.authoritate D. Thomæ : Nam 4.sententiarum, distinctione 7. quæstione 1 . articulo secundo, quæstiuncula prima in corpore , expresè ait, *Sacramentū Confirmationis non est necessitatis, sed utilitatis*:sed hoc esset falsum,si in aliquo casu obligarentur fideles,per se loquendo,ad suscipiendum hoc sacramentum, tunc enim esset necessitatis propter obligationem,& præceptum:ergo in nullo casu obligat.quantùm est de se. Idem Sanctus Doctor tertia parte, quæst.68. art.4.postquā dixit aliquid esse necessariū dupliciter,uno modo simpliciter,sine pro finis haberi non potest; alio

modo secundùm quid sine quo finis non habetur ita convenienter sicut equus necessarius est ad iter; subdit, *Confirmationem esse necessariam hoc secundo modo*, quòd esset falsum, si foret de præcepto. Et in eadem tertia parte, quæstione 72. articulo 8. ad 4. explicans authoritatem cujusdam Doctoris asserentis, periculosũ esse sine Cõfirmatione ab hac vita migrare, sic expressè ait, *non quia damnaretur, nisi fortè propter contemptum, sed quia detrimentũ perfectionis pateretur.* Sed si obligaremur per aliquod præceptum ad hoc sacramentum, quisquis sine ipso moreretur, damnaretur, cum transgressio cujusvis præcepti sufficiat ad damnationem.

Probatur 3. authoritate Melchiadis Papæ, qui Can. *Spiritus Sanctus*, de consecratione dist. 5 ait, *quamvis continuò transituris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen necessaria sunt confirmationis auxilia*: Sed si de confirmatione foret aliquod præceptum, non sufficeret regeneratio sivè Baptismus illis qui moriuntur, sed necessaria foret etiã Confirmatio, cujus præceptũ præsertim in articulo mortis obligaret. Ergo.

Objicitur 1. In authoritate jam relata dicitur quòd *victuris necessaria sunt Confirmationis auxilia*; Ergo saltẽ in casu, quo aliquis debet fidem publicè profiteri, tenetur suscipere Sacramentũ Confirmationis, ut possit victoriam reportare de inimicis nostræ fidei.

Respondeo, Sacramentum Confirmationis in illo casu esse necessarium secundùm quid, sivè ad melius esse; sed non simpliciter, sivè absolutè, quia Confirmatio necessaria est ad hoc ut confirmatus meliùs, sivè cum majori audacia, & securitate fidem profiteatur, sed non ut eam profiteatur absolutè.

Vel etiam responderi potest 2. Confirmationem esse necessariam simpliciter, & absolutè, non quidem per se, sed per accidens, quando scilicèt aliquis existimaret se non posse fidem protestari nisi fortificetur per auxilia specialia, quæ in Confirmatione conferuntur: Et quia per accidens est, quòd aliquis in tali statu reperiatur, & hoc non nascitur per se, & ex natura rei, idcircò Confirmatio non obligat per se, sed per accidens: Similique modo obligaret Confirmatio non per se, sed per accidẽs.

illum, qui data opportunitate posset confirmari, & si non confirmaretur, existimaretur contemnere hoc sacramentum; tunc enim ad vitandum scandalum per accidens obligaretur ad Confirmationem, ut existimant communiter Doctores.

Objicitur 2. In Canone, *omnes*, de consecratione, distinctione 5. dicitur, *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum debent Spiritum Sanctum post Baptismum accipere, ut pleni Christiani inveniantur*: Sed illa particula, *debent*, denotat præceptū; & aliundè per impositionem manus Episcopi post Baptismum, intelligitur ab omnibus Sacramentum Confirmationis: Ergo ad ipsum omnes obligantur.

Respondeo, quòd illum verbum, *debent*, indicat solummodò consilium ad majorem perfectionem, non verò rigorosum præceptū, cujus signum manifestum est id quod subditur, nempè fideles debere suscipere hoc sacramentū, ut *pleni Christiani inveniantur*: plenitudo autem Christianismi est perfectio status Christianorū ad quam nullus obligatur per præceptum rigorosum.

Et pro majori huius solutionis intelligentia, advertendum est ex D. Thoma 4. sentētiarum distinctione 7. quæst. prima art. primo, quæstiuncula 2. ad primum, duplicem esse plenitudinem gratiæ Christiani, alia est enim plenitudo quoad sufficientiam, quæ datur in Baptismo, & hominem constituit substantialiter Christianum; alia est plenitudo quoad abundantiam, & hominem constituit nedùm Christianum substantialiter, sed etiam militem Christi destinatum ex officio ad publicam fidei professionē, & hæc plenitudo datur in Confirmatione: Esse autem plenè Christianū quoad sufficiētiam, est de præcepto; sed esse plenè Christianum quoad abundantiā, est tantùm de consilio: Undè Baptismus est de præcepto, sed Confirmatio non est nisi de consilio.

Objicitur 3. Concilium Tridentinum sessione 23. capitulo 4. ait, *primâ tonsurâ non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperunt*: Ergo saltem illi, qui debent tonsuram, vel ordines suscipere, priùs tenentur ad suscipiendam Confirmationem.

Respondeò, in hoc locō Concilii Tridentini præscribi

solummodò Episcopis id, quod facere debent, scilicet quòd nec debent tonsurare, nec etiam ordinare illos, qui nondum sunt confirmati, quamvis nullum verbum in Concilio habeatur, quod denotet strictam obligationem; undè communiter existimant casuistæ, quòd Episcopus non peccaret saltem mortaliter etiam si aliquem nondùm confirmatum ordinaret: & quamvis foret de præcepto suscipere Confirmationem ante tonsuram, & ordines, Respondetur 2. facilè, quòd hæc esset obligatio Confirmationis non per se, sed per accidens, sivè non ratione sui, sed ratione alterius, nempè tonsuræ vel ordinis.

Objicitur 4. Non est minor cura de vita spirituali, quàm de corporali: sed unusquisque tenetur sumere cibum ad augmentum corporale post generationem: ergo tenetur etiam quilibet post regenerationem spiritualem sumere sacramentum Confirmationis, quod est institutum ad augmentum spirituale.

Respondeo, & est regula generalis, distinguendo majorem: non est minor cura de utroque augmento, & aliundè est eadem ratio, nego; & aliundè est diversa ratio, concedo; quia augmentum corporale sine cibo haberi non potest, & cum unusquisque teneatur vitam suã conservare, tenetur etiam cibum capere, atque ita suum augmentum corporale procurare: sed quia vita gratiæ, quæ habetur per regenerationem spiritualem, sivè Baptismum, conservari potest per aliud medium, quàm per sacramentum Confirmationis, & post cum solo augmẽto quoad sufficientiã sine augmento quoad abundantiã subsistere, ideò illi qui sunt spiritualiter regenerati, non obligantur stricto præcepto ad hoc sacramentum.

ARTICULUS II.

Quo tempore sit suscipiendum sacramentum Confirmationis.

Conclusio. Regulariter loquendo, expectari debet septennium pro sacramento Confirmationis: nihilominùs in casu necessitatis conferri potest ante illud tempus. Ita communiter Casuistæ, & etiam Catechismus

Concilij Tridentini parte secunda, capite 3 de Confirmationis sacramento.

Probatur prima pars, & infertur ex nostro principio: institutum est hoc sacramentum ad publicam fidei protestationem, ut supra diximus: ergo conveniens tempus ad ipsum conferendum, & suscipiendum est, quando confirmandus est capax publicè fidem profitendi: sed hoc facere nequit, nisi saltem habeat usum rationis: ergo expectandum est septennium, in quo regulariter loquendo incipiunt pueri usum rationis habere. Videantur aliæ congruentiæ tùm in prædicto Catechismo, tùm etiam apud D. Thomam.

Probatur 2. pars: quia sicut in militia temporali, & politica non est necesse quòd illi, qui adscribuntur militiæ, statim arma gerant sed sufficit, quòd sint aliquando capaces ea gerendi; ita illi qui per Confirmationem adscribuntur militiæ Christianæ, non debent statim pugnare cum inimicis fidei, sed sufficit, quòd moraliter credamus eos aliquando cum ipsis pugnaturos: igitur parvuli, qui inter Catholicos enutriuntur, statim atque baptizati sunt, confirmari possunt, saltem in casu necessitatis, quando prævidetur, quòd non erit postmodùm occasio eos confirmandi.

Obijcitur: Non potest conferri sacramentum illi, qui non est capax effectus ipsius in eo instanti, quo sacramentum confertur, & recipitur: sed parvuli ante usum rationis non sunt capaces effectus confirmationis, qui est pugnare cum inimicis fidei vel in re, vel saltem in animi præparatione, quandoquidem nec pugnare possunt, nec se ad pugnam præparare: ergo.

Respondeo, & est regula generalis: si aliquis non est capax effectus primarij, non potest recipere sacramentum, concedo: si non est capax effectus secundarij, nego: primarius autem effectus confirmationis est secunda gratia, sivè ipsius gratiæ augmentum; effectus verò secundarij sunt præparare ad pugnam cum inimicis fidei, vel etiam ad susceptionem ordinum: undè quia parvuli etiam ante usum rationis sunt capaces secundæ gratiæ, sivè augmenti gratiæ, quam in Baptismo receperunt, sunt etiam capaces sacramẽti Confirmationis.

Replicabis: ille effectus non est secundarius, sed

primarius, ad quem essentialiter ordinatur sacramentum, & propter quem institutum est: sed Confirmatio fuit instituta ad fidei defensionem: Ergo hic est effectus ejus primarius.

Respondeo, distinguendo minorem: Confirmatio instituta est, & ordinatur essentialiter ad fidei defensionem, in actu secundo, sivè ad actualem defensionem, nego; in actu primo, sivè ad defensionem aptitudinalem, concedo: Undè ad hoc ut salvetur essentia hujus sacramenti, & validè, immò licitè conferatur, sufficit quòd subjectum possit reddi capax defensionis fidei; & quia parvuli redduntur capaces hujus defensionis per gratiam Confirmationis, quæ perseverans in ipsis usque ad usum rationis, facit, quód tunc possint de facto, & in exercitio defendere fidem, ideò hoc sufficit, ut possint confirmari. Et hæc est notabilis differentia inter Confirmationem, & Pœnitentiam, quia ut dicemus cum de Pœnitentia, ille solus est capax huius sacramenti, qui aliquod peccatum commisit, undè Pœnitentia indispensabiliter præsupponit peccatum: Sed Confirmatio non præsuponit necessariò persecutionem fidelium, sed sivè in pace sint fideles, sivè in tempore persecutionis, Confirmatio ipsis conferri potest, & debet ad plenitudinem, sivè perfectionem Christianæ Religionis.

ARTICULUS III.

Vtrùm nedùm Episcopus, sed etiam simplex Sacerdos possit esse minister Sacramenti Confirmationis.

Conclusio: Solus Episcopus est minister ordinarius Sacramenti Confirmationis: attamen ex dispensatione Summi Pontificis potest simplex Sacerdos illud conferre. Ita omnes Doctores Catholci.

Probatur prima pars, & infertur ex dictis: Confirmatio est sacramentū plenitudinis, & perfectionis Christianæ: Ergo conveniens est, quódsolus Episcopus, qui est in statu perfectionis, sit minister ordinarius hujus sacramenti; ita fuit definitū in Concilio Tridentin. sess. 7. in Canone de Confirmatione, ubi dicitur, *Si quis di-*


xerit sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem, anathema sit.

Probatur 2. pars: quia in casu necessitatis, quando nequit conveniens instrumentum haberi ad aliquem effectum producendum, substituitur loco ipsius quodcumque instrumentum haberi potest: quando igitur est casus necessitatis, quòd nempè indigent fideles Confirmatione ad fidei defensionem in aliqua gravi persecutione, & aliundè deest Episcopus, qui possit ipsos confirmare, Ecclesia substituit Sacerdotem, utpotè qui proximè ad statum Episcopalem accedit: & ita aliquando factum esse in Ecclesia, habetur ex Concilio Florentino, ubi in decreto Eugenij dicitur, *Legitur aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili urgente admodùm causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto administrasse huiusmodi sacramentum Confirmationis.*

Objicitur: Eusebius Papa, ut refertur in Canone, Manus, de consecratione, distinctione 5. ait, *Manus quoque impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est: quod ab aliis perfici non potest nisi à summis Sacerdotibus, nec tempore Apostolorum ab aliis quàm ab Apostolis ipsis legitur, aut scitur peractum esse, nec ab aliis, quam qui eorum tenent locum, unquàm perfici potest, aut fieri debet; nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur, & vacuum, & inter Ecclesiastica nunquam reputabitur sacramenta.* Hæc summus Pontifex: sed per sacramentum impositionis manus intelligitur confirmatio, & per summos Sacerdotes locum tenentes Apostolorum intelliguntur Episcopi: ergo nunquàm confirmationis sacramentum est validum, nisi fuerit ab Episcopo collatum.

Respondeo, & est regula generalis, quòd illa omnia testimonia intelligi debent, quando simplices Sacerdotes præsumunt conferre hoc sacramentum vel extra casum necessitatis, vel tanquàm ministri ordinarij, vel absque dispensatione Summi Pontificis; tunc enim certum est, nec licitè nec validè ab ipsis conferri confir-

mationem : cum quo tamen semper stat, juxta nostram conclusionem, posse simplicem Sacerdotem conferre hoc sacramentum tanquàm ministrum extraordinarium in casu magnæ necessitatis ex Summi Pontificis dispensatione.



QUÆSTIO III.

De Eucharistiæ Augustissimo sacramento secundùm se sivè quoad existentiam.

Catechismus Concilij Tridentini loquens de sacramento Eucharistæ, ait, *Quòd ex omnibus sacris mysteriis, quæ nobis tanquàm divinæ gratiæ certissima instrumenta Dominus salvator noster commendavit, nullum est, quod cum sanctissimo Eucharistiæ sacramento comparari queat* : & ideò subdit, *quòd ut fidelis populus, cum cælesti huius sacramento divinos honores tribuendos esse intellexerit, & gratiæ uberes fructus capiat, & iustissimam Dei iram effugiat, illa omnia à pastoribus diligentissimè exponenda erunt, quæ eius maiestatem magis illustrare posse videntur* ; proindèque supponit, quòd hæc omnia diligentissimè à Doctoribus explicentur.

Idem Catechismus ibidem ait, hoc sacramentum appellari Eucharistiam, quia hoc verbum græcum idem significat ac latinum bona gratia, vel gratiarum actio : dicitur quidem Eucharistia bona gratia, tum quia præsignificat vitam æternam, de qua scriptum est, *Gratia Dei vita æterna* ; tum quia in se continet Christum Dominum, qui est vera gratia, & fons omnium charismatum : dicitur etiam gratiarum actio, quia dum hanc purissimam hostiam immolamus immensas quotidie gratias pro universis beneficiis Deo agimus ; tum quia Christus, ut habetur in Evangelio, *Acci-*

piens panem, fregit, & gratias egit; tum quia Psalmista hujus mysterij magnitudinem considerans in his verbis, *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se*, existimavit præponendam esse gratiarum actionem, cum dixit, *Confessio & magnificentia opus eius*. De hoc igitur Augustissimo sacramento agendum est in sequentibus Articulis, & Quæstionibus.

ARTICULUS I.

Utrùm Christus sit in rei veritate in hoc sacramento.

Una ex præcipuis nostrorum temporum hæresibus est, quòd Christus non sit in rei veritate in sacramento Eucharistiæ, sed tantùm in figura, quatenùs instituit hoc sacramentum, ut panis esset figura corporis ipsius, & vinum signum sanguinis. Ita Calvinus, & omnes Calvinistæ: Lutherani verò circa Eucharistiam inciderunt in aliam hæresim, ut videbimus postea: nunc pro veritate, & fide Catholica sit.

Conclusio. Christus Dominus in hoc sacramento continetur secundùm rei veritatem, ita ut, sub speciebus sacramentalibus sit re vera substantia Corporis, & Sanguinis Christi.

Probatur 1. ratione fundamentali contra hæreticos, sivè authoritate Scripturæ Sacræ: nam ex tribus Evangelistis, scilicet ex D. Matthæo capite 26. ex D. Luca capite 22. ex D. Marco capite 14. habemus verba consecrationis panis, & vini, quibus Ecclesia utitur, & quæ ab ipso Christo fuere prolata videlicet, *Hoc est corpus meum*: &, *Hic est Calix Sanguinis mei, novi, & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*: Licet hæc duo vocabula, *Æterni*, & *mysterium fidei*, non habeantur ex Scriptura, sed ex traditione; atqui

regula generalis desumpta ex D. Augustino libro octuaginta trium quæstionum, in quæst. 99. & à Theologis communiter acceptata, est, quòd verba scripturæ intelligi debent in sensu proprio, & litterali, quando ex antecedentibus, & consequentibus non colligitur oppositum, vel etiam ex ipsis nullum sequitur inconveniens: cum igitur in proposito, consideratis omnibus, quæ habentur ante, & post prædicta verba in Evangelio, vel etiam ipsis litteraliter, & propriè explicatis, nullum sequatur inconveniens, ut patebit ex toto isto articulo, immò potiùs hoc sacramentum sic explicatum innumeras & omninò egregias habeat convenientias, quarum maximam partem referemus, sequitur quòd prædicta verba sunt litteraliter, & propriè intelligenda, atque ita quòd ille panis, quem præ manibus tenebat Christus, verè, & propriè continebat ipsius corpus, & vinum ipsius sanguinem.

Respondent variis modis hæretici: sed omnes eorum responsiones ad hoc referuntur, quòd prædicta Christi verba non sunt intelligenda propriè, & ad litteram, sed metaphoricè tantùm, & secundùm figuram, ut fiat sensus, hoc est corpus meum, idest, hoc significat corpus meum: sivè est figura, symbolum, & signum corporis mei: & similiter, quòd vinum significat, sivè repræsentat, & figurat Sanguinem Christi Domini. Quæ solutio non est inventa ab hæreticis nostri temporis, sed ab antiquis jam diu tradita, & eam refert D. Thomas in sua summa contra gentes capita 62. & ibidem eam fusè impugnat.

Contra hujusmodi responsionem sunt quindecim instantiæ, & quindecim confirmationes rationis, & conclusionis nostræ: quæ si omnes simul attentissimè considerentur, veritatem doctrinæ catholicæ de realitate Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia evidentissimè demonstrant.

Primò igitur confirmatur ratio nostra, quia Christus in prædictis verbis institutionis hujus sacramenti utitur pronomine demonstrativo est *hic*, dicens, *Hoc est Corpus meum*, & *Hic Sanguis meus*: sed nunquàm utimur hujusmodi pronomine demonstrativo ad sensum metaphorcum, & figurativum, sed semper ad exprimendam

primendam

primendam propriam rei essentiam, & substantiam, proindeque non nisi in sensu proprio, & litterali: undè licet per metaphoram dici possit, quòd v.g. Rex est sol regni sui, eo quòd se habet in regno, sicut sol in mundo; attamen ridiculus esset, qui Regem ipsum indicando, vel eius Delphinum præ manibus tenendo, diceret, hoc est sol, vel hic est sol; quia nempè hujusmodi pronomen, in communi, & usitato loquendi modo, usurpatur ad designandam, & demonstrandam proprietatem, & veritatem essentiæ, & substantiæ alicuius rei, nec ullum aliud vocabulum habemus quod ex professo destinetur ad hanc expressionem sicut prædictum pronomen: ergo cum Christus in Evangelio semper sequatur communem, & usitatum loquendi modum, quia se accommodat hominibus, quando præ manibus tenens panem & calicem, & utrumque ostendens Apostolis, dixit, *Hoc est Corpus meum*, *Hic est Sanguis meus*, procul dubio exprimere voluit veritatem & proprietatem essentiæ, & substantiæ rei, ita ut vellet, quòd in sensu proprio, & litterali Corpus, & Sanguis ipsius foret in Eucharistia.

Secundò, quamvis aliquando possimus loqui demonstrativè, & simul figurativè, nunquàm tamen utimur tali modo loquendi, quin in eadem pronunciatione aliquod vocabulum inseramus, per quod insinuemus, & explicemus figuram, & metaphoram, v. g. dicendo, quando Rex, vel Delphinus demonstratur, hic est sol regni, vel, hic est verus Sol, vel, hic est alius Sol, & sic de aliis: sed si fiat demonstratio, & aliundè sit simplex enunciatio, nunquam est figurativa, & metaphorica locutio, præcipuè quando cum prædicato jungitur aliquid adhuc magis exprimens, & significans ipsam veritatem, & proprietatem essentiæ, & substantiæ rei; v.g. nunquàm dicitur, demonstrando Regem, aut Delphinum, hic est Sol, & multo minùs, hic est Sol cœli, per simplicem demonstrationem, & enunciationem cum proprietatibus Solis: cum igitur Christus sine ulla modificatione, & sine ullo vocabulo insinuante figuram, aut metaphoram, dixerit, simpliciter demonstrando panem, & vinum, & simpliciter enunciando rei veritatem, *Hoc est Corpus meum*, *Hic est San-*

guis meus; immò addiderit verba, quæ exprimunt proprietates hujus corporis, & sanguinis, dicendo, *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur*, *Hic est Sanguis meus, qui pro nobis effundetur*, Non potuit loqui metaphoricè, & figurativè. Et ratio hujus radicalis est, quia quando volumus excludere sensum metaphoricum, & figurativum, & exprimere sensum proprium, & litteralem, non possumus verba convenientiora adinvenire, quàm quæ faciunt simplicem demonstrationem, & enunciationem, dicendo v. g. hoc est homo, hic est Petrus, hic est Paulus, & sic de aliis: ne igitur modi loquendi confunderentur, oportuit sensum figurativum, & metaphoricum distinguere à sensu proprio, & litterali, per hoc, quòd semper inseritur pronunciationi aliquod vocabulum modificativum, & insinuativum figuræ, & metaphoræ, nisi evidenter inferatur ex immediatè antecedentibus, & consequentibus: & sanè si Christus Dominus voluisset excludere sensum figurativum, & metaphoricum, & exprimere proprium, & litteralem, non potuisset uti clarioribus terminis; nam etiam in communi modo loquendi pro exprimenda proprietate, & veritate cujuscumque rei non possumus uti expressioribus terminis quàm simpliciter demonstrativis, & eo modo demonstrativis, ut patet ex allatis exemplis.

III. Si aliquis alius esset terminus, quem ipsimet hæretici exigere possent ad exprimendam, & significandam veram, & realem præsentiam Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia, maximè quòd Christus diceret se *verè* esse in ea: sed Christus hoc dixit, ut hæretici nullam prorsùs excusationem habeant; nam Joannis 6. ait, *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus*: Quando igitur in prædictis verbis consecrationis, vel immediatè ante ipsa, dixit, *Accipite, & comedite, Hoc est Corpus meum, accipite, & bibite, Hic est Sanguis meus*, Sensus esse debet, quòd in Eucharistia Corpus, & Sanguis Christi *verè* sunt cibus, & potus fidelium: proindeque in rei veritate, in propria substantia, & non in sola figura, & metaphora, in solo signo, & symbolo traduntur Cor-

pus, & Sanguis Christi Domini in cibum, & potum ipsorum fidelium. Et sanè si sumamus concordantias Bibliorum Sanctorum, & percurramus omnia loca, in quibus hoc adverbium, *verè* invenitur, videbimus, quòd semper per ipsum veritas, & proprietas rei sine figura, & metaphora designatur: & revera si hoc vocabulum ad sensum metaphoricum detorqueri posset, nullum superesset, per quod possemus rei veritatem, & proprietatem exprimere; etenim, quæso, si postquam dixit aliquis demonstrando v. g. Petrum, *Hic est verè Petrus*, si, inquam, non obstante illa demonstratione, illa simplici enunciatione, & illo adverbio, *verè*, existimaretur adhuc loqui in sensu figurativo, & metaphorico, nescio quando existimabimus eum loqui in sensu proprio, & litterali.

IV. Confirmatur præcedens ratio ex D. Thoma 3. contra gentes, capite 61. ubi ingeniosè advertit, quòd in hoc sacramento Christus ita semetipsum exhibuit in cibum, & potum, ut faciat convivium fidelibus, & ipsos jam regeneratos enutriat, undè ab ipsis etiam hæreticis vocatur Cœna Domini: sed) inquit Divus Thomas (cibus, & potus non uniuntur illi, qui nutritur, & reficitur, secundùm solam apparentiam, & figuram, secundùm solum symbolum, & signum, sed secundùm propriam, & veram substantiam ipsius cibi, & potus; nec aliter nos reficeret nisi secundum imaginationem, & non secundùm rei veritatem: ut igitur Christus in hoc sacramento verè habeat rationem cibi, & potus, non debet solummodò nobis uniri secundùm panem, & vinum tanquàm figuram, & symbolum sui Corporis, & Sanguinis, sed secundùm ipsam substantiam sui Corporis, & sui Sanguinis contentam sub speciebus panis, & vini, & ipsis mediantibus nobis intimè conjunctam: sanè sicut ille, qui in convivio non offerret cibos reales, sed solummodò pictos, censeretur irridere convivas suos, ita Christus censeretur irridere fideles, si in convivio ipsis præparato non exhiberet nisi figuram Corporis, & Sanguinis sui, tanquam cibi, & potus, non autem utriusque realitatem.

V. Quando Christus Joannis 6. promisit institu-

tionem Eucharistiæ, murmurabant Judæi, & dicebant, *Quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum?* Christus autem qui eorum murmurationem facilè sedare potuisset dicendo se non loqui in sensu proprio, & litterali, sed tantùm in sensu metaphorico, & figurativo, nec se velle dare veram, & propriam substantiam suæ carnis, sed solummodò ipsius signum, & symbolum, tantum abest, quòd hoc faciat, quin potius è contra id quod dixit, juramento confirmat, & subdit, *Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis Carnem filii hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Christus nunquàm utitur hac specie juramenti, nisi ad nos certificandum de aliqua veritate, quæ apparet incredibilis, & impossibilis: si autem hoc sacramentum fuisset institutum per modum figuræ, & symboli tantùm, nihil appareret in eo incredibile, nihil impossibile, benè tamen si fuerit institutum, ita ut substantialiter contineat Corpus, & Sanguinem Christi: ergo hoc secundum est verum: immò ipsi homines nunquam uti solent juramentis nisi ad confirmationem rerum, quæ difficiles, & incredibiles apparent. Hoc autem obiter notandum est, Dæmonem tantum odij concepisse contra augustissimum Eucharistiæ sacramentum, ut cum homines suscitaverit contra alia religionis nostræ mysteria post eorum promulgationem, eos suscitaverit contra Eucharistiam, ante ipsius institutionem, statim atque facta fuit ipsius promissio.

VI. Refertur in eodem capite 6. Joannis, quòd multi ex discipulis Christi dixerunt, *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis, *hoc vos scandalizat?* &c. & non obstante quòd eis explicuerit ea, quæ dixerat, subdit Evangelista, *Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retrò, & iam non cum illo ambulabant, dixit ergo ad duodecim, nunquid & vos vultis abire?* Procul dubio Christus, qui præviderat scandalum discipulorum suorum propter prædictam doctrinam, qui etiam prævidebat futuram defectionem eorum, hæc omnia non permisisset, si unico verbo impedire potuis-

set dicendo, quòd loquebatur in sensu metaphoricò, & figurativo sed tantum abest quòd hoc faciat, quin potiùs, dicendo illis, qui supererant, utrum & ipsi abire vellent cum aliis, manifestè demonstravit se loqui de vera, & reali præsentia, & manducatione sui Corporis, & sui Sanguinis per modum cibi, & potus in Eucharistia, & quòd nullus potest esse verus ipsius discipulus, nisi hoc credat, quantumcumque repugnet sensibus, & impossibile videatur.

VII. Immediatè post prædicta verba ait Christus, *quod tradetur*, loquendo de corpore, & *qui pro vobis effundetur*, loquendo de Sanguine: & notant Scripturæ interpretes, quòd pronomen *qui* in originali Græco non refertur ad Sanguinem, sed ad Calicem, ut sensus sit, quòd Calix Sanguinis Christi (sumendo continens pro contento) fuit effusus in remissionem peccatorum nostrorum: sed hoc dici non posset, si nec ipse Calix continens, nec ipsum vinum contentum forent in rei veritate Sanguis Christi, sed tantùm figura ipsius; quamvis enim repræsentarent Sanguinem effusum, vel ipsius effusionem, non tamen effunderentur: ergo ad exprimendam veritatem istius pronunciationis, necesse est quòd re vera Sanguis Christi in Calice contineatur.

VIII. Ratio, quam habet D. Thomas in 3. parte, agendo de Eucharistia, omninò convincit: etenim Christus in adventu suo omnes figuras terminavit, & rerum veritatem eis substituit, ut in pluribus locis fusè explicat D. Paulus, & omnes Sancti Patres, & Doctores tenent, & docent: sed tantum abest quòd figuræ cessassent, quin potiùs earum numerum Christus augeret, si omnibus figuris veteris Testamenti adderet istam etiam figuram, sivè sacramentum Eucharistiæ, quod totum esset figurativum: ergo non debet in hoc sacramento esse figura, sed veritas, sivè ipsa substantia Corporis, & Sanguinis Christi, & non sola ipsius repræsentatio.

IX. Nedùm in lege nova forent figuræ sicut in lege veteri, sed etiam imperfectiores essent figuræ novæ legis, quàm legis veteris, quod tamen est contra communem sensum Patrum, & Doctorum, qui omnes as-

ferunt novam legem in omnibus esse perfectiorem lege veteri: & sanè hoc est omninò conveniens, quòd lex data à Christo Domino foret undequaque perfectior quàm lex data à Moyse, cum perfectio legis debeat proportionari perfectioni legislationis: sequela tamen probatur: quia in veteri lege manna erat figura Christi Domini, & in nova lege panis usitatus, & communis foret figura ipsius: sed Scriptura Sacra dicit, quòd manna erat panis de cœlo, panis Angelorum, quòd omne delectamentum in se habebat, & alia plura mirabilia de hujusmodi cibo referuntur in Scriptura, quæ nullatenùs conveniunt pani usitato, & communi, & facto per manus hominum, cum manna fieret per manus angelorum: ergo si tam panis Eucharisticus quàm hujusmodi manna non essent nisi figura, lex vetus superaret novàm: ut igitur nova sit dignior veteri, necesse est, quód cum Manna solummodò figuraret Christum, panis Eucharisticus ipsum substantialiter contineat.

X. Christus in verbis consecrationis calicis, ait, hoc sacramentum esse novum, & æternum testamentum: sed si verba alicujus debent unquam esse expressa, & clara sine ulla figura, & metaphora, maximè in ipsius testamento; undè notarij publici in testamentis tot adhibent clausulas, & particulas, quæ licet inutiles videantur, re vera tamen nedùm utiles sunt, sed etiam necessariæ, ut lites, quæ inter hæredes suboriri possent, terminentur, vel potiùs præveniantur: Christus igitur dum suum condidit testamentum, minùs prudens, & providens fuisset, quàm ipsi homines, si non fuisset locutus clarè, & expresfsè, sine ulla metaphora, & figura ad vitandas lites, sivè hæreses, quæ in Ecclesia suboriri possent circa ipsius testamentum: immò sicut testator censeretur hæredes suos irridere, si ipsis donaret domum, vel agrum: intelligendo non in rei veritate, sed in figura; ita Christus censeretur irridere fideles, si diceret se ipsis delegare Corpus, & Sanguinem suum; & hoc intelligeret in figura tantùm, & non in rei veritate.

XI. Christus semper plus contulit quàm promisisse videatur, ad differantiam hominum, qui semper plus

promittunt, quàm dent: sed cum verba Christi jam relata ita simpliciter enuncientur, & sine ulla insinuatione figuræ, aut metaphoræ, ut saltem prima fronte videantur promittere veritatem substantiæ Corporis, & Sanguinis Christi in Eucharistia, quod ipsi etiam hæretici negare non possunt, sed solummodò ex aliquibus aliis Scripturæ locis conantur ostendere quòd ipsa verba institutionis Eucharistiæ debent intelligi figuraliter, & metaphoricè; sequeretur quòd Christus plus promittere videretur, quàm conferre: ut igitur salvetur, quòd Christus plura semper dedit, quàm promiserit, dicendum est, quòd nedùm seipsum dat in rei veritate, sicut promisit in hoc sacramento; sed etiam quòd longè plura confert, quàm promiserit, non enim promisit nisi Corpus, & Sanguinem, & nihilominùs per concomitantiam dat etiam animam suam: & totam humanitatem, immò & divinitatem, ut explicabimus postea.

XII. Eucharistia habet rationem legis, & præcepti; undè Christus dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*: Sed quoties datur aliqua lex, vel aliquod præceptum imponitur, legislator utitur terminis expressioribus quos adinvenire potest, ut nulla detur occasio subterfugij, vel excusationis illis, qui eam observare debent: undè notatu dignissimum est, quòd quamvis tota Scriptura Sacra infinitis abundet figuris, & metaphoris, nihilominùs in omnibus legibus, sivè præceptis, quæ præscribuntur sivè in veteri, sivè in Novo testamento, ne minima quidem figura, vel metaphora reperitur; sed omnia sunt clarissima, & expressissima propter rationem jam dictam: ergo in institutione Eucharistæ, & in præcepto, quo Christus nobis præcipit ejus venerationem, & susceptionem, debuit excludi omnis figura, & metaphora, & sermo debuit esse litteralis, & expressus.

XIII. Eucharistia instituta fuit tanquàm sacra cæremonia, quâ religio Christiana, & catholica foveretur, & tanquàm sacramentum, quo fideles, & catholici sanctificarentur: sed si sumamus Scripturam Sacram, & consideremus innumeras illas ceræmonias, quæ in veteri testamento describuntur, si consideremus etiam quæ in Novo Testamento de sacramentis

præscribuntur, nullam figuram, aut metaphoram inveniemus, sed omnia clara sunt, & expressa: ergo idem à fortiori observari debuit in hac cæremonia omnium augustissima, & in hoc sacramento omnium excellentissimo.

XIV. Christus instituens Eucharistiam non loquebatur in publico, nec ad populum, sed solos Apostolos in secreto noctis alloquebatur: quamvis autem in parabolis, figuris, & metaphoris loqueretur ad turbas; attamen semper ab loquebatur Apostolos in sensu proprio, litterali, claro, & expresso: undè ipsemet Christus eisdem Apostolis Lucæ 8 ait, *Vobis datum est nosse mysteria regni Dei, cæteris autem in parabolis*: Ergo Christus in prædictis verbis institutionis Eucharistiæ, *Hoc est Corpus meum*, *&c.* non est loquutus figurativè, & metaphoricè, sed propriè, litteraliter, & expressè.

XV. Regula generalis est juxta D. Augustinum libro 2. de Doctrina Christiana, capite 6. & 9. quòd nihil est obscurè dictum in Scriptura, quod spectet ad fidem, vel mores, quod non planissimè dictum sit in aliis locis ejusdem Scripturæ Sacræ, ut nempè conferendo hæc omnia loca possemus veram habere intelligentiam Scripturæ: sed quamvis sæpissimè in Novo Testamento fiat mentio prædictorum verborum, quibus usus est Christus instituendo Eucharistiam, nullibi tamen insinuatur, quòd sensus sit figuratus, & metaphoricus, sed semper traditur sensus proprius, & litteralis, ut patebit sumenti concordantias, & relegenti omnia loca: ergo sensus est proprius, & litteralis.

ARTICULUS II.

Explicantur breviter aliæ rationes.

Sufficiat fusiùs explicuisse hanc rationem fundamentalem, alias breviter expendemus immò ex ipsis aliquas solummodò insinuabimus.

Probatur igitur 2. & magis confirmatur præcedens ratio: si licet Calvinistis verba adeò expressa, quæ retulimus pro Eucharistia, detorquere in sensum figura-

tivum

tivum, & metaphoricum, cur non licebit aliis similia verba simili modo intelligere? immò si benè consideremus innumeras hæreses, quæ ab initio nascentis Ecclesiæ exortæ sunt, habent expressiora pro se testimonia, quàm hæretici nostri temporis. Prætermitto brevitatis gratiâ alia exempla, quæ afferri possent ad propositum, duo sufficiant, quæ omninò convincunt. Fuere olim hæretici, qui dixere, quòd hæc verba Scripturæ, *Verbum caro factum est*, intelligenda erant in sensu figurativo, & metaphorico, ita ut Verbum incarnatum assumpsisset solam similitudinem carnis, seu naturæ humanæ; immò quidam ex ipsis dicebant, quòd assumpserat Humanitatem tanquàm vestem sibi extrinsecè tantùm adhærentem, & afferebant testimonium D. Pauli dicentis de Christo, *In similitudinem hominum factus est, habitu inventus, ut homo:* Certè hæretici nostri temporis non habent aliquod testimonium in scriptura, quod ita ipsis faveat prima fronte, nullibi enim Scriptura dicit, quòd in Eucharistia sit sola similitudo, vel repræsentatio carnis, & sanguinis Christi: si igitur non obstante ita apparenti testimonio in contrarium, fatentur nihilominùs Verbum assumpsisse Humanitatem secundùm rei veritatem, & non secundùm solam similitudinem, & personam Verbi re vera terminasse Humanitatem, & non induisse eam veluti vestem, à fortiori fateri debent veritatem realis præsentiæ Christi in Eucharistia. Similiter hæretici, qui dicebant Christum non esse consubstantialem Patri, sed inter ipsum, & Patrem esse unionem affectuum tantùm, sivè voluntatum; & omnia quæ de ista unione dicuntur in Scriptura, volebant esse intelligenda in sensu metaphorico; afferebant pro se illud Christi Domini loquentis de discipulis suis, *Rogo Pater, ut illi unum sint, sicut & nos unum sumus:* cum enim certum sit, quòd Catholici non sunt invicem unum per identitatem naturæ, sed tantùm per unionem affectuum, seu voluntatum, & in sensu metaphorico tantùm, non autem proprio, & litterali; idem inferebant de unione inter Patrem Æternum, & Christum: (certè si Calvinistæ aliquem in Scriptura locum invenissent, in quo diceretur, quòd panis, & vinum Eucharisticum consi-

nent Corpus, & Sanguinem Christi sicut olim manna, rectè inferrent, quòd sicut manna neutrum continebat nisi in figura, idem dicendum foret de Eucharistia: sed cum nihil simile inveniant quòd ipsis ita videatur favere, sicut hujusmodi hæreticis favere videbatur, cur admittentes realem, & propriam consubstantialitatem Personarum in Sanctissima Trinitate, non admittunt etiam realem, & substantialem Christi præsentiam in Eucharistia?

Probatur 3. & magis confirmatur præcedens ratio: idcircò omnes prædictas hæreses circa Trinitatem, Incarnationem, & alia mysteria impugnamus, & reijcimus non obstantibus aliquibus Scripturæ testimoniis, quæ prima fronte favere ipsis videntur, quia Ecclesia in Conciliis œcumenicis eas condemnavit: sed condemnavit etiam in Conciliis generalibus, præsertim in Concilio Tridentino hæresim eorum, qui dicunt Christum non esse in Eucharistia nisi quantùm ad solam figuram; undè Berengarius, qui ante Calvinum eamdem opinionem tenuit, simili modo ab Ecclesia fuit condemnatus, & si vellemus historias Ecclesiasticas revolvere, plures alios Hæresiarchas inveniremus, qui eumdem errorem docuerunt, & simili etiam anathemate ab Ecclesia sunt condemnati.

Probatur. 4. Ratione morali, quæ videtur omninò convincens: si sententia nostra de veritate, & realitate præsentiæ Christi in Eucharistia non foret ipsa veritas, & fides Catholica, sed ut volunt Calvinistæ, esset hæresis manifesta, deberent ipsi notare tempus, in quo cæpisset hujusmodi hæresis, quisnam esset ipsius author, quænam Concilia congregata fuissent ad ipsius condemnationem, quinam Sancti Patres, vel Doctores contra ipsam scripsissent, nulla enim ab initio nascentis Ecclesiæ usque nunc exorta est hæresis, circa quam hæc quatuor non observentur; v. g. circa Trinitatem, notatur Arrius author hæresis Arrianorum negantium Sanctissimam Trinitatem; notatur etiam ab omnibus scriptoribus Ecclesiasticis tempus, in quo exorta est hæc hæresis; notatur similiter Concilium generale Nicænum, quod contra ipsam fuit celebratum; & plures etiam Sancti Patres notantur, qui contra ipsam scrip-

fere, & idem est de omnibus omninò aliis hæresibus. Et circa ipsam Eucharistiam, notatur Calvinus tanquèm author hæresis Calvinistarum negantium Christum in rei veritate esse in Eucharistia; tempus etiam istius hæresis est postremum sæculum; contra ipsam, & alias hujus temporis hæreses congregatum fuit Concilium Tridentinum, à quo & fuerunt condemnatæ; denique plures Doctores contra eamdem scripsere: sed non possunt Calvinistæ designare tempus, in quo exorta sit aliqua hæresis, quæ docet Christum in rei veritate esse in Eucharistia, nec ullum denotare ipsius authorem, nec aliquod Concilium, quod ad ipsius condemnationem fuerit congregatum, nec aliquem Sanctum Patrem, vel Doctorem, qui contra ipsam scripserit: signum est ergo manifestissimum, quòd hæc sententia de veritate, & realitate præsentiæ Christi in Eucharistia nunquàm reputata fuit hæresis, sed semper fuit acceptata tanquam veritas, & fides Catholica.

Probari posset 5 innumeris Sanctorum Patrum testimoniis: sed quia Calvinus, & alij hujus temporis hæretici solam authoritatem D. Augustini in hac parte, sicut in alijs acceptant, ideò sufficiant duo testimonia hujus Sancti Doctoris: Primum sumitur ex tomo 8. operum ipsius in Psalmum 33. concione prima, ubi explicans titulum hujus Psalmi, *Ferebatur in manibus suis*, sic loquitur, *Hoc quomodo fieri possit in homine, quis intelligat? quis enim portatur manibus suis? manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in David secundùm litteram, non invenimus, in Christo autem invenimus, ferebatur enim Christus in manibus suis quando commendans Corpus suum ait, hoc est Corpus meum, ferebat enim illud Corpus in manibus suis.*

Nec valet responsio Calvini dicentis, quòd Christus se ipsum ferebat in figura, quatenùs in manibus suis ferebat panem, qui erat figura corporis sui. Est enim instantia manifesta contra hanc responsionem, quòd D. Augustinus nedùm dicit, Christum portasse se ipsum in manibus suis, sed etiam quòd inintelligibile est quomodo alius homo se ipsum portare posset,

sicut Christus: sed intelligi facillimè posset, quòd alius homo se ipsum portaret in sua figura, & imagine, sicut Rex, & princeps portans monetam, cui impressa est ipsius imago, re vera dicitur se ipsum portare in manibus suis quantùm ad figuram, & repræsentationem suam: intantùm igitur D. Augustinus dicit hoc esse proprium Christo Domino, in quantùm virtute consecrationis substantiam Corporis, & Sanguinis sui posuit sub speciebus panis, & vini, quas habebat in manibus suis.

Nec valet etiam responsio aliorum hæreticorum, quòd Christus Dominus speciali modo portabat se ipsum, ita ut nullus alius hoc modo se ipsum portare possit nempè quia nullus præter Christum potuit instituere Eucharistiæ sacramentum.

Nam est etiam evidens instantia contra istam responsionem, quòd Eucharistia dupliciter spectari potest, vel quatenùs est sacramentum causans gratiam, & sic certùm est quòd à solo Christo institui potuit, & constat quòd D. Augustinus non loquitur de ipso sub hac consideratione; vel considerari potest, quatenùs est signum Corporis, & Sanguinis Christi, & de ipso sub hac consideratione loquitur D. Augustinus: si igitur foret signum præcisè significans Corpus, & Sanguinem Christi, non verificaretur dictum D. Augustini, quòd solus Christus hoc modo se ipsum portare possit: oportet igitur, quòd sit signum continens rem ipsam significatam, seu ipsummet Corpus, & Sanguinem Christi, & ita Christus portans hujusmodi panem Eucharisticum portabat Corpus suum eo modo, quo alij homines nequeunt se ipsos portare.

Idem D. Augustinus lib. 2. contra adversarium Legis, & Prophetarum, cap. 9. ait, *Mediatorem Dei, & hominum hominem Christum Iesum carnem suam nobis manducandam, bibendumque Sanguinem dantem fideli corde, & ore suscipimus, quamvis horribilius videatur humanam carnem manducare quàm perimere, & humanum Sanguinem potare quàm fundere*: Certè si D. Augustinus loqueretur de sola figura, & non de ipsa rei veritate, nullus ibi horror imaginari posset; sed quando in rei veritate sumi debent Corpus, & Sanguis, prima fronte hor-

ror concipitur, qui non nisi per modum sacramentalem excluditur.

Probatur ultimò: Potuit; voluit: ergo fecit: potuit Christus substantiam Corporis, & Sanguinis sui ponere in Eucharistia, ut constabit ex solutione objectionum, quibus conantur hæretici ostendere impossibilitatem huius mysterij: voluit etiam Christus hoc ineffabili modo se se communicare fidelibus; hoc patet ex authoritatibus Scripturæ jam relatis, patet etiam ex innumeris & egregiis convenientiis, quibus manifestè demonstratur Mysterium Eucharistiæ prout à Catholicis explicatur, esse ita congruum, ut ab ipso Deo fieri debuerit, si aliundè fieri potuit.

Has congruentias breviter insinùo juxta nostra quatuor principia, nempè majorem Dei, & Christi gloriam, majus bonum Ecclesiæ, & cujuslibet fidelis: nam primò unitas Dei maximè relucet in hoc sacramento, in quo Christus semper remanet unus, idemque numero, quantùmvis in pluribus hostiis consecratis ponatur, non enim ibi sunt multa corpora Christi, sed unum, idemque Corpus; nec dividitur, aut multiplicatur Sanguis ejus, sed remanet unus, & idem ad maximam Divinæ unitatis expressionem.

2. Exprimitur etiam Trinitas personarum: quia sicut ratione Trinitatis una, eademque essentia est in pluribus personis, ita in hoc Eucharistiæ sacramento unus, idemque Christus secundùm idem Corpus, & eumdem Sanguinem est in pluribus hostiis.

3. Exprimitur Divina immensitas, ratione cuius Deus est in pluribus, ac pluribus creaturis in infinitum syncategorematicè, quantùm est de se, ut ostenditur ubi de immensitate Dei; ita Christus quantùm est de se, est in pluribus, ac pluribus hostis consecratis, immò per se est in omnibus illis, quæ in infinitum syncategoreticè consecrari possunt.

4. Notatur Divina immutabilitas, quatenùs sicut Deus non est de novo in rebus per aliquam sui mutationem, sed per solam mutationem rerum: Ita Christus non est in hostiis consecratis per mutationem sui, sed per conversionem hujusmodi hostiarum in ipsum, ut dicemus postea.

Denique omissis innumeris alijs, quæ fusissimè explicari possent, nullum est religionis nostræ mysterium, in quo magis reluceat infinita Dei erga homines bonitas, & misericordia; & cum, *Misericordia eius super omnia opera eius*, juxta Psalmistam, indè fit, quòd Eucharistia censeri debet maximum religionis nostræ mysterium: propterea D. Joannes Evangelista, quando describere debet ultimam Cœnam, in qua Christus instituit hoc sacramentum Eucharistiæ, prænotat duo circa Christum; alterum est, quòd sciebat Christus Patrem suum *omnia* ipsi tradidisse in manibus, ut nempè denotaret quòd Christus habēs *omnia* præ manibus suis, scilicet tam divinitatem quàm humanitatem suam cum omnibus utriusquæ proprietatibus, hæc *omnia* inclusit sub speciebus panis, & vini Eucharistici, ut *omnia* nobis conferret, & major communicatio excogitari non possēt: alterum quod notat Evangelista, est, quòd cum Christus semper dilexisset suos, usque *in finem* dilexit eos, quando hoc sacramentum instituit, id est, inquit D. Thomas, *in finem*, sivè in æternum, ultra quem finem progredi non potest ipsa Dei omnipotentia, quia Deus quantumvis omnipotens nihil facere potest in favorem hominis ultra id quod fecit in hoc semper laudabili, & adorando Eucharistiæ sacramento.

Major est gloria Christi, quòd ipsius Incarnatio veluti extendatur: hoc autem fit maximè per Eucharistiæ sacramentum, quod propterea vocatur à Sanctis Patribus, Incarnationis extensio; cum enim Verbum Divinum non fuerit per Incarnationem unitum nisi uni tantùm Humanitati in individuo, nempè illi quam assumpsit; per Eucharistiæ sacramentum tanta fit Incarnationis extensio, ut Verbum incarnatum uniatur tot individuis naturæ humanæ, quot sunt homines, qui ad sacram Eucharistiam accedunt.

Maximum cujuslibet Reipublicæ bonum est unio, & pax inter cives ejus: undè maximum est Ecclesiæ bonum, quòd in Eucharistiæ sacramento significatur, & efficitur admirabilis unio fidelium; nam ut observat D. Augustinus, sicut ex multis granis veluti identificatis, fit panis, & ex multis racemis expressis coalescit vi-

num; ita fideles quando sumunt species sacramentales panis, & vini, fiunt unum in Christo Domino.

Maximum etiam est bonum cujuslibet fidelis in hoc sacramento, quia per ipsum maximè excitatur Fides, Spes, augetur, & Charitas: inflammatur: Fides quidem, nam in verbis consecrationis hoc sacramentum per antonomasiam dicitur, *Mysterium fidei*, quia in confirmationem aliorum mysteriorum, v. g. Nativitatis, Resurrectionis, & Ascensionis Christi legimus in scriptura sacta fuisse plura miracula: sed quando institutum est Eucharistiæ sacr. nullum factum est miraculum, ut ita mysterium istud non haberet evidentiam in se ipso, nec evidentiam credibilitatis in miraculis, sed foret mysterium solius fidei. Spes etiam augetur, quia cum per peccatum corpus factum esset passibile, & mortale, animâ solâ remanente impassibili, & immortali, Christus in Eucharistia confert nobis corpus humanum impassibile, immortale, & gloriosum, ut excitet spem futuræ nostræ immortalitatis, & gloriæ. Denique charitas Christi erga nos maximè apparet, & mutuam nostri erga ipsum charitatem excitat, quia ut ait D. Thomas, totum, quod pro nobis assumpsit in Incarnatione, nobis ad salutem confert. Et sanè per impossibile darentur duo dij, & unus eorum cibo indigeret, non posset alius eum pretiosiori cibo nutrire, quàm propriâ suâ substantia, sicut ipse Christus in Eucharistia suâ nos nutrit, & alit.

ARTICULUS III.

Solvuntur objectiones Calvinistarum ex Scriptura, & Patribus.

Objicitur primò. Christus in Evangelio dixit, *Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis*: sed hoc esset falsum, si semper eum haberemus in Eucharistiæ sacramento: ergo non est ibi realiter, & substantialiter præsens, sed tantùm in Cœlo.

Respondeo, 1. Retorquendo argumentum; nam idem

Christus ait, *Vado, & venio ad vos: Non relinquam vos orphanos: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi:* Sed hæc omnia essent falsa, si Christus non esset realiter, & substantialiter in Eucharistiæ Sacramento: ergo.

Respondeo 2. Et simul assigno regulam generalem desumptam ex D. Augustino, qui videtur prævidisse, & prævenisse omnes objectiones hæreticorum hujus temporis: non habemus semper Christum, & tamen semper est nobiscum: quia non semper habemus secundùm præsentiam visibilem, & sensibilem; licèt sit semper nobiscum secundùm præsentiam invisibilem, & sacramentalem: & quòd Christus intendat solummodò excludere præsentiam illam visibilem, & sensibilem, patet ex eo quòd vult, quòd non semper ipsum habebimus sicut pauperes habemus, sivè in illa præsentia visibili, & sensibili, in qua indigeat nostro auxilio, sicut indigent pauperes: undè ad propositum egregiè notat idem D. Augustinus tractatu 95 in Joannem explicans illud Christi Joannis 6 *Vado ad Patrem, Et iam non videbitis me*, ubi juxta Sanctos Patres & Doctores Christus loquitur de morte sua, per quam debebat ire ad Patrem suum, & tamen Apostoli post mortem, & resurrectionem viderunt Christum: quomodo igitur verificatur, quod Christus dixit? *Quia*, inquit Augustinus, *Non debebant eum ampliùs videre, sicut tunc videbant; quia tunc videbant eum passibilem, & mortalem, postea visuri erant impassibilem, & immortalem:* Similiter non ampliùs habemus Christrum passibilem, & mortalem, sed tamen semper habemus impassibilem, & immortalem in Eucharistiæ sacramento.

Objcitur 2. Christus Dominus Joan. 6 postquàm plura dixit, quæ à nobis intelliguntur de Eucharistia, subdit, *Caro non prodest quidquam, spiritus est, qui vivificat:* Sed si Caro Christi foret in Eucharistia secundùm rei veritatem, & substantiam, nobis multùm prodesset, quia nos sanctificaret, & salvaret: ergo non est nisi in figura, & repræsentatione.

Respondeo primò, retorquendo argumentum: Si caro non prodest quidquam; ergo inutiliter Verbum ca-

ro factum est; ergo etiam falsum est, quod in eodem capite 6. Joannis dicitur, *Nisi manducaveritis Carnem filii hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: certè Caro multùm nobis prodest, quandoquidem Verbum Incarnatum patiendo, & moriendo in Carne sua nos redemit, & salvavit, & ipsi nos manducando eamdem carnem habemus vitam æternam.

Respondeo 2. & est regula generalis; caro non prodest quidquam, eo modo quo intelligebant illi, quibus loquebatur Christus, concedo; alio modo, quo intelligi debent verba Christi, nego; nam ut ait D. Augustinus tractatu 27. in Joannem, *Sic intellexerunt Capharnaitæ, quòd Christus daret ipsis carnem suã ad manducandum, sicut in cadauere dilaniatur, & in macello venditur*: in hoc sensu non prodest quidquam Caro Christi in Eucharistia, quia non sumitur ibi hoc modo: Nihilominùs eadem Caro Christi prout est sacramentaliter in Eucharistia secundùm substantiam, & veritatem, maximè nobis prodest ad sanctificationem, & salutem.

Respondeo 3. & est altera regula generalis, desumpta ex eodem D. Augustino ibidem: *Sic intelligendum est*, inquit, *Caro non prodest quidquam, quomodo dictum est, scientia inflat: & quidem scientia inflat sola, sine charitate; ideò adiunxit Apostolus, charitas verò ædificat: adde ergo scientiæ charitatem, & utilis erit scientia non per se, sed per charitatem: Sic etiam nunc caro non prodest quidquã, sed sola caro: accedit spiritus ad carnem, sicut charitas ad scientiam, & prodest plurimùm, nam si caro non prodesset, Verbum caro non fieret, & habitaret in nobis.* Huc usque D. Augustinus: igitur caro Christi nisi cum devotione, & spiritu recipiatur in Eucharistia, non prodest, sed potiùs nocet, quia recipitur ad nostram condemnationem: sed si accedendo ad Eucharistiam, Carnem Christi recipimus cum spiritu, & devotione, tunc maximè prodest, quia per eam sanctificamur, & salvamur.

Objicitur 3. Apostolus loquens de Patribus veteris testamenti ait, quòd *Eamdem escam spiritalem man-*

ducaverunt, & eundem potum spiritalem biberunt, ac nos manducamus, & bibimus: sed si nos manducaremus Corpus Christi in rei veritate, & substantia in pane Eucharistico, cum Patres veteris testamenti manducando manna, & alios cibos, non manducarent Corpus Christi nisi per fidem, & in figura; manducatio foret longè diversa: ergo dicendum est, quòd in cibo Eucharistico nos etiam non recipimus Christum nisi per fidem, & in figura.

Respondeo 1. Retorquendo argumentum: nam ipsemet Christus Dominus in Evangelio ait, *Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt: qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: Ubi manifestè ponit differentiam inter panem Eucharisticum, quo nos reficimur in novo testamento, & manna quo reficiebantur patres in veteri testamento, nostrumque cibum præfert eorum cibo: sed si utrobique non esset nisi fides, & figura, nulla esset differentia inter utrumque cibum, nec ulla excellentia ex parte nostri: ergo dicendum est, quòd cum manna ita Christum figuraret, ut ipsum non contineret, panis Eucharisticus in hoc excellit, quòd Christum ita figurat, ut ipsum etiam realiter contineat.

Respondeo 2. Assignando aliam regulam generalem ex D. Augustino, & aliis SS. Patribus: est idem cibus, idemque potus veteris, & novi testamenti, ex parte rei significatæ, concedo; ex parte modi significandi, nego: quia & manna veteris testamenti, & panis Eucharisticus novi testamenti sunt signum Christi Domini, qui est unus, & idem: & propterea conveniunt ex parte rei significatæ: sed manna erat signum non includens rem significatam: panis autem Eucharisticus est signum includens rem significatam; & sic valdè differunt ex modo significandi, ut jam dictum est, & adhuc magis postea dicetur.

Objicitur 4. In verbis consecrationis dicitur, *Hic calix novum testamentum est*: sed hæc locutio est metaphorica, sumitur enim continens pro contento, scilicèt ipse calix continens vinum pro ipso vino, vel ut meliùs loquamur, pro ipso Sanguine Christi, qui continebatur in calice: ergo falsum est in verbis conse-

rationis nullam esse metaphoram.

Respondeo, & est regula generalis, non esse metaphoram juxta communem, & usitatum loquendi modum, sed solummodò juxta primam institutionem terminorum: quia quamvis ex prima institutione terminus iste, *Calix*, significet tantummodó ipsum calicem, qui continet vinum: attamen ex usu loquendi factum est, ut calix sumatur pro ipso vino contento: undè qui diceret, bibi calicem vini, non censeretur loqui metaphoricè, sed propriè, & litteraliter. Sicut etiam ex D. Thoma diximus agendo de beatifica visione, quòd licet juxta primam institutionem verborum, intellectio, quâ beati cognoscunt Deum prout est in se, metaphoricè dicatur visio; & virtus, per quam producunt hujusmodi visionem, metaphoricè dicatur lumen; nihilominus juxta communem, & usitatum loquendi modum, hujusmodi sermo est omninò proprius, & litteralis, quo dicitur lumen gloriæ, & beatifica visio.

Objicitur 5. Christus in Evangelio ait, *Ego sum vitis vera:* Et Isaias dicit, *veré omnis caro fœnum:* & tamen constat istas propositiones esse metaphoricas: ergo licet Christus dicat, *Caro mea verè est cibus*, potest nihilominùs sensus esse metaphoricus.

Respondeo esse differentiam inter hujusmodi propositiones; quòd in prima nomen adjectivum, *vera*, cadit supra prædicatum: in secunda adverbium, *verè*, se tenet ex parte subjecti: sed in tertia adverbium, *verè*, cadit supra copulam totius propositionis, sivè supra ipsum verbum, est, undè in hac ultima propositione fit sensus, quòd caro Christi in rei veritate est cibus; proindèque non est solummodò metaphoricè: sed in aliis propositionibus fit sensus, quòd metaphoricè loquendo est vitis vera, sivè quòd habet similitudinem cum vera vite, & non cum vite sylvestri: & quòd in rei veritate omnis caro est fœnum, sive habet similitudinem cum fœno. Præterea quando Christus dicit, *Ego sum vitis vera*, constat ex consequentibus sensum esse metaphoricum, subdit enim, *& vos palmites:* sicut ergo discipuli Christi non erant palmites nisi metaphoricè, ita ipse non erat vitis nisi in sensu metaphorico: sed quando dicit, *Caro mea veré est cibus*, con-

stat ex antecedentibus, & consequentibus non esse propositionem metaphoricam, sed litteralem, & propriam, ut supra ostendimus.

Objicitur 6. & replicatur contra præcedentem solutionem: Verbum *est*, sumitur quandoque in Scriptura in sensu metaphorico; Apostolus enim 1. ad Corinthios 10. de Patribus veteris testamenti ait, *Consequente eos petra, petra autem erat Christus*, idest petra repræsentabat Christum; similiter in veteri testamento præcipiens Deus celebrari aliquod festum, ait, quia Phase Domini *est*, sivè repræsentat phase, sivè transitum Domini, eo quòd festum illud repræsentabat, & in memoriam revocabat singulare beneficium, quod contulit Deus populo Israël, quando fecit, ut sicco vestigio transiret per mare rubrum: ergo etiam in sensu metaphorico poterunt hæretici sumere Verbum, *est*, circa Eucharistiam, ita ut sensus sit, quòd panis Eucharisticus figurat, & repræsentat Corpus Christi Domini, & in memoriam revocat beneficium passionis, & mortis ejus.

Respondeo esse maximam differentiam inter hujusmodi propositiones: nam quantùm ad primam, constat ex antecedentibus, quòd Apostolus ibi loquitur metaphoricè, ait enim quòd Patres veteris testamenti *Omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari*; & nihilominùs ipsimet hæretici fatentur in veteri testamento non fuisse Baptisma nisi figurativè, & metaphoricè: similiter ex consuetudine quodvis festum habet denominari à mysterio quod repræsentat: sic festum Nativitatis, aut Ascensionis Christi dicitur Nativitas, sivè Ascensio Christi: constat igitur in secunda propositione sensum esse metaphoricum ex consuetudine, & communi modo loquendi, sed quantùm ad Eucharistiam nec antecedentia, nec consequentia denotant sensum esse metaphoricum, sed maximè litteralem, & proprium; sicut etiam ex communi, & usitato modo loquendi colligitur quód verba consecrationis non possunt sumi nisi in sensu reali, litterali, & proprio.

Objicitur 7. authoritas sanctorum Patrum, præsertim D. Augustini libro contra Adamantium cap. 12. ubi ait *Non dubitavit Christus dicere, Hoc est Corpus*

eum, dum signum daret Corporis sui : Ergo , in-
iunt, ex mente D. Augustini non est in Eucharistia
isi signum Corporis Christi. Idem Sanctus tractatu
5. in Joannem ait, *Ut quid paras dentem , & ven-
rem? Crede, & manducasti :* Ergo sola fide, & non
aliter manducatur Christus in hoc sacramento.

Respondeo, 1. Retorquendo argumentum : nam , &
postolus vocat Christum *Figuram substantiæ* Pa-
ris sui : & tamen hæretici non dicunt Christum esse
olummodò figuram Patris sui , sed fatentur quòd est
bi consubstantialis : ergo pariter quamvis Euchari-
ia dicatur *Signum Corporis Christi,* non propterea
st solummodò signum , sed includit etiam corporis
ubstantiam: undè non poterunt hæretici afferre ullum
estimonium alicujus Sancti Patris, qui dicat Euchari-
tiam esse solummodò figuram , & signum Corporis
Christi : nam quòd re vera sit ejus signum, nedùm Ca-
holici non negant , sed etiam afferunt rationem signi
sse essentialem cuilibet sacramento ; undè ab initio de-
inivimus sacramentum , signum rei sacræ nos sancti-
icantis: igitur Eucharistia re vera est signum sensibile
Corporis Christi ibi invisibiliter, sivè sacramentaliter,
& nihilominùs realiter , & substantialiter residentis :
ed dicimus non esse solummodò signum , sed ipsam
tiam rem significatam.

Respondeo 2. Et est regula generalis desumpta ex
odem D. Augustino quæstione 27. in Leviticum , du-
lex esse signum ; aliud excludens rem significatam,
liud ipsam includens : sacramentum igitur Euchari-
tiæ est signum Corporis Christi non primo, sed secun-
do modo, idest, realiter includens ipsum Corpus sig-
nificatum : *Quærendæ sunt* , inquit Augustinus , *lo-
cutiones quibus exprimatur , præter id quod con-
tinet, id quod continetur, ut quoniam anima San-
guine tenetur in corpore, per ipsum aptiùs signifi-
cata sit anima , & eius nomen sanguis acceperit :
sicut Ecclesia dicitur locus, quo fideles congregan-
tur :* similiter duplex distingui debet fides , alia non
includens rem creditam , alia includens ipsam : Igitur
debet sic intelligi altera authoritas D. Augustini
quòd nihil nobis prodest sine fide accedere ad sacra-

mentum Eucharistiæ licet realiter ibi Christum suscipiamus, quia hoc esset potiùs ad nostram condemnationem, etsi multùm prosit realis susceptio Christi in Eucharistia cum spirituali ipsius susceptione per fidem; sicut in præcedentibus solutionibus ex eodem D. Augustino explicuimus hæc verba Christi, *Caro non prodest quidquam: spiritus est, qui vivificat.*

Respondeò 3. Et est altera regula generalis, quandoque Sanctos Patres de industria explicuisse mysterium Eucharistiæ per figuras, & parabolas, non excludendo, sed occultando ipsius veritatem tum catechumenis, ne propter difficultatem hujus mysterij scandalizarentur, tum etiam infidelibus, ne sumerent occasionem irridendi religionem nostram: sic expreßè testatur D. Athanasius in prima Apologia de fuga sua, ubi ait, *Non est fas mysteria non initiatis prodere, ne ethnici non intelligentes derideant, aut Cathecumeni curiosiores facti scandalizentur.*

ARTICULUS IV.

Solvuntúr obiectiones Calvinistarum, quibus ostendere conantur impoßibilitatem huius mysterii.

Obijciunt primò: vel Christus esset in Eucharistia cum sua quantitate, vel sine ipsa: neutrum dici potest: ergo implicat hujusmodi realis præsentia Christi in Eucharistia. Probatur minor: primò, non potest ibi esse Christus sine sua quantitate, quia quantitas est proprietas inseparabilis à substantia corporis humani: 2. non potest ibi esse cum sua quantitate, quia extensio localis, & dimensio corporis est proprietas inseparabilis ab essentia quantitatis: sed Christus in Eucharistia non habet dimensiones sui Corporis, non enim ibi habet longitudinem, & latitudinem, quam habet Corpus suum in cœlo: ergo ibi esse non potest cum sua quantitate.

Respondeo primó, retorquendo argumentum, & omissis pluribus aliis exemplis, in quibus manifestum est quòd potest separari proprietas ab essentia, suffi-

tiant hæc duo, quæ sumuntur ex ipsa Scriptura Sacra, & ab hæreticis negari non possunt: certum est calorem esse proprietatem ignis, & calefactionem proprietatem caloris; & nihilominùs Danielis 3. legitur, tres pueros in fornace in medio ignis non fuisse combustos: tunc igitur Deus vel calorem separavit ab igne, vel calefactionem à calore. Certum est etiam, quòd sicut extensio localis est proprietas quantitatis, & corporis humani, ita etiam gravitas, ratione cujus corpus tendit deorsum: & nihilominùs Matthæi 14. narratur quomodo Christus Dominus, & Divus Petrus ambulabant super aquas, & non submergebantur, nec proindè gravitabant: ergo essentia conservari potest à Deo sine proprietate sua.

Respondeo 2. Non potest conservari essentia rei sine proprietate, radicali, concedo; sine proprietate formali, nego: & hæc est prima regula generalis; v. g. ignis licet supernaturaliter impediretur ne combureret tres illos pueros, nihilominùs habebat in se radicem combustionis, & impediebatur ipsa actualis combustio: similiter licet divinitùs conservaretur Corpus Christi, & Petri ne submergerentur, atque ita formaliter, & actualiter non gravitarent, attamen gravitabant aptitudinaliter, & radicaliter: & ratio hujus est, quia proprietas radicalis nihil est aliud quàm ipsa essentia, quæ est radix cujuslibet proprietatis, & quæ tam est inseparabilis ab ipsa re, quàm ipsa res à se ipsa: proprietas verò formalis est aliquid realiter distinctum ab ipsa essentia, undè ab ea separari potest: igitur in quantitate Corporis Christi distingui debet duplex extensio; interna, sivé extensio partium in se, ratione cujus partes Corporis Christi realiter invicem distinguuntur, ita ut una non sit alia, v. g. manus non sint pedes, & manus dextera, & sinistra distinguantur; & hæc est essentia quantitatis ut docent philosophi præsertim Thomistæ: alia est extensio externa, sivè extensio partium in loco, ratione cujus quælibet pars correspondet suo speciali loco diverso à loco alterius, v. g. caput correspondet uni loco, manus correspondet alteri, & similiter pedes habent locum diversum à loco, quem habent manus; & hæc est proprietas formalis quanti-

tatis: Igitur in Eucharistia supernaturaliter, & per continuum ineffabile miraculum Corpus Christi suam habet quantitatem quantùm ad extensionem internam, & essentiam quantitatis, sed non quantùm ad proprietatem formalem quantitatis, & extensionem externam, & localem: ita ut sub qualibet hostia, qualibet hostiæ particula omnia Christi membra invicem distinguantur, & unum non sit aliud, sicque nullo modo confundantur; nihilominùs non occupent diversum locum sed ibi se habeant ad modum spiritus, ita ut sicut anima nostra, & quilibet spiritus, est tota in toto corpore, & tota in qualibet ipsius parte, similiter Corpus Christi sit totum sub tota hostia, & totum sub qualibet ipsius particula.

Objicitur 2. Et replicatur contra præcedentem solutionem: esto quòd proprietas saltem formalis separari possit ab essentia rei; nihilominùs effectus formalis separari non potest à sua causa formali: sed extensio localis provenit à quantitate tanquàm effectus formalis à sua causa formali: ergo dari nequit hæc quantitas sine tali extensione. Major est evidens, quia effectus formalis nihil est aliud quàm ipsa forma ut communicata: sed implicat dari formam in subjecto, & non esse ipsi communicatam: ergo implicat dari causam formalem sine effectu formali: Minor etiam non est minùs evidens; quia omnes philosophi fatentur extensionem localem provenire à quantitate in genere causæ formalis.

Respondeo 1. Retorquendo argumentum; quia non est minùs certum apud philosophos gravitatem corporis provenire à quantitate in genere causæ formalis quàm extensionem localem; & nihilominùs Deus conservabat Corpus Christi, & D. Petri cum sua quantitate sine tali actuali gravitate, quandoquidem non submergebatur in aqua: ergo fateri coguntur hæretici posse divinitùs dari causam formalem sine suo effectu; nec dicere possunt, tunc separatam fuisse quantitatem ipsam à corpore, tum quia constat ex loco citato Scripturæ, quòd Corpus Christi, & Petri videbatur, non potest autem videri corpus sine colore, nec esse coloratum, nisi sit quantum; tum quia simili modo dicere

possemus

possemus cum Durando, Christum esse in Eucharistia cum sua substantia corporea sine sua quantitate.

Respondeo 2. Et est altera regula generalis: non potest dari causa formalis sine suo effectu formali, primario, concedo; sine suo effectu formali, secundario, nego: quia licèt effectus formalis primarius nihil aliud sit quàm ipsa forma ut communicata, atque ita positâ tali formâ, necesse sit ponere hujusmodi effectum; attamen effectus formalis secundarius est aliquid realiter consequens ex ipsa forma jam communicata, undè positâ formâ, eiusque effectu formali primario, potest divinitùs impediri resultantia effectus formalis secundarij: quia igitur extensio interna, sivè partium inter se est effectus formalis primarius quantitatis, extensio verò externa, sivè partium in loco est effectus ejus secundarius formalis, fieri quidem non potest quòd Christus in Eucharistia suam quantitatem habeat sine extensione partium in se ipsis, benè tamen sine extensione locali.

Objicitur 3. Non potest idem corpus esse in pluribus locis: sed Christus est in cœlo: ergo non potest simul, & semel esse in Eucharistia. Major probatur: illud corpus foret simul idem, & non idem: sed hoc implicat: ergo: foret autem idem ex suppositione, & rursùs quòd non foret idem, sic probatur: idem non potest esse divisum à semetipso: sed Corpus Christi, quod esset in Eucharistia, foret divisum à Corpore Christi, quod est in cœlo: ergo non esset idem. Major constat: Minor probatur: illa corpora ab invicem dividuntur, inter quæ ponuntur corpora intermedia: sed constat, quòd inter Corpus Christi in cœlo, & in Eucharistia sunt plura corpora intermedia: ergo debent esse corpora ab invicem divisa.

Respondeo, distinguendo primam propositionem, & assignando regulam generalem: non potest idem corpus esse in pluribus locis, circumscriptivè, concedo; sacramentaliter, nego: & ad rationes subjunctas fateor, quòd convincunt non posse idem corpus esse in pluribus locis circumscriptivè, non autem quòd non possit esse in pluribus locis sacramentaliter; vel in uno circumscriptivè, & in aliis sacramentaliter: & ita

Christus potest simul esse circumscriptivè in cœlo, & sacramentaliter in omnibus hostiis consecratis: ratio autem discriminis inter plures præsentias circumscriptivas, & sacramentales fusè explicatur à Thomistis in philosophia: hic breviter eam insero, quantùm requiritur, & sufficit ad propositum: igitur quòd multiplicatio purè individualis radicaliter sumitur à quantitate, quia hujusmodi multiplicatio est plurium, quæ solo numero distinguuntur, & sunt ejusdem rationis sivè speciei: cum igitur quantitas essentialiter habeat importare plures partes ejusdem rationis, & speciei, ac solo numero distinctas;: & aliundè juxta commune axioma, primum in unoquoque genere sit causa cæterorum, indè fit quòd quantitas est causa, sivè ratio, propter quam alia omnia solo numero, sivè individualiter distinguuntur; quia igitur præsentia circumscriptiva alicujus rei in loco habetur ratione quantitatis, idcircò si foret multiplex hujusmodi præsentia, foret etiam multiplex quantitas, proindeque etiam numero corpus: sed quia præsentia sacramentalis cum habeat modum præsentiæ spiritualis, ut jam diximus in præcedenti responsione, non convenit Corpori Christi Domini prout importat quantitatem suam, sed solummodò prout importat substantiam: quia ut etiam docent in philosophia Thomistæ, substantia corporea secundùm se sumpta, & præcisa à quantitate eodem modo se habet ac si foret purus spiritus; ideò quantumvis multiplicetur præsentia sacramentalis Corporis Christi, non multiplicatur propterea substantia corporis, ut postea magis explicabimus: dicemus etiam, quòd licet quantitas sit in Eucharistia simul cum substantia Corporis Christi, non est tamen ibi directè, & per se, sed indirectè tantùm, & per concomitantiam.

Obiicitur 6. Et replicatur contra præcedentem solutionem: implicat, quòd corpus sit in loco ad modum spiritus: ergo Corpus Christi non potest esse in pluribus locis sacramentaliter. Probatur antecedens: implicat, quòd una res habeat alterius proprietates: ergo implicat, quòd corpus habeat modum essendi in

loco quem habet spiritus, & qui similiter est proprietas spiritus.

Respondeo, & simul assigno regulam generalem, quando proprietates sunt proprietates quarto modo, idest, omninò inseparabiles à re, concedo quòd non possunt communicari alteri; quando non sunt proprietates quarto modo, nego: plures, autem sunt proprietates spiritus, quæ possunt communicari corporibus, aliàs Apostolus non diceret, *Seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale*; quibus verbis manifestè denotat, quòd corpora nostra licet post resurrectionem non sint futura spiritus quoad substantiam, erunt tamen spiritus quoad modum: igitur Corpus Christi Domini quamvis in Eucharistia non sit spirituale quoad substantiam, est tamen spirituale quoad modum, sivè quoad præsentiam sacramentalem, ut fusiùs dicetur postea.

Obijcitur ultimo; plura ex hoc mysterio sequi inconvenientia, & absurda, ut quòd Christus malè tractari possit ab hominibus, sivè quando ipsum indignè recipiunt, sivè quando in loca obscæna projciunt; quòd possint bruta animalia comedere species Eucharisticas; & alia id generis multa, quæ non decent Divinam Majestatem.

Respondeo 1. Retorquendo argumentum; si enim aliquid convinceret, probaret etiam multò minùs fuisse conveniens Verbum Divinum incarnari, quia assumendo carnem, præsertim passibilem, & mortalem, pati poterat ab hominibus, & re vera passus est plures ignominias: sicut ergo non obstante Divina Majestate, *Ex nimia charitate sua*, ut loquitur Apostolus, voluit Verbum incarnari non obstantibus his omnibus inconvenientibus: ita ex eadem nimia charitate erga nos, & nostram salutem voluit in Eucharistiæ sacramento se substantialiter collocare, non obstantibus inconvenientibus, quæ contingere possunt circa species consecratas.

Respondeo 2. Et est regula generalis, non fuisse conveniens, quòd Christus foret in Eucharistia aliquo modo passibili, & mortali, & obnoxio his omnibus injuriis, benè tamen quòd ibi foret modo sacramentali,

sivè impassibili, immortali, & glorioso. Cum igitur Christus sit in Eucharistia cum impassibilitate, & immortalitate, non sequuntur prædicta inconvenientia, & quidquid fit, vel fieri potest ab ipsis creaturis circa species Eucharisticas, hoc totum in eis sistit, & nullatenùs lædit, aut lædere potest Corpus Christi; ipsique peccatores quando indignè sumunt Eucharistiam, non magis nocent Christo Domino in ea existenti, quàm noceant ipsi Deo, quando peccant, aut ipsum blasphemant; nec magis inficitur ex locis obscænis, quàm inficiatur radius solis in cœno.

ARTICULUS V.

Vtrùm in Eucharistia fiat transubstantiatio, sivè transitus, & conversio substantiæ panis, & vini in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi.

Egimus in præcedentibus articulis contra hæreticos Calvinistas, agendum modò est contra Lutheranos, qui quamvis fateantur Corpus, & Sanguinem Christi realiter, & substantialiter in Eucharistia contineri, volunt tamen simul etiam ibi remanere substantiam panis, & vini, atque ita Christum esse veluti impanatum, sivè contentum intra ipsum panem: undè negant transubstantiationem, sivè transitum, & conversionem substantiæ panis, & vini in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi. Contra quos Concilium Tridentinum ita loquitur; *Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuò Sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis, & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi Domini Nostri, & totius substantiæ vini in substantiam Sanguinis eius, quæ conversio convenienter, & propriè à Sancta Catholica Ecclesia tranbsubstantiatio est appellata.*

Conclusio. In Eucharistiæ Sacramento fit vera conversio totius substantiæ panis, & vini in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi, sivè totalis transubstantiatio.

Probatur 1. argumento ad hominem contra Luthe-

ranos : non possent Lutherani convincere Nestorianos, Calvinistas, & alios antiquos hæreticos, si explicent Scripturam, prout ab eis explicatur : dicebant enim Nestoriani, & alij plures hæretici, quòd in Christo duplex est persona, nempè persona Verbi Divini, & persona propria Humanitatis Christi; & nihilominùs dicebant Verbum esse incarnatum propter intimam præsentiam personæ Verbi cum persona Humanitatis Christi : universa tamen Ecclesia eos semper condemnavit, ipsique Lutherani eos etiam condemnant, & simul cum Ecclesia dicunt, quòd ad salvandum Incarnationis Mysterium, & ut propriè, ac simpliciter verificentur hæc verba Scripturæ, *Verbum caro factum est*, & ut Beatissima Virgo sit mater Christi nedùm ut hominis, sed etiam ut Dei, necesse fuit, quòd veluti absorberetur propria personalitas Humanitatis, & loco ipsius substitueretur personalitas Verbi Divini : Ergo similiter ut verificentur hæc verba Scripturæ, *Hoc est Corpus meum*, non sufficit quòd substantia Corporis Christi sit simul intimè præsens hostiæ cum substantia panis, sed requiritur quòd substantia panis veluti consumatur, & substantia Corporis Christi loco ipsius substituatur : similiter si Lutherani hæc verba, *Hoc est Corpus meum*, explicant in hoc sensu, hoc continet Corpus meum, poterunt Calvinistæ eadem explicare in hoc alio sensu, hoc significat Corpus meum: si enim semel à sensu proprio, & litterali in aliquem sensum metaphoricum verba Scripturæ detorqueantur, poterunt etiam detorqueri in alium.

Confirmatur; quando aliquis ostendit accidentia sui corporis, non potest dicere, hoc est anima rationalis, sed solummodò, hoc est corpus; vel etiam, ibi, vel, intra corpus istud est anima rationalis; quia accidentia corporis quamvis recipiantur in toto composito, nihilominùs instituta sunt solummodò ad demonstrandam corporis substantiam, & aliundè substantia animæ rationalis quamvis intimè unita cum substantia corporis nostri, non substitüitur tamen loco ipsius. Similiter quando aliquis est possessus à dæmone, quamvis dæmon sit intra hujusmodi hominem, non propterea dici potest, demonstrando hominem illum, hoc est dæ-

mon; quia illud omne quod apparet in homine nec ex institutione, nec ex substitutione dæmonem significat. Tandem ostendendo Christum non potuisset dici, Hoc est Deus, si persona Divina non fuisset substituta loco humanæ: ergo similiter demonstrando panem, & vinum Eucharisticum non verificarentur verba Christi, *Hoc est Corpus meum*, *Hic est Sanguis meus*, si substantia Corporis, & Sanguinis eius non substitueretur substantiæ panis, & vini.

Probatur 2. ratione angelici Doctoris desumpta ex 3. parte, quæstione 75. articulo 2. Nisi fieret hujusmodi transubstantiatio, non possent verba Christi verificari, *Hoc est Corpus meum*: ergo, &c. Probatur antecedens: pronomen, *hoc*, demonstrat substantiam latentem sub illis accidentibus sensibilibus, quæ apparent, & demonstrantur: undè si remaneret substantia panis sub ipsius accidentibus, quando Christus ostendendo panem, dixit, *Hoc est Corpus meum*, fieret hic sensus, substantia panis est corpus meum: sed falsum est substantiam panis esse idem cum substantia Corporis Christi: ergo verba Christi non forent vera, si substantia panis remaneret sub hostia.

Confirmatur hæc ratio: pronomen demonstrativum, *hoc*, significat id quod accidentia quæ ostenduntur, habent significare vel ex institutione naturæ, aut consuetudinis, vel ex substitutione miraculosa, v. g. quando sumendo panem dicimus, hoc est panis, significatur substantia panis, quæ sub ipsis accidentibus continetur, quantùm est de se, & secluso miraculo, quia accidentia panis naturaliter instituta sunt ad significandam panis substantiam: similiter quando ostendendo crumenam, dicimus, hoc est argentum, significatur argentum in crumena inclusum, quia ex consuetudine fuit instituta ad includendam pecuniam, & ipsam significandam: quando etiam per miraculum loco propriæ subsistentiæ Humanitatis Christi substituta fuit subsistentia, & personalitas Verbi Divini, verum erat dicere demonstrando Christum, Hic Homo est Deus, quia cum demonstratio naturæ humanæ per se loquendo cadere debeat supra ipsius personam, & aliundè persona Verbi per prædictam substitutionem miracu-

losam facta sit persona Humanitatis, non est mirum si supposito tali miraculo de ipsa Verbi persona verificetur hujusmodi propositio: sed si aliquis argentum in pane includeret, remanente pristina panis substantia non posset ostendendo hujusmodi panem juxta communem loquendi modum dicere, hoc est argentum, sed solummodò ut ait D. Thomas, *hîc*, sivè ibi est argentum, quia accidentia illius panis non habent significare substantiam illius argenti nec ex institutione, nec ex substitutione: ergo similiter si solummodò substantia Corporis Christi foret inclusa intra panem Eucharisticum, & non miraculosè substituta loco substantiæ panis, cum iste panis non designet Christum ex naturali institutione, cum etiam non designaret ex miraculosa substitutione, non potuisset Christus dicere, *Hoc est Corpus meum*, sed solummodò, *hîc*, sivè ibi est Corpus meum.

Probari posset 3. pluribus Sanctorum Patrum authoritatibus: sufficiat hoc unum, aut alterum testimonium. D. Gregorius Nissenus in oratione 6. capite 37. ait, *Dei verbo sanctificatum panem in Dei Verbi Corpus credo transmutari.* D. Cyrillus Alexandrinus in Epistola ad Calosyrium ait, *Panem in altari oblatum in veritatem propria carnis á Christo converti.* Et D. Damascenus libro 4. de fide, capite 14. asserit in hoc sacramento Eucharistiæ panem, & vinum modò quodam mirabili *In Christi Corpus, & Sanguinem converti.* Sed his testimoniis nihil expressius afferri potest ad probandam hujusmodi conversionem, sivè transmutationem, & transubstantiationem substantiæ panis, & vini in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi: Ergo.

Objicitur 1. Verbum hoc transubstantiationis non reperiri in Scriptura, proindéque non esse admittendum.

Respondeo 1. retorquendo argumentum; verbum hoc consubstantialis, quo utitur Concilium Nicænum primum ad exprimendam consubstantialitatem, sivè omnimodam æqualitatem Filij Dei cum suo Patre nullibi etiam in Scriptura reperitur, & tamen hæretici admittunt hujusmodi Concilium, & hujusmodi con-

substantialitatem: ergo quantum ad terminos quibus exprimuntur Religionis nostræ mysteria, coguntur aliquid admittere, quòd in Scriptura non habetur expressè.

Respondeo 2. Semel supposita veritate doctrinæ: conveniens esse, quòd Ecclesia adinveniat nova vocabula ad exprimendam doctrinam Catholicam quantùm fieri potest contra hæreticos: cum igitur constet de veritate hujus doctrinæ, quòd nempè fiat in Eucharistia conversio substantiæ panis, & vini in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi jure merito Concilium Tridentinum eam vocat transubstantiationem, quandoquidem longè ante Concilium fusè Divus Thomas ostendit 3. parte, quæstione 75. hujusmodi conversionem rectè exprimi per hoc vocabulum transubstantiationis.

Objicitur 2. In Scriptura, & Patribus panis, & vinum Eucharisticum retinent nomen panis, & vini etiam post consecrationem: sed hoc nomen significat ipsam substantiam: ergo remanet substantia panis, & vini: exempli gratia 1. ad Corinthios 1. dicit Apostolus, *Panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?*

Respondeo 1. Retorquendo argumentum; quia etiam sæpiùs in Scriptura Christus dicitur homo, quod nomen significat personam humanam: ergo in Christo deberet remanere persona humana, quod est falsum etiam secundum hæreticos: ergo similiter quamvis nomen panis deberet significare ipsius substantiam, potest tamen Eucharistia vocari panis, licèt ibi non remaneat panis substantia.

Respondeo 2. Esse triplicem regulam ad explicanda hæc omnia testimonia: aliquid enim potest retinere nomen alterius, primo, quando factum est ex ipso: sic dicitur in Evangelio *Cum gustasset architriclinus aquam vinum factam*, ubi vinum aqua dicitur, quia ex aqua factum erat, quamvis in ipso non remaneret neque substantia aquæ, neque ipsius accidentia; à fortiori ergo cum in Eucharistia Corpus Christi fiat ex pane, & quamvis non remaneat substantia panis, remanant tamen omnia ipsius accidentia, potest Eucha-

ristia retinere denominationem panis. Secundò, unum dicitur aliud, quia ipsius apparentiam habet: sic in veteri testamento illi tres Angeli, qui apparuerunt Abrahæ, dicuntur viri, quia licet re vera forent Angeli, nihilominùs apparebant homines; & ipse Christus, quia apparebat homo, dicebatur homo: cum igitur panis, & vinum in Eucharistia eodem prorsùs modo appareant panis, & vinum post consecrationem, ac antea, non est mirum si adhuc nominentur panis, & vinum. Tertiò, unum dicitur aliud, quando virtutem, & efficaciam ipsius habet: sic manna in scriptura dicitur panis, non quod re vera panis esset, sed quòd ad instar panis reficeret: cum igitur in Eucharistiæ sacramento Corpus, & Sanguis Christi animas nostras reficiant ea proportione, qua panis, & vinum reficiunt corpora nostra, non est mirum, si dicantur panis, & vinum.

Objicitur 3. Non est majus signum alicujus substantiæ, quàm accidentia, quæ apparent, & demonstrantur; undè Christus post resurrectionem dum vellet suis discipulis probare se non esse phantasma, dicebat eis, *Videte, & palpate, quia spiritus carnem, & ossa non habet*: Sed in Eucharistia, videndo, palpando experimur omnibus sensibus accidentia panis, & vini: ergo non potest majus esse signum, quòd sub eis lateat utriusque substantia.

Respondeo 1. Retorquendo argumentum: nullum enim est majus signum personæ humanæ, quàm videre, palpare, & omnibus sensibus experiri naturam humanam; sicut enim accidentia denotant substantiam, ita natura denotat personam; & nihilominùs non obstantibus experimentis sensuum circa Humanitatem Christi, non suberat ipsi persona humana: ergo non obstantibus similibus experimentis circa accidentia panis, & vini, non est necesse quòd sub eis reperiatur vel substantia panis, vel substantia vini.

Respondeo 2. Et est regula generalis, nullum est majus signum substantiæ, quàm accidentia, per se loquendo, concedo. idest, præcisè attendendo naturam rerum, hoc est verum; per accidens, nego; quia falsum est attendendo miraculum quòd accidentia, quæ appa-

rent, denotent ſuam propriam ſubſtantiam, ſicut falſum eſt ſuppoſito Incarnationis myſterio, quòd natura humana, quæ apparet, denotet perſonam humanam.

Obijcitur 4 Senſus nunquàm decipiuntur circa propria ſenſibilia: ſed propria ſenſibilia ſenſuum ſunt accidentia, & ſubſtantiæ quæ ſub illis latent: ergo ſenſus noſtri nunquàm decipiuntur in ipſis diſcernendis: cum igitur judicent ſubeſſe accidentibus panis propriam ipſius ſubſtantiam, dicendum eſt quòd re vera eis ſubeſt.

Reſpondeo 1. Retorquendo argumentum; ſenſus enim eadem proportione feruntur in naturam, & perſonam ſenſibilem, quâ feruntur in accidentia, & ſubſtantiam: igitur ſi decipi poſſunt circa naturam humanam Chriſti experiendo omnia in ipſa, ac ſi ſubeſſet perſona humana, cum re vera non ſubſit niſi perſona Divina, non eſt mirum ſi decipiantur circa accidentia panis, percipiendo ea, ac ſi ipſis ſubeſſet propria ſubſtantia panis, cum re vera non ſubſit niſi ſubſtantia Corporis Chriſti.


Reſpondeo 2. Et eſt regula generalis, quæ magis explicari debet in Philoſophia; vel quòd ſola accidentia exteriora non autem ſubſtantiæ ſub eis latentes ſunt proprium objectum ſenſuum, & ita ſenſus non decipiuntur in hoc ſacramento, quia percipiunt accidentia ſicuti ſunt: vel quòd licet tam ſubſtantiæ, quàm accidentia ſint objecta ſenſuum, nihilominùs circa ipſa decipi poſſunt, quandoquidem licet nihil ſit magis proprium objectum viſus, quàm color, attamen circa colorem viſus ipſe decipitur, nam in iride videntur colores quaſi veri forent, cum tamen non ſint niſi apparentes: vel denique, quòd licet ſenſus per ſe loquendo, & ſervato ordine naturæ non decipiantur circa ſenſibilia, per accidens tamen propter aliquod miraculum decipi poſſunt: ſic propter Incarnationem decipiebantur circa Humanitatem Chriſti, & ſimiliter propter Euchariſtiam decipiuntur circa panem, & vinum ſicut jam diximus.

Obijcitur 5. De eſſentia accidentium eſt quòd inhæreant ſubjecto: ſed ſi in Euchariſtia non foret ſubſtan-

tia panis, & vini, remanerent accidentia sine subjecto, quia non subjectantur in Corpore, & Sanguine Christi, cum ibi sint ut supra diximus, sine extensione externa, & hoc adhuc magis explicabitur infra: ergo mysterium Eucharistiæ implicat, prout à nobis explicatur.

Respondeo 1. Retorquendo semper argumentum; quia sicut accidentia exigunt proprium subjectum, ita etiam natura exigit proprium suppositum; & tamen in Incarnatione natura humana caret proprio supposito: ergo etiam in Eucharistia poterunt accidentia panis, & vini carere proprio subjecto: nec refert quòd in Incarnatione substituitur persona Divina loco humanæ; quia semel separata personalitate propria ab humanitate, posset divinitùs manuteneri humanitas sine ulla subsistentia, ut explicatur in tractatu de Incarnatione; & similiter separatâ substantiâ panis, & vini ab accidentibus, manutenentur divinitùs hujusmodi accidentia, ut magis explicabitur postea.

Respondeo 2. Et est regula generalis, de ratione accidentium est inhærere subjecto, actualiter, nego; aptitudinaliter, concedo; quia juxta commune philosophorum axioma, verba in definitionibus posita non dicunt actum, sed aptitudinem, sicut homo non est animal ratiocinans, sed rationale, & sicut Humanitas in Incarnatione est quidem apta habere propriam subsistentiam, sed tamen eam non habet de facto; ita similiter accidentia sunt quidem essentialiter apta inhærere subjecto, sed non est de eorum essentia quòd semper actu de facto inhæreant: Igitur in Eucharistia accidentia panis, & vini licet de facto non inhæreant substantiæ utriusque, nihilominùs, quantùm est de se, sunt capacia ipsi inhærere; quæ omnia magis postea elucidabuntur.



QUÆSTIO IV.

De essentia Sacramenti Eucharistiæ.

DIximus initio tractatûs de sacramentis in communi explicandam esse essentiam, naturam, & quidditatem cujuslibet sacramenti: Diximus etiam ibidem, quòd quidditas non differebat ab essentia, & natura, quia explicando quid sit res, explicatur etiam ejus essentia, & natura, sed benè quòd ista duo differunt, quia essentia dicit gradum genericum, & differentialem modo metaphysico, sivè per ordinem ad existentiam; natura verò dicit utrumque modo physico, sivè importando materiam, & formam: undè in primis explicanda est materia, & forma hujus sacramenti.

Et quidem quantùm ad materiam consentiunt omnes Theologi, quòd est panis, & vinum, eo quòd juxta principium jam explicatum datur hoc sacramentum ad refectionem spiritualem hominum, quæ debet significari per refectionem corporalem, sicut generaliter loquendo omnia quæ fiunt in sacramentis invisibiliter, repræsentantur visibiliter: undè quia homines ad refectionem corporalem utuntur præsertim pane, & vino, ideò conveniens fuit, quòd essent materia hujus sacramenti. Plura de hoc videri possunt in Theologia morali D. Thomæ, verbo *Eucharistia*, ubi perplures quæstiones explicantur concernentes casus conscientiæ circa materiam hujus sacramenti, ad quarum intelligentiam sola lectio sufficit.

Sed quantum ad formam hujus sacramenti Eucharistiæ, quæ consistit in verbis consecrationis panis, & vini, licet plura etiam habeantur loco citato Theologiæ moralis, quæ ex sola lectione intelligi possunt, nihilominùs est gravis difficultas circa consecrationem vini, pro cujus resolutione sit.

ARTICULUS I.

Vtrùm hæc verba hic est calix Sanguinis mei, &c. usque ad ista, in remissionem peccatorum sint de essentia consecrationis vini.

Circa propositam difficultatem triplex est sententia tam inter Thomistas, quàm inter alios Theologos: Prima docet hæc sola priora verba, *Hic est calix Sanguinis mei*, esse de essentia, & substantia hujus sacramenti: Secunda tenet hæc sola verba esse de essentia, sed sequentia esse de substantia: Tertia vult hæc omnia verba à primo ad ultimum esse de essentia hujus sacramenti; sic inter alios benedicendæ semper memoriæ Archiepiscopus noster de Marinis in Commentariis 3. partis, quæstione 77. articulo primo; quæ sententia videtur probabilior, undè etiam pro illa sit.

Conclusio: hæc omnia verba, *Hic est calix Sanguinis mei*, usque ad ista, *in remissionem peccatorum*, sunt de essentia consecrationis calicis.

Probatur primò authoritate totius Ecclesiæ, quæ jubet hujusmodi verba in Canone Missæ omnia imprimi majusculis characteribus: & si Sacerdos aliquod ex ipsis omiserit, jubet quòd tota consecrationis forma repetatur: procul dubio talis, tantaque sollicitudo indicat, quòd Ecclesia existimat hæc omnia verba esse essentialia formæ consecrationis Calicis, ita ut sine ipsis non fieret consecratio: & quamvis in pluribus lithurgiis, quæ sunt in usu in Ecclesia Græca, omittantur plura alia quæ apud nos habentur in Canone missæ, attamen in omnibus illis habentur hujusmodi verba, *Hic est calix Sanguinis mei*, & etiam ista, *qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*, sicut testatur Cajetanus in commentario prædicti articuli, quamvis aliqua ex aliis verbis ejusdem consecrationis prætermittantur, propter rationem quam afferemus solvendo primam & secundam objectionem.

Probatur 2. Ratione fundamentali: Sacramentum Eucharistiæ in hoc differt ab aliis, quòd non est purum sacramentum, sed etiam sacrificium, ita ut sacramen-

tum quidem per consecrationem panis conficiatur, sacrificium verò per consecrationem Calicis: ergo omnia verba prædicta sunt de essentia consecrationis calicis. Antecedens probatur; nam si non esset Eucharistia n si sacramentum, non foret necessaria nisi consecratio panis, quia panis consecratus est signum sensibile invisibilis gratiæ, proindèque Sacramentum: ergo superadditur consecratio vini ad rationem sacrificij: & hæc est ratio, propter quam licet Sacerdos sumat panem, & vinum, solus tamen panis datur laicis, quia ille debet offerre sacrificium, isti verò debent solummodò sumere sacramentum. Consequentia probatur: Ratio sacrificij exigit quòd in verbis consecrationis exprimatur effusio Sanguinis, nam sacrificium exigit hostiam, quæ immoletur in honorem Dei, proindèque Sanguinis ejus effusionem: sed nisi præter hæc priora verba, *Hic est calix Sanguinis mei*, pronuncientur etiam alia, *qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*, non exprimetur effusio sanguinis necessaria ad sacrificium: ergo hæ omnia necessariò proferri debent, & sunt de essentia consecrationis.

Responderi potest primò; quòd sacramentum Eucharistiæ utramque speciem exigit, datur enim ad refectionem spiritualem, & ideò exprimi debet per refectionem corporalem, quæ fit per cibum, & per potum: undè de essentia hujus sacramenti nedùm est consecratio panis tanquàm cibi, sed etiam vini tanquàm potus: & sic falsum est, quòd superaddatur consecratio vini propter rationem sacrificij.

Sed contra; quia ex ipsa natura rei non exigitur nisi cibus ad corporalem hominis refectionem, per accidens verò exigitur potus propter cibi digestionem. undè in veteri lege quia manna erat perfectissimus cibus ab ipso Deo datus, non indigebant potu illi, qui ipsum sumebant: quia igitur in Eucharistiæ sacramento est refectio spiritualis perfectissima, ideò per se loquendo non exigitur ad hoc sacramentum nisi consecratio panis, & superadditur ad sacrificium consecratio vini.

Responderi potest 2. Sacrificium sufficienter exprimi per hoc, quòd consecratio vini fit separatim à conse-

cratione panis; sic enim Corpus, & Sanguis Christi separantur ab invicem ex vi verborum consecrationis, ut magis explicabimus postea, quatenùs vi verborum corpus Christi est sub pane, & per concomitantiam Sanguis, & è contra vi verborum Sanguis est sub speciebus vini, & per concomitantiam corpus: cum igitur hostia tunc immoletur, quando sanguis à corpore separatur, videtur sacrificium sufficienter exprimi per huiusmodi consecrationem seorsim factam.

Sed contra: Sacrificium in consecratione vini debet exprimi non solùm in facto esse, sed etiam in fieri, sivè in ipso actu exercito: quando autem significatur sanguis veluti separatus à corpore, supponitur hostia jam immolata: ergo hoc non sufficit ad exprimendum exercitium sacrificij, sed requiritur quòd ipsa actualis effusio sanguinis ex corpore in verbis consecrationis exprimatur, quòd fit per hæc verba, *Qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum.*

Probari posset 3. pluribus D. Thomæ testimonijs, sed sufficiat unum, vel alterum: in 4. sententiarum, distinctione 8 quæstione 2, articulo 2. quæstiuncula 2. ait, hæc verba, *Hic est calix Sanguinis mei*, & illa quæ sequuntur, *Sunt essentialia Sanguini prout in hoc Sacramento consecratur*: Ergo sunt etiam essentialia formæ consecrationis. Et 3. parte, quæstione 77. artic. 3. ait, *Sacerdos eodem ritu, & modo, scilicet tenendo Calicem in manibus, omnia hæc verba profert:* Lucæ etiam 22. interponuntur verba sequentia verbis præmissis, cum dicitur, *Hic calix novum testamentum est in meo Sanguine*: ergo omnia sunt essentialia, & in omnibus consistit forma hujus sacramenti.

Obijciunt primò adversarij tam Thomistæ, quàm alij, quòd D. Thomas 3. parte, quæstione 78. artic. primo ad 4. ait, *Si Sacerdos sola verba prædicta proferret* (scilicet, *Hic est Calix Sanguinis mei*) *cum intentione conficiendi hoc sacramentum, perficeretur hoc sacramentum*: Et articulo 3. postquàm retulit omnia verba consecrationis vini, ait, *Omnia prædicta verba sunt de substantia formæ, sed per prima verba, cum dicitur, Hic est calix San-*

guinis mei, significatur ipsa conversio vini in Sanguinem eo modo quo dictum est in forma consecrationis panis.

Respondeo, & est regula generalis pro explicandis hujusmodi testimoniis D. Thomæ, & ipsis conciliandis cum aliis testimoniis, quæ ex eodem angelico Doctore pro nostra conclusione retulimus, concedendo quòd hæc sola verba, *Hic est calix Sanguinis mei*, sunt de essentia consecrationis Calicis pro ut dicit solam rationem sacramenti; sed prout insuper dicit rationem sacrificij, nedùm hujusmodi verba, sed etiam subsequentia sunt de ipsius essentia propter rationem jam dictam: quando igitur D. Thomas solummodò priora verba exigit pro consecratione Calicis, loquitur de ipsa, ut conficit sacramentum; quando verò exigit etiam posteriora verba, loquitur de ipsa, prout exprimit sacrificium.

Obijcitur 2. In Ecclesia Græca plures sunt Lithurgiæ, quæ permittuntur ab Ecclesia Latina, in quibus omittuntur illa verba, *novi*, *& æterni testamenti*, vel ista, *mysterii fidei*, vel etiam hæc omnia: sed si forent de essentia consecrationis, Ecclesia Latina condemnaret hujusmodi omissionem, quia sine talibus verbis non conficeretur sacramentum, vel sacrificium: ergo non sunt de essentia.

Respondeo, & est altera regula generalis, distinguendo minorem: si essent de essentia, formaliter, & explicitè, non permitteretur eorum omissio, concedo; si sint de essentia, uirtualiter tantùm, & implicitè, nego: sicut enim quando aliquis dicit, *baptizo te*, omittendo pronomen, ego, non desinit propterea confici sacramentum Baptismi, quia in verbo, *baptizo*, virtualiter, & implicitè continetur pronomen, *ego*: Ita similiter quia prædicta verba virtualiter, & implicitè continentur in aliis, eo quòd institutio sacramenti Eucharistiæ cum facta sit in nova lege, post quam alia esse non debet, est *novi, & æterni testamenti*, & hujusmodi mysterium conversionis substantiæ vini in Sanguinem Christi est maximum *fidei* nostræ *mysterium*, ideò non desinit verum esse sacramentum, immò & sacrificium Eucharistiæ, quamvis hujusmodi verba

non proferantur formaliter, & expressè.

Objicitur 3. Quando consecravit Christus panem, dixit, *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur*; & tamen nullus est, qui dicat, hujusmodi posteriora verba, *Quod pro vobis tradetur*, esse essentialia consecrationi panis, sed omnes fatentur sufficere illa priora verba, *Hoc est corpus meum*: Ergo similiter licet Christus Dominus consecrando vinum dixerit, *Hic est calix Sanguinis mei, qui pro vobis effundetur, &c.* propterea hæc verba sequentia, *qui pro vobis effundetur*, non sunt de essentia consecrationis vini, sed tantùm illa prima, *Hic est calix Sanguinis mei*.

Respondeo semper juxta regulam jam explicatam, concedendo antecedens, & negando consequentiam cum paritate: ratio discriminis est, quia consecratio panis instituta est solummodò ad exprimendam rationem sacramenti, undè sufficit, quòd exprimat invisibilem præsentiam Christi sub visibilibus speciebus panis, quia ut ab initio diximus, sacramentum est invisibilis formæ visibile signum: cum igitur illa invisibilis præsentia sub visibilibus speciebus exprimatur per hæc verba, *Hoc est corpus meum*, idcircò ea sola sunt de essentia consecrationis panis. Sed consecratio vini nedùm instituta fuit ad exprimendam rationem sacramenti, sed etiam sacrificij: undè nedùm in ipsa exprimi debet invisibilis præsentia Sanguinis Christi sub visibilibus speciebus vini, sed etiam effusio ejusdem Sanguinis: quamvis autem per hæc verba, *Hic est calix Sanguinis mei*, exprimatur hujusmodi præsentia Sanguinis non exprimitur nisi per ista verba, *Qui pro vobis effundetur*, &c. Undè hæc omnia simul sunt de essentia consecrationis vini.

Objicitur 4. Statim atque prolata sunt hæc verba, *Hic est calix Sanguinis mei*, debet Sanguis Christi contineri sub speciebus vini: ergo verba subsequentia non sunt essentialia consecrationi vini. Consequentia patet, quia illud non est de essentia, sine quo res subsistere potest; si igitur consecratio vini subsistit, & suum habet effectum sine hujusmodi verbis, *Qui pro vobis effundetur, &c.* per hæc sola verba, *Hic est*

calix Sanguinis mei, sequitur quòd ipsa sola sine aliis sunt essentia consecratio nis: Antecedens verò probatur: Sacerdos hæc omnia verba profert in persona Christi Domini: si igitur quando dicit, *Hic est calix Sanguinis mei*, statim Sanguis Christi non foret in Calice, & si quando Christus eadem verba protulit, non fuisset Sanguis statim positus sub speciebus vini, mendacium foret in verbis Christi, quia diceret ibi esse Sanguinem, cum tamen non esset: ergo statim atque prolata sunt hujusmodi verba, Sanguis Christi est in Calice.

Respondeo negando antecedens; ad cujus probationem dico (& est ultima regula generalis) si Christus intentionē habuisset per hæc sola verba seorsim sumpta ab aliis sequentibus, ponendi Sanguinem suum sub speciebus vini, fuisset mendacium si statim positus non fuisset: sed quia non habebat intentionem, quòd Sanguis suus poneretur sub vino, nisi cum prioribus verbis posteriora prolata fuissent, ideò nullum est mendacium sed pura veritas. si Sanguis Christi non est sub speciebus illis, nisi postquàm prolata sunt ultima verba: & idem dicendum est, quando Sacerdos consecrat in persona Christi, quia non debet consecrare nisi juxta ipsius institutionem: exemplum habemus in sacramento Baptismi; nam quando dicitur, *Ego te baptizo*, videtur quòd statim deberet aliquis esse Baptizatus: sed quia ex intentione Christi, & ipsius institutione hæc verba non habent suum effectum, nisi addantur ista, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; ideò nullus est baptizatus, nisi postquàm prolata sunt hæc omnia verba: idem dicendum est in proposito.

ARTICULUS II.

Vtrùm aqua infusa vino consecrando convertatur immediatè, vel mediatè tantùm in Sanguinem Christi Domini.

Circa propositam difficultatem duplex est sententia valdè celebris: altera D. Thomæ, omnium Thomistarum, & plurium aliorum Theologorum, qui do-

cent, quòd aqua infusa vino consecrando priùs convertitur in ipsum vinum, & postmodùm in Sanguinem Christi Domini; & ita non convertitur in ejus Sanguinem nisi mediatè: altera est plurium modernorum, qui dicunt hujusmodi aquam nullatenùs converti in ipsum vinum, sed immediatè in ipsum Sanguinem Christi.

Conclusio: aqua non convertitur in Christi Sanguinem nisi mediante vino.

Probatur 1. Authoritate Concilij Tridentini sessione 13. capite 3. & Canone 2. ubi ait *Mirabilem conversionem quæ fit in Eucharistiæ Sacramento, esse totius substantiæ panis in corpus Christi, & totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini*: Ubi Concilium non facit mentionem nisi substantiæ panis, & vini, & accidentium utriusque, proindeque supponit quòd quando proferuntur verba consecrationis, non remanet in calice substantia aquæ, sed quòd jam conversa fuit in substantiam vini, alioquin mentionem fecisset utriusque substantiæ: propterea etiam Catechismus ejusdem Concilij Tridentini in tractatu de Eucharistia cap. 4. ait, *Illud Sacerdotibus animadvertendum est, quemadmodum in sacris Mysteriis aquam vino adhiberi oportet; sic etiam modicam infundendam esse, nam Ecclesiasticorum Scriptorum sententiâ, & judicio aqua illa in vinum convertitur*: quo nihil clarius, & expressius pro nostra sententia dici potest.

Confirmatur ex Concilio Florentino sub Eugenio Papa IV. ubi de Eucharistia dicitur, *Cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet*: Non enim potuit Concilium moveri ad præcipiendum, quòd aqua modicissima immisceretur vino consecrando, nisi quia existimavit hujusmodi aquam priùs esse convertendam in vinum, quàm per consecrationem converteretur in Sanguinem Christi, & periculum esset quòd non priùs converteretur in vinum nisi modicissima foret ipsius quantitas respectu quantitatis vini: similiter Concilium cum non aliam assignet materiam

hujus sacramenti, quàm panem, & vinum de vite, præbet fundamentum principali rationi, quam mox explicabimus pro nostra conclusione, quòd nempè aqua non potest esse materia hujus sacramenti, & ita non potest per verba consecrationis immediatè converti in Sanguinem Christi.

Probatur 2. authoritate Summi Pontificis Innocentij III. in capite, *Cum Marthæ*, ubi ab Archiepiscopo Lugdunensi interrogatus, *Vtrùm aqua infusa Calici converteretur in Sanguinem Christi*; relatis tribus sententiis, quarum prima dicebat hujusmodi aquam converti in illam, quæ fluxit ex latere Christi Domini pendentis in Cruce; secunda, quòd hujusmodi aqua cum ipso vino transubstantiatur in Sanguinem, cum mixta vino in ipsum transeat, licèt physici contrarium asserant, qui aquam à vino per artificium separari posse contendunt; tertia verò dicebat, aquam nullo modo converti in Sanguinem, sed manere in propria specie; Summus Pontifex eligit secundam opinionem tanquàm probabiliorem dicens, *Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior iudicatur, quæ asserit aquam cum vino in Sanguinem transmutari*: Ergo cum illa opinio secunda ita asserat aquam transubstantiari in Sanguinem Christi, ut priùs mutetur in vinum licet aliqui ex physicis existiment oppositum, judicavit Summus Pontifex juxta conclusionem nostram non converti aquam in Christi Sanguinem, nisi mediante ipsius in vinum conversione.

Confirmatur ex eodem Summo Pontifice, qui mentem suam clarè expressit libro 2. de altaris mysterio, capite 3. his verbis, *Aqua transit in Sanguinem, ea scilicet ratione quòd aqua per admixtionem transit in vinum, & vinum per consecrationem in Sanguinem: quis enim ambigat aquam in vinum transire, cum multo vino modicum aquæ infunditur?* Nihil dici potest expressius pro nostra conclusione; & quamvis adversarij conentur interpretari, vel potiùs eludere priorem illam authoritatem hujus Summi Pontificis, non possunt tamen negare, quin in posteriori authoritate nostram sententiam expressè teneat.

Probatur 3. Ratione fundamentali: non potest per consecrationem converti in Sanguinem Christi nisi illud, quod est materia hujus sacramenti: sed vinum solum, & non aqua est materia hujus sacramenti: ergo aqua per consecrationem calicis non potest immediatè converti in Sanguinem Christi; sed necesse est, vel quòd ante consecrationem convertatur in vinum, vel quòd ipsius substantia remaneat in calice simul cum vino consecrato. Major patet: quia forma consecrationis non potest applicari nisi supra materiam hujus sacramenti: Minor etiam constat: nam ex Conciliis jam relatis, & ex ipsa Scriptura Sacra habemus solummodò vinum esse materiam hujus sacramenti nulla prorsùs facta mentione aquæ.

Respondent 1. Adversarij, quòd licet formaliter, & expressè non habeamus ex Scriptura Sacra, quòd aqua sit materia hujus sacramenti, benè tamen virtualiter, & implicitè, quia credibile est, quòd Christus in cœna biberit vinum usuale, & cum juxta communem usum hominum aqua immisceatur vino priusquàm bibatur, saltem si homines sobrij sint, sequitur quòd Christus instituendo hoc sacramentum usus est vino lymphato, & ita quòd aqua vino permixta est materia hujus sacramenti.

Sed contra: Si hæc responsio valeret, sequeretur vino consecrando immiscendam esse æqualem, vel etiam majorem quantitatem aquæ, quandoquidem potus usualis, præsertim si homines sobrij sint, plus continet de aqua, quàm de vino: sed hoc est contra Concilium jam citatum, in quo præcipitur ut modicissima quantitas aquæ vino consecrando infundatur: ergo.

Contra 2. Dicitur expressè in Concilio Tridentino sessione 22. Canone 7. *Monet Sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miscerent:* Undè dicunt communiter Theologi, quòd admixtio aquæ cum vino consecrando est de præcepto Ecclesiastico: ergo supponit Concilium hujusmodi admixtionem non esse ab institutione Christi, vel Apostolorum traditione.

Respondent 2. Quòd illa modicissima quantitas

aquæ dum immiſcetur vino conſecrando , ita abſorbetur ab ipſo , ut licèt re vera aquæ ſubſtantia remaneat , nihilominùs ſit omninò ſimilis vino , & ſit vinum in apparentia : Undè licet aqua ſecundùm ſe ſumpta non ſit materia hujus ſacramenti , benè tamen admixta vino propter hujuſmodi apparentiam vini.

Sed contra 1. Quia ſi modiciſſima quantitas aquæ roſaceæ immiſceretur vino conſecrando , fatentur omnes quòd propterea non foret materia conſecrabilis; & nihilominùs per talem admixtionem eamdem prorsùs apparentiam vini habet , ſicut aqua ſimplex, & naturalis : ergo talis apparentia vini non ſufficit ad hoc ut aqua reddatur materia hujus ſacramenti.

Contra 2. Aqua roſacea eſt omninò ſimilis aquæ elementari , immò quandoque majorem ſimilitudinem, & apparentiam habet aquæ elementaris , quàm ipſamet elementaris aqua , ſi fuerit turbida , vel ſalſa, vel aliis accidentalibus modis variata : & tamen propter hanc apparētiam nullus unquàm dixit aquam roſaceam eſſe, vel eſſe poſſe materiam ſacramenti Baptiſmi , quamvis aqua maris licèt ſalſa , & aqua ſtagni licet turbida ſit ſufficiens materia hujus ſacramenti : ergo apparentia ad hoc nihil facit, ſed requiritur ſicut in ſacramento Baptiſmi aqua vera , & non ſolùm apparens , ita in Euchariſtia verum , & non ſolummodò apparens vinum.

Obijciunt 1. Adverſarii : non poteſt aqua converti in vinum : ergo neceſſe eſt , quòd immediatè per ſe ipſam convertatur in Sanguinem Chriſti, vel quòd in Calice remaneat ſine converſione. Conſequentia patet : Antecedens probatur multiplici experientia : Nam ſi vel unica gutta aquæ fuerit immixta vino , poteſt, ex ipſo extrahi per medullam junci, vel per hederam, vel aliis ſimilibus modis: ergo ſignum eſt, quòd ſubſtantia aquæ latitat intra ſubſtantiam vini , & habet ipſius apparentiam , ſed nihilominùs re vera non convertitur in eam.

Reſpondeo negando antecedens : & ad hujuſmodi experientias , dico 1. cum D. Thoma 4. ſententiarum, diſtinctione 10. in expoſitione textus , *Illud quod*

separatur à vino, non esse veram aquam, sed humorem aqueum, idest, humorem quodammodò similem aquæ, licèt substantialiter sit vinum non satis excoctum. Cujus responsionis signum est manifestum, quòd etiam ex vino puro humor ille aqueus extrahi potest per eamdem medullam junci, & per alia similia.

2. Sicut docet Aristoteles libro 2. meteororum capite 9. quòd vapor terræ attractus per calorem solis convertitur in aquam in media regione aëris, ita partes vini, quæ sunt subtiliores, & quasi vapor ipsius vini, attrahuntur per medullam junci, vel per spongiam oleo imbutam, & per virtutem occultam ejusdem medullæ, vel spongiæ convertuntur in aquam: igitur post admixtionem aquæ cum vino re vera aqua in vinum convertitur, & post modùm per hanc medullam, vel spongiam vinum convertitur in aquam.

3. Quia elementa remanent in mixtis non quidem formaliter, sed virtualiter ut docent philosophi præsertim Thomistæ, ideò ex quolibet mixto extrahuntur quatuor elementa formaliter applicando activa passivis ut experientiâ constat; quia ad hoc ut agens producat effectum formalem, non requiritur quòd ipsum præcontineat formaliter, sed sufficit quòd præcontineat virtualiter: cum igitur aqua licet formaliter mutetur in vinum, in ipso tamen remanet virtualiter, idcircò applicando activa passivis, sivè prædictam medullam, vel spongiam, pars illa vini, in qua remanet aqua virtualiter, facilè mutatur in aquam formaliter, vel potiùs aqua formaliter extrahitur è vino, in quo erat virtualiter

4. Constat etiam experientiâ, quòd si à parvo tempore materia formam amisit, illam facilè recuperare poterit, ut patet in candela recenter extincta, quæ facilè reaccenditur: ita post breve tempus immixtionis aquæ cum vino, & transmutationis ejusdem aquæ in vinum, illa materia, quæ erat sub forma aquæ, licet tunc habeat formam vini, poterit facilè recuperare formam aquæ, quam habebat antea per hujusmodi medullam, vel spongiam, vel aliis similibus modis.

Objiciunt 2. Et probant rationibus, quòd non po-

test vinum convertere aquam in suam propriam substantiam.

Primò: quia vel vinum hoc faceret per qualitates similes, vel per qualitates dissimiles: neutrum dici potest; non primum, quia simile nunquam destruit sibi simile, sed potiùs ipsum conservat, & auget, sicut calor conservat, & auget calorem, & albedo albedinem, & sic de aliis: neque etiam secundum, quia qualitates vini, & aquæ non sunt dissimiles, sed omninò similes, aqua enim est frigida, & humida, & vinum similiter est humidum, & frigidum saltem formaliter, quia licet sit calidum virtualiter, attamen virtualis calor ipsius non excitatur per frigus aquæ, sed tantùm per calorem naturalem.

Secundo: si vinum converteret aquam in suam substantiam, quantò magis de aqua infunderetur vino, tantò magis vinum redderetur generosum, sicut quantò magis de ligno inijcitur in ignem, tantò ignis ille fit ardentior: sed hoc est contra experientiam, nam per quantitatem aquæ vinum debilitatur: ergo signum est quòd aqua in vinum non convertitur.

3. Modica scintilla ignis capax est comburere integram sylvam ligni, eo quòd substantiam ligni in propriam suam substantiam ignis convertit: ergo similiter si vinum converteret aquam in suam substantiam, sufficeret modica gutta vini ad convertendam in se maximam quantitatem aquæ, verbi gratia totum Rhodanum: ergo.

Respondeo ad primam partem objectionis, quòd vinum convertit aquam agendo in ipsam per qualitates dissimiles, scilicet per calorem suum virtualem, qui nedùm excitatur per calorē naturalē, sed etiam per frigus, sicut calor virtualis, qui latitat intra calcem excitatur per idem frigus aquæ, ut constat experientiâ. Sed licet vinum per suas qualitates non posset transmutare aquam in se ipsum, nihilominùs hoc faceret per suam immixtionem, quia ut dicemus, corpora humida qualia sunt vinum, & aqua, facilè miscentur, & se se invicem pervadunt; undè vinum prædominans aquæ ipsam dividit in minutissimas partes, sub quibus nequit subsistere forma aquæ, & ideò facilè introdu-

citur

citur forma vini : igitur alterutro modo vinum agendo in aquam , ipsam convertit in se ipsum.

Ad secundam partem objectionis respondeo supponendo ex Philosophia , quòd qualitates , virtutes , & alia dona ita distribuuntur à natura , ut in elementis, & mixtis quo plus de uno reperitur , eo minùs reperiatur de alio ; & ita ignis sicut est maximè activus , ita est minimè restitivus ; & è contra terra sicut maximè resistit , ita minimè agit. Hæc est ratio propter quam ignis, si inveniat subjectum dispositum, facilè, & promptè ipsum convertit in propriam substantiam, propter nempè suam maximam activitatem : si vero inveniat obstaculum, facilè cedit , immò extinguitur, & omninò perit, propter minimam suam resistentiam : undè modica ignis scintilla maximam quantitatem ligni brevissimo tempore comburit, & nihilominùs modica quantitas aquæ statim extinguit maximam quantitatem ignis respectivè ad ipsam quantitatem aquæ. Sed in mixtis non ita se habet, quia cum medium locum teneant inter elementa, nec habent maximam activitatem , nec maximam resistentiam , sed utramque cum moderatione ; & ideò non habent tantam activitatem , ut aliud corpus majoris quantitatis in se ipsa transmutare possint , nec etiam tam parvam resistentiam, ut statim pereant , sed potius in aliud transmutantur , & in ipso virtualiter remanent : & hæc est ratio , propter quam modica vini quantitas non potest in se convertere notabilem quantitatem aquæ , nec etiam modica quantitas aquæ immixta vino totaliter perit , sed in ipsum transmutatur, & virtualiter remanet.

Ad secundam objectionem Respondeo esse differentiam inter elementa, & mixta ; quòd elementa habent in certo gradu suas proprietates , & qualitates , ita ut si gradus ille desinat , pereat elementum ; v. g. ignis exigit essentialiter calorem ut octo, ita ut si vel unicus gradus pereat, necesse sit ignem perire : sed mixta in suis proprietatibus, & qualitatibus latitudinem habent, ita ut aliud minùs, & aliud plus de hujusmodi qualitatibus participet ; v.g. vinum aliud est debile , & aliud generosum : & ideò ignis ita agit , ut agendo nihil repatiatur , nisi totaliter extinguatur ; sed vinum & alia

mixta ficut viventia ita per calorem fuum agunt, ut agendo repatiantur, & licet non extinguantur omninò, faltem debilitentur: & hæc eft ratio propter quam licet ignis vel extinguatur, vel nunquàm debilitetur, attamen calor naturalis cujuflibet viventis non extinguitur per alimenta, & tamen per ipfa fenfim fine fenfu debilitatur, & fimiliter vinum per admixtionem aquæ non omninò deftruatur, fed debilitetur.

Ad tertiam rationem refpondeo, quòd ut ait Ariftoteles lib. 1. de generat. cap. 10. *Humida corpora permifcentur maximè, ex iis enim quæ dividua funt, id quod liquoris vim habet, maximè terminari poffit, nifi vifcofum fit*: Ideft, ea quæ funt humida, per fe loquendo facilè mifcentur ad invicem, nifi per accidens propter vifcofitatem impediantur: & è contra illa quæ funt ficca, difficilè mifceri poffunt, ut experientiâ conftat: & quia ad hoc ut unum tranfmutetur in aliud, neceffe eft, quòd cum ipfo perfectiffimè mifceatur, ut activitas alterius pertingere poffit ad omnes omninò partes iftius; indè fit quòd cum ignis fit maximè ficcus, & lignum combuftibile fit etiam ficcum, nunquàm benè mifceri poffint, & ita nunquàm ignis fic convertat lignum in fe ipfum, quin aliquid de ligno remaneat, faltem cineres: & propter eamdem rationem, de alimento femper remanet aliquod excrementum. Sed quia & vinum, & aqua funt humida, ideò facillimè, & maximè mifcentur ad invicem; & propterea vinum ita poteft quantitatem aquæ, faltem fi refpectivè ad ipfum modica fuerit, in fe ipfum convertere, ut nihil prorsùs remaneat de fubftantia ipfius aquæ.

Obijciunt 3. aliquas authoritates fanctorum Patrum, in quibus dicitur, quòd *Calix plenus eft vino, & aqua ante confecrationem, & Sanguine Chrifti poft ipfam*: Ergo ex mente Sanctorum Patrum aqua non convertitur immediatè in vinum, fed in ipfum Chrifti fanguinem.

Refpondeo, & eft regula generalis pro his omnibus teftimoniis, in calice effe aquam non formaliter, fed materialiter ante confecrationem, quia dum aqua convertitur in vinum, licet aquæ forma pereat, nihilomi-

nùs remanet ipsius materia: vel etiam dici potest, quòd aqua licet transmutetur in vinum ante consecrationem, attamen in ipso vino remanet non quidem formaliter, sed virtualiter, ut jam diximus. Igitur licèt aqua formaliter sumpta non convertatur in Sanguinem Christi, sed potiùs in vinum consecrandum, nihilominùs aqua sumpta materialiter, & etiam virtualiter in Sanguinem Christi convertitur: & sanè non possunt conciliari Patrum testimonia nisi per istam Regulam generalem; quia sæpiùs dicunt *Aquam priùs converti in vinum, quàm in Sanguinem Christi*, & sæpè etiam asserunt *aquam converti in Christi Sanguinem*: undè priora loca debent intelligi de aqua sumpta formaliter, posteriora verò de aqua sumpta materialiter, vel etiam virtualiter.

ARTICULUS III.

In quo essentialiter consistat, & pro quo supponat Sacramentum Eucharistiæ.

Conclusio. Sacramentum Eucharistiæ essentialiter consistit in ipsis speciebus consecratis, & pro illis supponit. Ita omnes Thomistæ, & communiter etiam alij Theologi contra aliquos tum ex antiquis, tum ex modernis, qui huiusmodi sacramentum constituunt vel in verbis consecrationis, vel in ipsa transubstantiatione, vel in corpore, & sanguine Christi prout continentur sub huiusmodi speciebus, vel etiam in usu, sivè sumptione Eucharistæ.

Probatur 1. Non potest sacramentum Eucharistiæ consistere in verbis consecrationis, quia huiusmodi verba transeunt, sacramentum verò Eucharistiæ permanet: Nec etiam in ipsa transubstantiatione, sivè in actione conversiva substantiæ panis & vini in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi, quia talis actio conficit quidem ipsius Eucharistiæ sacramentum, sed non est ipsa sacramenti essentia propter eamdem rationem, quia nimirùm talis actio in se ipsa formaliter transit, sicut transeunt verba consecrationis, & non remanent nisi in effectu suo; undè sacramentum Eucha-

ristiæ non est nisi effectus hujusmodi transubstantiationis: non consistit etiam essentialiter in corpore, & Sanguine Christi saltem directè, sivè in recto, sed in obliquo, & de connotato, quia sacramentum in recto est aliquod signum sensibile, ut patet ex communi definitione sacramentorum superiùs explicata; Christus autem non est in hoc sacramento modo aliquo sensibili, & materiali, sed spirituali, & insensibili, ut magis explicabimus postea: denique non potest consistere in ipso usu, sivè sumptione Eucharistiæ, quia talis usus, & sumptio supponit ipsum sacramentum jam confectum, sicut usus cibi supponit ipsum cibum. Ergo superest, ut consistat in speciebus consecratis ut connotantibus, & continentibus Corpus & Sanguinem Christi sicut supra dictum est.

Probatur 2. & infertur ex primo principio hujus tractatus: Sacramentum Eucharistiæ datur nobis tanquàm signum sensibile spiritualis refectionis, ut ostendimus agendo de numero sacramentorum, & de fine ipsorum: ergo essentialiter consistit in ipsis speciebus panis, & vini, quatenùs sunt consecratæ, & continent Corpus, & Sanguinem Christi. Consequentia probatur: quia solæ species panis, & vini sunt sensibiles in hoc sacramento, ergo ipsæ solæ possunt esse signum sensibile spiritualis refectionis; aliundè non reficiunt spiritualiter nisi per Corpus, & Sanguinem Christi quatenùs tenet locum substantiæ panis, & vini: ergo necesse est ad hujusmodi finem spiritualis refectionis, quòd huiusmodi species significent Corpus, & Sanguinem Christi, ut contentum sub ipsis.

Objicitur 1. Sacramentum Eucharistiæ consistit essentialiter in verbis consecrationis: ergo falsa conclusio. Probatur antecedens: Diximus agendo de sacramentis in communi, quòd sacramenta novæ legis constant essentialiter ex elementis, & verbis; ex elementis quidem, sivè ex aliqua re sensibili, tanquàm materia; ex verbis autem, vel signis quæ verbis æquivalent, tanquàm forma: ergo sacramentum Eucharistæ utpotè perfectissimum inter omnia novæ legis sacramenta debet maximè consistere in verbis, scilicet ipsius consecrationis.

Respondeo, & est regula generalis, debet Eucharistia consistere in verbis consecrationis essentialiter, tanquàm in forma sibi intrinseca, nego; tanquàm in forma extrinseca, quam essentialiter exigit, concedo: sic verificatur ex una parte quòd omnia novæ legis sacramenta dicunt essentialiter ipsa verba tanquàm formam suam: sed ex altera parte, quia Philosophi distinguunt duplicem formam, alteram intrinsecam, quæ simul cum materia constituit totum compositum, alteram verò extrinsecam, quæ vel est causa exemplaris, vel etiam causa efficiens ipsius rei; sacramentum Eucharistiæ in hoc differt ab omnibus aliis sacramentis novæ legis, quòd quia alia sacramenta non sunt aliquid permanens, sed transiens, constare possunt ex verbis licet transeuntibus tanquàm formâ sibi intrinsecâ; sed quia sacramentum Eucharistiæ è contra non est aliquid transiens, sed omninò permanens, idcircò non potest constare verbis consecrationis tanquàm formâ sibi intrinsecâ, cum huiusmodi verba transeant, sed ea solummodò connotat tanquàm formam extrinsecam, vel potiùs tanquàm causam efficientem sui ipsius. Semper igitur salvatur, quòd sacramenta novæ legis exigunt essentialiter verba tanquàm formam vel intrinsecam, vel saltem extrinsecam.

Obiicitur 2. Actio conversiva substantiæ panis, & vini in substantiam Corporis, & Sanguinis Christi, sivè transubstantiatio, est sensibilis ex una parte, quia Sacerdos profert visibiliter verba consecrationis, ratione quorum fit huiusmodi conversio; aliundè significant rem sacratissimam, per quam maximè sanctificamur scilicèt Corpus, & Sanguinem Christi, quæ per huiusmodi transubstantiationem ponuntur sub speciebus panis, & vini: sed signum sensibile rei sacræ nos sanctificantis est ipsum sacramentum, ut diximus initio tractatus de sacramentis in communi: ergo sacramentum Eucharistiæ essentialiter consistit in trãsubstantiatione.

Respondeo, & est altera regula generalis, distinguendo illam minorem, signum sensibile rei sacræ nos sanctificantis est ipsum sacramentum, si ad hoc fuerit institutum à Christo concedo; si non fuerit institutum, nego; quia ut loco citato diximus, tota ratio

sacramentorum dependet ex institutione Christi: quia igitur sacramentum Eucharistiæ est aliquid permanens, ipsa verò transubstantiatio est aliquid transiens in se ipsa formaliter, quamvis virtualiter in effectu suo remaneat, ideò Christus noluit instituere huiusmodi transubstantiationem pro essentia sacramenti Eucharistiæ, benè tamen pro ipsius causa.

Obiicies 3. Concilia, Sancti Patres, & Doctores sæpiùs ipsum Eucharistiæ Sacramentum dicunt esse Corpus, & Sanguinem Christi: Dicitur enim in capite, hoc est, de consecratione, distinctione 2. *Sacrificium Eucharistiæ duobus constare, scilicet visibili elementorum specie, & invisibili Domini Iesu Carne.* Et D. Irenæus lib. 4, cap. 34. ait *Eucharistiam duabus rebus constare, terrenâ, & cælesti:* per terrenam intelligit species panis, & vini, quæ de terra proveniunt, & per cœlestem intelligit Corpus, & Sanguinem Christi, qui de cœlo descendit: & ipse D. Thomas in 4. sententiarum distinctione 8. quæstione 1. a. 1, quæstiuncula prima ad 2. inquit, *Ex speciebus, & Corpore Christi fit unum sacramentum:* Sed non potest sacramentum Eucharistiæ constare speciebus consecratis, & Corpore ac Sanguine Christi, nec ex illis fieri unum sacramentum, nisi hæc omnia spectent ad ipsius essentiam: ergo.

Respondeo, & est tertia regula generalis pro his omnibus testimoniis, distinguendo illud subsumptum: Non potest constare ex his omnibus, nisi hæc omnia pertineant ad eius essentiam, in recto, & directè, nego; in obliquo saltem, & de connotato, concedo; & sic dicimus, quòd sacramentum Eucharistæ essentialiter consistit in his omnibus, cum hac tamen differentia, quòd in recto consistit in ipsis speciebus consecratis, in obliquo verò, & de connotato consistit in Corpore, & Sanguine Christi; sivè consistit essentialiter in speciebus consecratis, prout connotant Christum sub ipsis contentum: & hæc est ratio, propter quam Patres, & Doctores dicunt Corpus, & Sanguinem Christi esse sacramentum Eucharistiæ, quia loquuntur iuxta figuram, quæ Metonymia dicitur, secundùm quam continens pro contento sumitur, & è contra contentum pro continen-

te: undè quia essentialiter Corpus, & Sanguis Christi continentur in Eucharistiæ sacramento, ideò dicuntur esse ipsum Eucharistiæ Sacramentum.

Objicitur 4. Alia sacramenta novæ legis, sicut v. g. Baptismus, & Confirmatio, consistunt in usu, & applicatione; non enim conficeretur sacramentum Baptismi, vel Confirmationis, nisi aliquis ablueretur, vel ungeretur: ergo etiam sacramentum Eucharistiæ consistere debet in usu, & sumptione, sivè in ipsa communione, cum non sit potior ratio de ipso, quàm de aliis sacramentis.

Respondeo ex D. Thoma 3. parte, quæstione 73. articulo 1. ad 3. negando consequentiam, & paritatem. Ratio discriminis est; quia Eucharistiæ sacramentum continet rem sacram absolutè; undè secundùm se sine ullo ipsius usu est signum sensibile rei sacræ: sed alia sacramenra non continent rem sacram nisi respectivè, sivè per habitudinem ad subjectum, cui applicantur; & ideò essentialiter consistunt in tali applicatione, sivè usu, quia sine ipso non sunt signum rei sacræ. Ratio radicalis hujus solutionis est, quia Baptismo, Confirmationi, & aliis sacramentis confertur quidem virtus physica ad producendam gratiam, sed hujusmodi gratiam sanctificantem in se ipsis formaliter non continent, immò ipsam non producunt, nisi applicentur subjecto suo, sivè homini baptizando vel confirmando, quia homo, non autem creaturæ inferiores, est subjectum capax gratiæ sanctificantis; & ideò essentialiter hujusmodi sacramenta exigunt usum, sivè applicationem: sed sacramentum Eucharistiæ nedùm virtualiter, sed etiam formaliter sine usu, & applicatione continet gratiam sanctificantem, immò fontem, & plenitudinem totius gratiæ, qui est Christus Dominus, & ideò essentialiter non exigit usum, sivè applicationem.

Objicitur ultimò: Sacramentum Eucharistiæ secundùm se est adorandum vero cultu latriæ, ut docet Tridentinum sessione 13. capite 5. sed species etiam consecratæ talem cultum non merentur, quia soli Deo debetur adoratio: ergo sacramentum Eucharistiæ non consistit in hujusmodi speciebus.

Respondeo ibi sumi continens pro contento: unde cum doctrina illa reducitur in eodem Tridentino ad definitioné, sic proponitur Canone 6. *Si quis dixerit in Sancto Eucharistiæ Sacramẽto Christũ unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum, anathema sit.* Ex quibus verbis constat Concilium sumere Christum in Eucharistiæ sacramento contentum pro ipso sacramento illum continente, & è contra juxta figuram jam dictam.

ARTICULUS IV.

An, & quomodo sacramentum Eucharistiæ sit unum in specie, & in individuo.

Conclusio: Sacramentum Eucharistiæ est unum specie, & multiplex numero: hujusmodi autem unitas specifica sumitur ex termino, & effectu ipsius, scilicet refectione spirituali: unitas verò numerica, & individualis, vel ipsius multiplicitas, sumitur ex differentia, vel unitate eorum, qui hoc sacramentum recipiunt.

Probatur breviter prima pars, & infertur ex dictis: Proprius terminus, & effectus, ad quem Eucharistia dicit habitudinem essentialem, est augmentum gratiæ per modum refectionis spiritualis, quia datur hoc sacramentum per modum cibi spiritualis: sed docent communiter philosophi præsertim Thomistæ, quòd relatio specificatur à suo termino, proindéque illud, quod dicit essentialem habitudinem ad aliud, specificatur ab ipso: Ergo per hoc quòd sacramentum Eucharistiæ sivè ut complectitur panem Eucharisticum, sivè etiam vinum, vel divisivè, vel collectivè, suam habet unitatem specificam ab hujusmodi termino refectionis spiritualis Et hæc est ratio propter quam inter Ecclesiæ sacramenta numeratur Eucharistia pro uno tantùm sacramento: & in Catechismo Concilii Tridentini parte 2. capite 4. dicitur, *Non plura, sed unum tantùm Eucharistiæ sacramentum Ecclesiæ authoritate ducti confitemur.*

Probatur etiam breviter 2. pars: quia docent philosophi præsertim Thomistæ, quòd individuatio su-

mitur à subjecto: ergo unitas, vel multiplicitas individualis sacramenti Eucharistiæ, sumi debet ab unitate, vel multitudine eorum, in quibus veluti subjectatur, sivè à quibus recipitur, & qui per ipsum spiritualiter reficiuntur: ita ut v.g. si quis plures hostias simul ac semel recipiat, non sit nisi unicum numero sacramentum, sicut est unica spiritualis refectio: & è contra, si unica hostia in plures particulas dividatur, quæ pluribus dentur, sint plura numero sacramenta, sicut plures spirituales refectiones.


Objicitur contra primam partem: Ecclesia in quadam oratione missæ ait, *Purificent nos quæsumus Domine sacramenta quæ sumpsimus*: Ergo Eucharistia non est unum specie sacramentum, sed plura: undè etiam Concilia, & Sancti Patres de ipsa in plurali loquuntur, vocando *Sacramenta*.

Respondetur, & assignatur regula generalis pro his omnibus testimoniis, ex D. Thoma 3. parte, quæstione 73. articulo 2. ad primum, quòd in eadem oratione & pluraliter dicitur primò, *Purificent nos sacrmēta, quæ sumpsimus*; & postea singulariter cum subditur, *Hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam: &c.* ad ostendendum, quòd hoc sacramentum quodammodò est multa, simpliciter autem unum. Ita D. Thomas, ex quo habetur hæc regula, quòd Eucharistia est multiplex specie sacramentum materialiter, & secundùm quid; sed unicum specie formaliter, & simpliciter: quia materialiter constat pane, & vino specie differentibus, sed formaliter, & reduplicativè panis, & vinum non habent, quòd sint sacramentum Eucharistiæ, nisi prout ordinantur ad refectionem spiritualem, in quo non differunt speciê, sed potiùs conveniunt.

Objicitur contra 2. partem: Quando multiplex est hostia, multiplex est signum sensibile rei sacræ: sed in hoc consistit sacramentum: ergo tunc est multiplex numero sacramentum, quamvis omnes istæ hostiæ ab uno tantùm recipiantur.

Respondeo, distinguendo majorem: multiplex est signum sensibile, & multiplicis rei sacræ, negatur; & unius tantùm, conceditur: sacramentum autem suam

unitatem, vel multiplicitatem habet nedùm ex ipso signo sensibili, sed etiam ex ipsa re sacra, quæ per ipsum significatur: undè, quia multiplex hostia ab uno simul & semel recepta non significat nisi unicam refectionem spiritualem, non est nisi unicum numero sacramentum. Vel etiam dici potest, quòd ad multiplicitatem individualem materialiter quidem concurrit multiplicitas signi sensibilis, sed formaliter subjecti diversitas: undè quando multiplex hostia ab unico recipitur, multiplex est individuum Eucharistiæ materialiter, sed unicum formaliter.



QUÆSTIO V.

De necessitate & institutione Eucharistiæ

Circa necessitatem, & institutionem Eucharistiæ plura hîc supponenda sunt ex Theologia Morali D. Thomæ, quæ sola lectione intelligi possunt, & solummodò resolvuntur sequentes difficultates, quæ sunt graves, & utiles.

ARTICULUS I.

An, & quomodo Eucharistia sit necessaria ad salutem.

Advertendum est primò, quòd Eucharistia sumi potest dupliciter, vel in re, vel in voto: sumitur in re, quando actualiter suscipitur; sumitur autem in voto, quando habetur solummodò votum, sivè desiderium ipsius, licet propter aliquod impedimentum actualiter suscipi non possit. Certum est, Eucharistiam in re susceptam non esse necessariam ad salutem nec in parvulis, nec in adultis. De parvulis habetur definitio Concilij Tridentini sessione 21. cap. 4 ubi dicitur, quòd *Parvuli, & usu rationis carentes nulla obligantur necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ commu-*

nionem, eo quòd per baptismum regenerati in Christo gratiam in illa ætate amittere non possunt. De adultis etiam est praxis Ecclesiæ, quæ non solet phreneticis, vel patientibus vomitum, vel etiam pluribus in locis ad mortem damnatis conferre hoc sacramentum Eucharistiæ, etiam in ipso mortis articulo: quod evidens argumentum est, realem ipsius susceptionem non esse necessariam ad salutem.

Advertendum est 2. aliud esse necessarium necessitate medij, & aliud necessitate præcepti: illud est necessarium hoc secundo modo, quod observari debet, quia præcipitur, & non quasi sit medium indispensabile ad salutem: illud autem est necessarium priori modo, quod nedum observari debet, quia præcipitur, sed quia ex natura sua habet, quòd sit medium indispensabile ad obtinendum finem, sivè ad salutem: sic v. g. observatio festorum est de necessitate præcepti Ecclesiastici ad salutem nostram: sed postquam aliquis mortaliter peccavit, contritio vel perfecta extra sacramentum, vel saltem imperfecta, sivé attritio, cum sacramento Pœnitentiæ est necessaria ad salutem necessitate medij, quia nullus sine ipsa salvari potest, saltem de potentia Dei ordinaria.

Advertendum est 3. Votum, sivè desiderium alicujus sacramenti esse duplex; alterum formale, & explicitum; alterum virtuale, & implicitum: tunc votum est formale, & explicitum, quando aliquis expressè, & formaliter cogitat de hujusmodi sacramento, v. g. Eucharistiæ, & format votum, ac desiderium ejus; tunc verò est implicitum tantùm, & virtuale, quando licèt aliquis non cogitet de hujusmodi sacramento, nihilominùs aliquid facit, quod ex natura sua ad hoc sacramentum ordinatur, & ita implicitè, & virtualiter, ac interpretativè censetur habere votum, & desiderium hujus sacramenti: sic v. g. ut dicemus postea, baptismus ordinatur ad Eucharistiam, tanquàm medium ad finem; undè qui suscipit baptismum, hoc ipso censetur implicitè habere votum Eucharistiæ; sicut etiam licet ægrotus sumendo medicinam non cogitaret expressè de sanitate, nihilominùs censeretur habere desiderium ipsius ex hoc quòd medicina ordinatur ad

ſanitatem, tanquam medium ad finem.

Advertendum eſt 4. Quòd Euchariſtia ſumi poteſt dupliciter; ſcilicet vel realiter, & in executione; vel ſpiritualiter, myſticè, & in intentione: ſumitur primo modo, quando aliquis effectivè, & realiter accedit ad Euchariſtiam vel in re, vel in voto; ſumitur ſecundo modo, quando aliquis licet nec in re, nec in voto accedat ad realem ſumptionem Euchariſtiæ, nihilominùs habet hoc ſacramentum in intentione ſua, ita ut in virtute Euchariſtiæ prout eſt in ſua intentione, ſumat alia ſacramenta, verbi gratia baptiſmum, vel pœnitentiam.

Triplex eſt ſententia circa propoſitam difficultatem; prima plurium modernorum Theologorum aſſerentium Euchariſtiam nec in re, nec in voto eſſe neceſſariam ad ſalutem noſtram, ſivè realiter, ſivè ſpiritualiter conſideretur: ſecunda eſt aliquorum etiam ex modernis, qui volunt è contra eam eſſe neceſſariam neceſſitate medij ad ſalutem, etiam quantùm ad realem ſuſceptionem ſaltem in voto: Tertia inter illas media, & communis inter Thomiſtas explicatur ſequenti concluſione.

Concluſio: Euchariſtia eſt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem noſtram non quidem in re, ſed in voto ſaltem implicito, nec quantùm ad ſuſceptionem realem, ſed ſaltem ſpiritualem.

Probatur prima pars, primò, & infertur ex dictis: Chriſtus ſubſtantialiter eſt in Euchariſtiæ ſacramento, ut demonſtravimus ſupra contra hæreticos hujus temporis: ergo ad ſalutem noſtram neceſſaria eſt ſpiritualis ſumptio Euchariſtiæ, ſeu votum implicitum. Conſequentia probatur: Hoc ipſo, quòd Chriſtus eſt ſubſtantialiter in Euchariſtia, hoc ſacramentum Euchariſtiæ ſe habet ad alia ſacramenta, tanquam finis ad media: ſed finis ſemper eſt in intentione ipſius operantis ſaltem virtualiter, & implicitè, quando ſumit ipſa media; ſicut diximus, quòd in intentione ægroti ſaltem implicitè eſt ſanitas, quando ſumit medicinam: ergo votum implicitum Euchariſtiæ, & ſpiritualis, ſivè intentionalis ipſius ſuſceptio, reperitur in omnibus ſuſcipientibus alia ſacramenta, v. g. Baptiſmum, aut Pœ-

nitentiam: sed sine baptismo, vel etiam pœnitentia nullus sivè adultus, sivè parvulus salvari potest: ergo etiam sine Eucharistia in voto implicito, & spirituali sumptione nullus potest salvari.

Respondent adversarij, quòd licet Christus Dominus, qui residet in Eucharistiæ sacramento, sit finis omnium aliorum sacramentorum, attamen non est finis eorum formaliter, reduplicativè prout residet in ipso; & ita nec in executione, nec in intentione, nec in re, nec in voto sacramentum istud est necessarium ad salutem, sed tantùm unio cum Christo Domino.

Sed contra, sicut Deus est finis ultimus creaturarum nedùm secundùm se, sed etiam pro ut specialiter residet in Humanitate Christi, sivè ipse Christus Dominus est etiam finis earum; ita Christus Dominus nedùm secundùm se debet esse finis aliorum sacramentorum, sed etiam prout specialiter residet in Eucharistiæ sacramento: ergo nulla solutio: Probatur antecedens: nam ideò Deus est finis creaturarum nedùm secundùm se, sed etiam prout Incarnatus, quia personam suam communicat Humanitati Christi, & ita in ipsa constituit huiusmodi rationem finis ultimi; sed etiam Christus propriam substantiam Corporis, & Sanguinis sui collocat in Eucharistiæ sacramento, proindèque in ipso constituit rationem finis respectu aliorum sacramentorum: ergo Christus nedùm secundùm se, sed etiam prout est in Eucharistia, est finis omnium sacramentorum.

Probatur eadem prima pars, secundò, authoritate: Nam D. Augustinus explicans hæc loca scripturæ, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. *Et nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c.* extendit hæc omnia nedùm ad ipsos adultos, sed etiam ad parvulos: undè libro 4. contra duas Epistolas Pelagianorum, capite 4. ait, *Hæc reconciliatio est in lavacro regenerationis, & Christi carne, & sanguine, sine quo neque etiam parvuli possunt habere vitam in semetipsis:* Et D. Thomas 3. parte, quæst. 79. art. 1. ad primum ait, *Hoc sacramentum ex se ipso virtutem habet gratiam conferendi, nec aliquis habet gratiam ante susceptionem huius sacramenti, vel*

nisi in aliquo voto ipsius, vel per se ipsum sicut adulti, vel in voto Ecclesiæ sicut parvuli: Sed parvuli non possunt habere votum expressum, & formale ipsius Eucharistiæ, sed solummodò implicitum, & virtuale: ergo ex D. Augustino, & D. Thoma requiritur respectu omnium ad salutem votum Eucharistiæ, sed sufficit implicitum, prout in ipso Baptismo continetur modo iam explicato.

Probatur 3. pars: Quando susceptio realis alicujus sacramenti non est necessaria, etiamsi habeatur occasio, non est etiam necessarium votum ipsius explicitum: v.g. si aliquis non teneretur suscipere baptismum, quando haberent occasionem ipsum suscipiendi, non obligaretur etiam ad habendū votū explicitum, quia votū explicitum est desiderium suscipiendi rem, si detur facultas, & occasio. Sed quamvis possit aliquis Eucharistiam sumere, ad hoc tamen non obligatur nisi semel in anno circa tempus Paschale, & de præcepto Ecclesiastico tantùm, & non de necessitate medij, ut docent communiter Theologi: ergo votum explicitum Eucharistiæ non est necessarium necessitate medii ad salutem.

Obiicitur 1. Authoritas D. Thomæ 3. parte, quæstione 65. articulo 4. ubi agens de necessitate sacramentorum novæ legis, dicit, baptismum tantùm, & pœnitentiam esse sacramenta necessaria necessitate medii respectu cuiuslibet: ergo ex D. Thoma Eucharistia non est omnibus necessaria necessitate medii ad salutem.

Respondeo, & est regula generalis pro illis omnibus testimoniis, quòd D. Thomas ibi loquitur de Eucharistia, pro ut distinguitur ab aliis sacramentis, & realiter suscipitur: & sic fatemur, quòd non est necessaria necessitate medii ad salutem: sed si sumatur Eucharistia prout virtualiter, & implicitè in aliis omnibus sacramentis continetur, sicut finis in ipsis mediis, secundùm spiritualem, & intentionalem susceptionem, semper manet, quòd Eucharistia sit necessaria necessitate medii ad salutem; & propterea ex eodem angelico Doctore diximus eam esse absolutè necessariam in voto tam respectu parvulorum, quam adultorum. Igitur

cum hac diſtinctione conciliantur Sancti Doctoris teſtimonia, ut quando dicit Euchariſtiam non eſſe neceſſariam ad ſalutem, intelligatur de Euchariſtia in executione, & realiter ſuſcepta; & quando dicit eſſe neceſſariam, intelligatur de ipſa in intentione, & ſpiritualiter ſuſcepta.

Objicitur 2. Euchariſtia non eſt neceſſaria ad obtinendam primam gratiam: ergo non eſt neceſſaria ad ſalutem. Conſequentia patet: quia ut aliquis ſalvetur, ſufficit, quòd in ſtatu gratiæ moriatur, ſivè quòd moriatur dum habet primam gratiam: Antecedens facilè probatur: quia diximus in tractatu de ſacramentis in communi, quòd Euchariſtia tanquàm ſacramentum vivorum ſupponit primam gratiam, & ordinatur ſolùm ad conferendam ſecundam gratiam, ſivè ſupponit eſſentiam gratiæ ſanctificantis, & ſolummodò confert ipſius augmentum: ergo non eſt neceſſaria ad primam gratiam.

Reſpondeo, diſtinguendo antecedens juxta regulam jam explicatum, Euchariſtia non eſt neceſſaria ad primam gratiam, ſi conſideretur realiter, & in executione, concedo; ſi conſideretur ſpiritualiter, & in intentione, nego: Quamvis enim prout realiter ſumitur, non ordinetur niſi ad conferendam ſecundam gratiam, attamen prout ſumitur ſpiritualiter in quolibet alio Sacramento, ordinatur ad conferendam eamdem gratiam, quam confert hujuſmodi ſacramentum: undè cum implicitè ſumitur in baptiſmo eo modo quo explicuimus, confert ad productionem ipſius gratiæ primæ, ſicut ipſe baptiſmus, ſivè ad producendam eſſentiam gratiæ ſanctificantis, ſine qua nullus ſalvari poteſt, & ita eſt neceſſaria ad ſalutem.

Objicitur 3. Falſum eſt, quòd omnia alia ſacramenta ordinentur ad Euchariſtiam, tanquàm media ad finem: ergo nulla eſt ratio fundamentalis noſtræ concluſionis. Probatur antecedens: tum quia de ratione medij eſt, quòd in executione præcedat finem: ſic quia remedium ordinatur ad ſanitatem, tanquàm medium ad finem, priùs remedium ſumitur, quàm ſanitas obtineatur: ſed in executione Extrema-Unctio recipitur poſt Euchariſtiam; & ideò extrema dicitur, quia

in extremitate vitæ recipitur: ergo hoc sacramentum non est medium ad Eucharistiam tanquàm ad finem. Tum quia medium dicit necessariam habitudinem ad ipsum finem: sacramentum autem matrimonij v.g.non dicit habitudinem ad Eucharistiam, sed indifferenter se habet ad ipsam: ergo.

Respondeo, & est altera regula generalis, duplex esse genus mediorum ad finem: alia sunt, quæ disponunt ad finem obtinendum; & alia quæ disponunt ad ipsum, vel ipsius effectum conservandum: sic ex remediis alia sunt sanativa, quæ disponunt ad recuperandam sanitatem, & alia præservativa, quæ disponunt ad conservandam sanitatem iam recuperatam. Media prioris generis debent antecedere finem, sed alia debent ipsum subsequi, ut per se patet: ita se habent omnia sacramenta novæ legis ad Eucharistiam: vel enim disponunt ad ipsam dignè suscipiendam, sicut baptismus, & pœnitentia: vel ad conservandum ipsius effectum, sicut extrema-Unctio; vel etiam ad tollendum ipsius obstaculum, aut ipsum diminuendum, nempè concupiscentiam, sicut sacramentum Matrimonij: & ita omnia vel primo, vel secundo modo sunt media ad ipsam Eucharistiam tanquàm finem ordinata.

Objicitur 4. Nullus potest vivere sine cibo nedùm in intentione, sed etiam in executione, & realiter sumpto: ergo cum Eucharistia detur per modum cibi spiritualis, nullus potest vivere vitâ gratiæ sine sumptione Eucharistiæ realiter, & in executione.

Respondeo negando consequentiam, & paritatem: Ratio discriminis inter vitam corporalem, & spiritualem est, quia corporalis vita perdi potest, nisi foveatur per nutrimentum; & ideò perpetuò indigemus cibo: sed gratia sanctificans, in qua consistit vita spiritualis, est ab intrinseca ratione sua inamissibilis: & ideò spirituali cibo realiter, & in executione sumpto indigemus quidem ad perfectionem, & augmentum hujusmodi spiritualis vitæ, sed non ad ipsius essentiam, & conservationem, sed tantum spiritualiter, & intentionaliter modo jam explicato.

Objicitur ultimò: Si foret necessaria Eucharistia in voto, foret necessaria tam parvulis: quàm adultis: sed

hoc dici non potest ; quia parvuli non possunt habere votum Eucharistiæ , sicut nec Baptismi: ergo.

Respondeo , concedendo hujusmodi necessitatem etiam pro parvulis : undè est regula generalis , quòd hæc verba Christi Joannis 6. *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, concernunt ipsos etiam parvulos: Et ad rationem subjunctam , dico, non posse quidem parvulos habere votum baptismi ; hoc ipso tamen quòd baptizantur, habent votum implicitum, virtuale, & interpretativum Eucharistiæ ; quia ut optimè ait D. Thomas loco jam citato *Baptismus est ianua sacramentorum , Eucharistia vero est finis eorum*: Undè baptismus nullum aliud sacramentum præsupponere potest , in quo votum ipsius implicitum contineatur : sed quia baptismus ex propria ratione sua, tanquàm inchoatio vitæ spiritualis, respicit Eucharistiam tanquàm ejusdem vitæ consummationem ; ideò in actuali susceptione Baptismi continetur implicitè , virtualiter, & interpretativè votum Eucharistiæ ; & dum videmus baptizari parvulos , eorum voluntatem interpretamur esse talem, ut si forent capaces, formarent desiderium Eucharistiæ; & hoc sufficit, ut dicantur habere votum ipsius.

ARTICULUS II.

Quandonam Christus instituit sacramentum Eucharistiæ.

Advertendum est primò ex communi consensu Doctorum tam Ecclesiæ Græcæ quàm Latinæ Christum Dominum instituisse sacramentum Eucharistiæ in ultima cœna , quam fecit cum discipulis suis. Hoc habetur in Concilio Tridentino , sessione 13. capite 1. & manifestè constat ex Evangelio D. Matthæi , capite 26. Tota difficultas est, quando Christus fecit hanc cœnam. Nam Doctores Græci , ut defendant opinionem suam de conficienda Eucharistia in pane fermentato, volunt Christum fecisse Cœnam die 13. Martij, & tunc instituisse Eucharistiam , in qua die Judæi comedebant

panem fermentatum. Sed Doctores Latini dicunt Christum fecisse Cœnam, & instituisse Eucharistiam die 14. in qua non licebat Judæis comedere panes fermentatos, sed tantùm panes azymos, ut patet ex capite 13. Exodi; undè dicunt Christum instituisse Eucharistiam in pane azymo, & in ipso esse conficiendam.

Advertendum est 2. Quòd apud Hebræos menses erant Lunares, & incipiebant à Novilunio: undè apud authores pro eodem sumitur dies 13. vel decima quarta, ac Luna 13. vel 14. Primus autem mensis anni erat ille, in quo Deus eduxit populum Israël de Ægypto: undè Deus Exodi 12. ait, *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni*: Ille autem mensis correspondebat Martio nostro: undè cum cœna, & Eucharistia facta sit luna 14. illius mensis, sequitur quòd facta est die 14. Martij. His prænotatis sit.

Conclusio: Christus instituit sacramentum Eucharistiæ die 14. Martij ad vesperam.

Probatur ratione D. Thomæ: Christus Cœnam celebravit ad comedendum agnum Paschalem eadem die, & hora, qua lex præcipiebat: sed lex præcipiebat, ut hoc fieret die 14. mensis Martij, sivè luna 14. mensis primi: ergo Christus tunc celebravit cœnam, & comedit Pascha, & instituit Eucharistiam. Major patet: quia ipsemet Christus Matthæi 5. ait, *Non veni solvere legem, sed adimplere*: Ergo celebravit Pascha, sicut præcipiebatur à lege; Minor etiam probatur; nam Exodi 12. & Deuteronom. 16. præcipitur Phase, sivè Pascha, immolari 14. die, mensis primi ad vesperam.

Responderi potest in favorem Græcorum; per vesperam diei 14. intelligendam esse eam vesperam, quæ præcedebat diem, sivè lunam 14. Et ita pertinebat ad diem, sivè lunam 13.

Sed contra instatur ex eodem D. Thoma 4. sententiarum, distinctione 11 art. 2. ubi ait: *Quamvis ante Christi resurrectionem dies à mane in mane computarentur, tamen hoc erat speciale in solemnitatibus legis, quòd computabatur dies à vespera in vesperam, & adhuc viget illa consuetudo in Ec-*

clesia pro celebrando officio. Cùm igitur dies 14 non esset solemnitas legis, sed dies 15. ut patet ex 23. cap. Levitici, non potuit dies 14. incipere à vespera præcedente, nec de illa verificari, quod dicitur: Exodi 12. de agno paschali, *Immolabit eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperã*: ergo intelligi debet de ipsa vespera sequente diei 14. quæ pertinebat ad diem 15. propter ejus solemnitatem.

Objicitur 1. Evangelista Joannes, cap. 13. ait, omnia illa quæ Christus gessit in cœna, facta fuisse *Ante diem festum Paschæ*: sed dies, quæ præcedebat festum Paschæ, non erat 14. sed 13. quandoquidem in illa die 14. incipiebat à vesperis solemnitas Paschalis: ergo Christus Cœnam fecit, & Eucharistiam instituit ad vesperam diei 13. in qua comedebatur panis fermentatus, & non ad vesperam diei 14. in qua comedebatur panis azymus.

Respondeo, & est prima generalis Regula, ibi sumi diem pro die artificiali, & non pro die naturali: Dies autem artificialis importat solummodò diem, & non noctem, quia non solent artifices laborare nisi in die: Sed dies naturalis includit tam diem quam noctem: igitur Christus Cœnam fecit, & Eucharistiam instituit ante ipsum diem Paschatis, sed non ante noctem, quæ præcedebat hujusmodi diem, & pertinebat ad Paschatis solemnitatem. Undè non dixit Evangelista ante solemnitatem Paschatis, vel etiam ante ipsius noctem, sed solummodo ante diem. Hæc solutio, & simul explicatio sumitur ex Cathecismo Romano Concilij Tridentini, capite de Eucharistia.

Objicitur 2. Idem Evangelista capite 18. ait quòd in die passionis Domini Judæi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed *ut manducarent Pascha*, sivè agnum Paschalem: ergo illa die à Judæis manducabatur, proindeque Christus Pascha celebravit, priusquàm à Judæis celebraretur, & in hoc non observavit legem, sed ab ea se dispensavit.

Respondeo, & est altera regula generalis desumpta ex D. Thoma 4. sententiarum, distinctione 11. quæst. 2. art. 2. quæstiuncula 1. ad 3. quòd Pascha accipitur ibi pro cibis Paschalibus, qui per integros septem

dies comedebantur. Quæ solutio ut intelligatur,

Advertendum est, quòd solemnitas Paschalis erat per septem dies, & licet prima die tantùm comederetur agnus Paschalis, nihilominùs quia statim atque incipiebat comestio hujus agni Paschalis, comedendi erant panes puri, sivè azymi, ideò comestio hujusmodi panum per illos septem dies retinebat nomen ipsius solemnitatis, & Judæi, qui comedebant eos, dicebantur comedere Pascha: Quod etiam probatur ex ipsa Scriptura Deuteronomij 16. ubi dicitur: *Immolabis quoque Phase, Domino Deo tuo de ovibus, & bobus &c.* ubi nomen hebraïcum, *Phase*, idem significat quod *Pascha*: undè patet, quòd omnia, quæ immolabantur pro celebranda hujusmodi solemnitate, nomen *Paschatis* retinebant: & similiter omnia, quæ juxta ritum ejusdem solemnitatis comedebantur.

Objicitur 3. Christus non est passus die prima azymorum, quæ erat dies 15. mensis primi: ergo passus est die 14. Et cum Cœnam fecerit, & Eucharistiam instituerit die præcedenti, sequitur quòd Eucharistiam instituit die 13. Probatur antecedens: Quia in die festo azymorum, saltem in prima die, non erat licitum facere aliquid, exceptis illis quæ pertinebant ad victum, ut patet Exodi 12. Sed in die qua Christus mortuus est, mulieres paraverunt aromata, & unguenta, ut Christi Corpus ungerent, sicut dicitur Lucæ 23. ergo non erat prima dies azymorum.

Respondeo ex eodem Angelico Doctore loco citato ad 4. quòd nulla dies erat adeò celebris quantùm ad vacationem ab operibus sicut dies Sabbathi; undè in prima die solemnitatis azymorum licebat plura facere opera, quæ non erant licita in Sabbathis; & ideò mulieres feria sexta paraverunt aromata. Vel secundùm quosdam, inquit ibidem D. Thomas, opera misericordiæ non reputantur inter opera servilia; undè in die solemni licebat aromata ad sepulturam præparare, quia hoc erat opus misericordiæ.

Objicitur 4. Dies Sabbathi, quæ secuta est immediatè post mortem Christi, appellatur Joannis 19. *Dies magnus Sabbati*: Sed hujusmodi nomine non fuisset designatus, nisi fuisset dies primus azymorum, quia

aliàs non habuisset specialem aliquam magnitudinem, & solemnitatem, ut inter alia Sabbatha diceretur magnus: ergo Christus non est passus prima die azymorum, sed præcedenti.

Respondeo ex eodem sancto Doctore ibidem ad 5. quòd quacumque die de illis septem diebus azymorum Sabbathum contingeret, dicebatur magnus dies Sabbathi propter geminatam solemnitatem, scilicet Sabbathi, & Paschæ, idest, dierum Paschalium, inter quos septem dies azymorum computabantur: & idcircò licet Sabbathum sequens immediatè post Christi mortem non fuerit prima dies azymorum, sed secunda, dicitur nihilominùs magnus dies Sabbathi. Sic igitur constat, quòd Christus passus est die veneris, quæ erat illo anno prima dies azymorum: & cum hujus diei solemnitas inciperet præcedenti die ad vesperam, sequitur quòd Christus die præcedenti ad vesperam, sivè die Jovis Cænam fecit in pane azymo, in quo Eucharistiam instituit; & ideò rectè, juxta ritum Ecclesiæ latinæ in illo pane azymo consecratur.

ARTICULUS III.

Vtrùm per ubiquitatem possit explicari præsentia Christi in sacramento Eucharistiæ.

Quidam Hæretici hujus temporis præsertim Lutherani asserunt Humanitatem Christi Domini hoc ipso quòd unitur Verbo Divino, recipere necessariò communicationem immensitatis, ratione cujus est ubique; & per hujusmodi ubiquitatem conantur explicare præsentiam Christi in Eucharistia. Contra hujusmodi Hæreticos ubiquetarios fusè agitur in Tractatu de Incarnatione, ubi ostenditur quòd per unionem Hypostaticam non attribuuntur Humanitati, nec ipsi communicantur omnia Naturæ Divinæ attributa, ut omnipotentia, & immensitas, & alia hujusmodi: sufficit in proposito ostendere quòd hujusmodi opinio nihil inservit ad explicandam præsentiam sacramentalem Christi in Eucharistia.

Conclusio: Hæc opinio de ubiquitate Humanitatis

Christi nullum habet fundamentum, nec potest per ipsam explicari præsentia Christi in Eucharistia.

Probatur 1. prima pars: Si Verbum Divinum, hoc ipso quòd sibi hypostaticè univit naturam humanam, redderet eam immensam, deberet etiam reddere eam æternam: consequens est absurdum: ergo & antecedens. Probatur major, quia non est potior ratio, cur ex hoc quòd Verbum sit immensum, necessariò sequatur quòd debeat naturam Humanam reddere immensam, quàm ex hoc quod sit æternum, debeat eam reddere æternam ergo vel utrumque necessariò sequitur, vel neutrum. Minor probatur; certum est enim quòd natura humana non fuit unita Verbo nisi in tempore, & sic quòd non est facta æterna per unionem ad Verbum, quantũvis ipsum Verbum sit æternũ: ergo etiam quantùmvis sit immensum fieri poterit quod natura humana existens in aliquo determinato loco, ipsi remaneat unita. Tota vis hujus argumenti in hoc consistit; quòd sicut Humanitas Christi existens in aliquo determinato tempore fuit unita Verbo Divino existenti in omnibus temporibus, vel ut meliùs loquar, in tota æternitate, ita ut non fuerit necessarium Humanitatem Christi per huiusmodi unionem extendi ad omnia tempora: ita ex hoc quòd Humanitas existens in aliquo loco unita fuit Verbo Divino existenti in omnibus locis, sivè ubiquè, non est necessarium, quòd Humanitas per hujusmodi unionem extendatur ad omnia loca, & sit ubique: Sed sicut defectus existentiæ Humanitatis in omnibus temporibus provenit ex sola Humanitate, & non ex Verbo; ita defectus existentiæ ipsius in omnibus locis provenit ex sola Humanitate, & non ex Verbo.

Probatur 2. pars & infertur ex dictis, argumento, quod est ad hominem contra Hæreticos, sivè ex propriis eorum principiis: Deus, & persona Verbi sunt ubique per immensitatem essentialem; & tamen hoc non fuit sufficiens ad explicandum Incarnationis mysterium: ergo quamvis gratis concederemus Humanitatem Christi esse ubique per immensitatem participatam, hoc non sufficeret ad explicandum Eucharistiæ sacramentum. Antecedẽs conceditur ab hæreticis, fatentur enim quòd præter immensitatem per quam persona Verbi erat

ubique, necesse fuit quòd hujusmodi persona Verbi substitueretur loco personæ propriæ Humanitatis Christi: Consequentia verò probatur: Ideò ad Incarnationem non sufficiebat illa immensitas personæ Verbi, ratione cujus est ubique, quia ostendendo Humanitatem Christi dici quidem potuisset, ibi est persona Verbi, sicut ex hoc quòd Deus est immensus, & ubique, ostendendo quamlibet creaturam dici potest, ibi est Deus, sed non potuisset dici, hic homo est Verbum Divinum, sicut dici non potest, hæc creatura est Deus: ergo similiter ostendendo panem Eucharisticum dici quidem posset, ibi est substantia Corporis Christi, sed non posset dici, hoc est Corpus Christi; immensitas enim participata non potest plus facere respectu Humanitatis Christi, quàm immensitas essentialis respectu personæ Verbi Divini. Dicendum est igitur, quòd sicut præter præsentiam quam Verbum Divinum habebat ubique per immensitatem essentialem, necesse fuit personam verbi substitui loco personæ humanæ, ut verificaretur hominem esse Deum, & adimpleretur Incarnationis Mysterium; ita necesse est præter immensitatem participatam (si daretur in Humanitate Christi) substantiam Corporis eius substitui loco substantiæ panis, ut verificaretur panem Eucharisticum esse Corpus Christi, & conficeretur Eucharistiæ sacramentum.

Probatur 2. pars hac etiam unica, sed efficaci ratione: Præsentia Christi in Eucharistia habetur vi institutionis Christi, & consecrationis utriusque speciei, ita ut per ipsam verificentur hæc verba, *Hoc est Corpus meum*, *Hic est calix Sanguinis mei*: Sed nihil horum habetur per hujusmodi ubiquitatem: ergo. Major constat: Minor probatur; quia juxta hujusmodi hæreticos ubiquetarios, ista ubiquitas convenit Humanitati Christi ratione unionis hypostaticæ, ita ut eo ipso quòd Humanitas Christi est hypostaticè unita Verbo Divino, necesse sit eam esse immensam, & ubique: sed etiam si Christus Dominus non instituisset Eucharistiam, & antequàm eam institueret, etiam si non consecraretur panis, & vinum, & ante ipsam consecrationem, datur hæc unio hypostatica Humanitatis cum Verbo Divino, & semper conservatur: ergo præ-

ſupponitur, & ſemper ſubſiſtit illa præſentia Humanitatis Chriſti in pane, & vino, & in omnibus aliis rebus independenter ab hujuſmodi inſtitutione, & conſecratione. Similiter non verificantur verba conſecrationis per hujuſmodi ubiquitatem, quia ad hanc verificationem neceſſe eſt quòd oſtendendo panem, & vinum, verum ſit dicere, hoc eſt Chriſtus: ſed hoc non verificatur per talem ubiquitatem, ſive præſentiam quam Chriſtus haberet ubique; quia cum ratione talis præſentiæ ſit tam benè in aliis rebus, quàm in ſpeciebus ſacramentalibus, tam benè oſtendendo quamlibet aliam creaturam verum eſſet dicere, hoc eſt Chriſtus, quàm oſtendendo panem, & vinum: & ſanè cum Verbum Divinum non minùs, immò multò magis foret præſtens Euchariſtiæ, quàm ipſa Chriſti Humanitas, quia juxta commune philoſophorum axioma, propter quod unumquodque tale, & illud magis, Humanitas autem foret præſens propter ipſum Verbum: ergo multò magis ipſum Verbum foret præſens, & nihilominùs oſtendendo panem, & vinum, non foret verum dicere, hoc eſt Verbum Divinum: ergo multò minùs foret verum dicere, hoc eſt Chriſtus, ſivè Corpus, & Sanguis Chriſti.

Objiciuntur plura Scripturæ, & Patrum teſtimonia, in quibus apertè dicitur, quòd Chriſtus eſt ubique. Sed hæc omnia facilè explicantur per iſtam regulam generalem, quòd intelliguntur de Chriſto ut Deo, ſivè ſecundùm naturam Divinam, & perſonalitatem Verbi, non autem de Chriſto ut homine, ſivè ſecundùm naturam humanam. Ideò prætereа.

Objiciunt hæretici, quòd Verbum nunquàm dimiſit, quod ſemel aſſumpſit juxta commune Theologorum axioma, quod explicatur in tractatu de Incarnatione: ſed ſi Humanitas Chriſti non foret ubique, ſicut ipſum Verbum Divinum, ſequeretur quòd eam alicubi aſſumeret, & alicubi dimitteret: ergo neceſſe eſt, hoc ipſo quòd humanitas eſt unita, & aſſumpta à Verbo, quòd ſit ubique ſimul cum ipſo. Probatur minor: In tantùm humanitas à Verbo aſſumitur, inquantùm ipſi unitur, & in tantùm à Verbo ut ita loquar, dimittitur, inquantùm ipſi non unitur hypoſtaticè: ſed ſi Humanitas fo-

ret in aliquo determinato loco, & non ubique, foret in illo loco unita Verbo, & non in aliis, cum non possit uniri Verbo in illis locis, in quibus non est: ergo alicubi esset unita, & assumpta, alicubi verò esset non unita, & dimissa.

Respondeo 1. Retorquendo argumentum; etenim Deus diceretur desistere à conservatione cujuslibet creaturæ, quandoquidem licet Deus creaturam conservet ubi est talis creatura, eam tamen non conservat, ubi non est; creatura autem non est ubique sicut Deus: si igitur absurdum est propterea dicere, quòd Deus desistat à conservatione alicujus creaturæ, licet creatura conservata non sit ubique, sicut Deus conservans: ita absurdum est dicere, quòd Verbum Divinum desistat ab unione cum Humanitate, licet Humanitas unita non sit ubique, ut Verbum: habemus etiam exemplum in rebus creatis; nam si prædicta consequentia valeret, dicendum etiam esset, quòd dum anima rationalis informat pedes, desistit ab informatione capitis, quia caput non est in pedibus, nec in toto corpore, sicut anima.

Respondeo 2. Quòd sicut Humanitas est verè unita hypostaticè Verbo Divino, & æterno, quamvis ipsa non sit æterna, ita ut per hujusmodi unionem tangat totam æternitatem Verbi Divini realiter licet non tangat totam virtualiter, idest, tangat eam secundùm totam entitatem realem, licet non secundùm totam successionem virtualem, ut diximus agendo de præsentia rerum in æternitate; ita eadem Humanitas unitur hypostaticè eidem Verbo Divino, & immenso, quamvis ipsa non sit immensa, & tangit immensitatem Verbi secundùm totam entitatem realem, licet non secundùm totam extensionem virtualem. Similiter sicut non dicitur Deus desistere à conservatione alicujus hominis, quamvis homo ille non sit ubique, sicut Deus, quia ubicumque sit, Deus non desistit à conservatione illius hominis in illo loco, in quo est ille homo: & sicut etiam anima informans pedes non dicitur desinere informare caput, licèt caput non sit in toto corpore, sicut anima, quia anima licèt existens in toto non desinit informare caput, ubi est ipsum caput: ita similiter quamvis Humanitas assumpta à verbo non sit ubique, sicut Verbum,

non propterea dicitur Verbum dimittere Humanitatem, quia quantumcumque sit ubique, non desinit propterea ibi terminare Humanitatem, ubi est ipsa Humanitas.

ARTICULUS IV.

Vtrùm Corpus Christi sit in Eucharistia per conversionem reproductivam.

In hac celebri difficultate plures sunt Theologorum sententiæ, quas ad tres præcipuas revocare possumus: una est Scoti asserentis panem annihilari, & Corpus Christi poni in Eucharistia per adductionem: altera est Caietani asserentis panem non annihilari, sed converti in substantiam Corporis Christi, & hujusmodi Corpus fieri præsens in Eucharistia, quatenùs est id in quod cõvertitur panis: Tertia est Dominici Soto dicentis consecrationem esse de se ita conversivam panis in Corpus Christi, ut sit productiva hujusmodi corporis, quamvis ipsum per accidens non producat de facto, quia supponit illud iam productum. Ita docet in 4. sententiarum, distinctione 9. quæst. 2. art. 4. in solutionibus argumentorum. Alii Thomistæ sequuntur alterutrum ex duobus prædictis. Videtur tamen amplianda ultima sententia, iuxta conclusionem sequentem.

Conclusio: Christus ponitur in Eucharistiæ sacramento per conversionem panis in corpus eius, & veram ipsius corporis reproductionem, ita ut consecratio panis cum non possit esse productiva corporis Christi, eo quòd ipsum productum supponit, est verè, & propriè ipsius reproductiva: & quòd diximus de consecratione panis, dicendum est proportione servata de consecratione vini.

Probatur prima pars conclusionis, vel potiùs infertur ex supra dictis: Oportet ad verificanda verba consecrationis, *Hoc est Corpus meum*, quòd substantia corporis Christi substituatur loco substantiæ panis, remanentibus ipsius panis accidentibus: sed hoc est panem converti in corpus Christi: ergo Christus ponitur

in hoc sacramento per veram conversionem. Major fuit supra demonstrata contra hæreticos: Minor autem est evidens; & in hoc non potest esse quæstio nisi de nomine, in qua nolo immorari; undè venio ad secundam partem.

Probatur ergo 2. pars hoc unico, sed efficaci argumento: Si Deus modò annihilaret corpus Christi existens in cœlo; adhuc nihilominùs sacerdos consecrans panem poneret esse substantiale corporis Christi in Eucharistia; proindéque huiusmodi esse substantiale produceret: sed quamvis corpus Christi non sit annihilatum in cœlo, consecratio sacerdotis non est minoris virtutis, & eficaciæ: ergo etiam modò producit esse substantiale corporis Christi, vel potiùs cum ipsum productum supponat, reproducit. Maior probatur: quia verba consecrationis per quæ ponitur corpus Christi in Eucharistia, non dependent ab existentia ejusdem corporis in cælo, sed ab institutione Christi, & ex eo quòd sacerdos agit in persona ipsius, ex nunc pro tunc, sivè modò repræsentans, & intendens facere quod Christus fecit in illa institutione: sed quamvis corpus Christi existens in cœlo modò annihilaretur, non propterea desineret esse verum, quòd Christus instituit hoc sacramentum, & posset sacerdos, non obstante hujusmodi annihilatione, habere intentionem faciendi, quod Christus in illa institutione fecit: ergo non obstante hujusmodi suppositione annihilationis corporis Christi existentis in cœlo, sacerdos consecrans panem poneret corpus Christi in Eucharistia: & hoc est quod dicunt authores citati, quòd consecratio Christum produceret, si non inveniret productum: Minor etiam constat; si enim consecratio non dependet ab existentia corporis Christi in cœlo, sed solummodò ab institutione Christi, & intentione faciendi, quod ipse fecit, sequitur quòd ista consecratio eamdem virtutem, eumdemque effectum habet, sivè supponatur corpus Christi in cœlo existens, sivè annihilatum: sicut igitur si annihilatum esset, consecratio ipsam produceret, ita licet supponatur existens in cœlo, debet nihilominùs consecratio ipsum producere, vel, ut meliùs loquar, reproducere: ergo consecratio repro-

ducit totum esse substantiale corporis Christi.

Confirmatur: Non potest sufficienter explicari in aliorum sententia hujusmodi præsentia Christi in Eucharistia; quod enim ait Scotus, Christum esse præsentem per adductionem, nequit intelligi sine reproductione, non enim ita ducitur Christus ad Eucharistiam, sivè adducitur ad ipsam, ut deserat cœlum, sed semper in cœlo remanet, quamvis incipiat esse in Eucharistiæ sacramento: Sed intelligi non potest, quomodo Christus totum suum esse retineat in cœlo, & nihilominùs adducatur ad Eucharistiam, nisi illud idem esse totum in Eucharistia reproducatur: ergo opinio Scoti non sufficit ad explicandam præsentiam Christi in Eucharistia, nisi admittatur hujusmodi reproductio. Similiter quod ait Cajetanus, Christum esse in Eucharistia, quatenùs est id, in quod convertitur panis, intelligi non potest sine reproductione: panis enim non convertitur in corpus Christi existens in cœlo: ergo convertitur in corpus ejus existens in Sacramento: oportet igitur, quòd corpus Christi illud idem esse, quod habet in cœlo, iterum recipiat toties in Eucharistiæ sacramento.

Quod etiam ait Dominicus Soto actionem consecrativam esse capacem producendi Christum, si non supponeret ipsum productum, non explicat etiam sufficienter hujusmodi præsentiam; quia ex hoc quòd supponat Christum productum, superest explicandum quid ipsa consecratio faciat circa corpus Christi, nempè quòd ipsum reproducat: uno verbo omnia quæ concernunt præsentiam Christi in Eucharistia, meliùs, ac faciliùs explicantur per hanc reproductionem, quàm alio modo.

Probatur præterea variis authoritatibus, quæ licèt aliter explicari possint, meliùs tamen, & faciliùs, ac magis ad litteram explicantur juxta nostram sententiam. D. Cyprianus in sermone de cœna loquens de Christo ait, *Qui usquè hodie hoc veracissimum, & sanctissimum corpus suum creat.* Et Ambrosius lib. 4. de sacramentis, cap. 4. ait, *Post consecrationem dico tibi, quòd iam est corpus Christi, ipse dixit, & factum est, ipse mandavit, & creatum est.* In Ca-

none Missæ de Christo Domino dicitur, *Per quem hæc bona semper creas*, &c. Consecratio igitur secundùm sanctos Patres, & secundùm Ecclesiam est creatio corporis Christi: sed non est creatio in hoc sensu, quòd corpus Christi fiat ex nihilo, quia certum est fieri ex pane: ergo superest ut dicatur creatio, quia sicut per creationem res creata totum suum esse recipit; ita per consecrationem corpus Christi recipit etiam totum suum esse; quod verum est, si totum reproducatur. Unde D. Thomas 3. parte, quæstione 75. articulo 8. sic expressè loquitur, *Possumus verè & propriè dicere, quòd ex non ente fit ens, & ex pane corpus Christi, & ex aere ignis*: Vult igitur Sanctus Doctor, quòd sicut per creationem ita ex non ente fit ens, ut illud quod creatur, totum suum esse recipiat: & per generationem naturalem ita ex aëre fit ignis, ut verè de novo producatur ignis: similiter ita ex pane fiat corpus Christi, ut verè producatur hujusmodi corpus, vel potiùs reproducatur. Denique vidimus supra, quòd Concilium Tridentinum vocat hujusmodi conversionem, quæ fit in Eucharistia, *transubstantiationem*, sivè conversionem totius substantiæ panis in totam substantiam corporis Christi: quod ad litteram maximè verificatur, si tota substantia corporis Christi in hoc sacramento reproducatur.

Objicitur contra 2. partem conclusionis: si vera foret nostra sententia, Christus se ipsum reproduceret: sed idem non potest reproducere se ipsum: ergo. Major constat: quia Christus, ut Deus, est causa principalis, & Christus, ut homo, est instrumentum conjunctum, sacerdos verò instrumentum separatum ad producendum hoc sacramentum, ut explicuimus supra: ergo sicut sacerdotes Christum reproducerent toties quoties proferunt verba consecrationis, ita Christus reproduceret se ipsum. Minor autem probatur: Idem non potest se ipsum primò producere: ergo neque producere secundò, sivè seipsum reproducere. Antecedens est axioma commune inter philosophos, & est omninò evidens; quia illud quod producit aliquid præsupponitur esse; quod enim nihil est, nihil operari potest; illud autem quod produci debet, supponitur nondùm

habere esse, quia debet illud per productionem recipere: sed implicat, quòd idem supponatur, & non supponatur habere esse: ergo implicat, quòd idem seipsum producat. Consequentia veró probatur; quia est idem omninò esse primò, & secùndò productum: ergo agens, quod non potest primò producere, non potest etiam secundó producere, sivè reproducere.

Respondeo, & est altera regula generalis, illud quod est reproductum, esse quidem realiter idem cum se ipso, quatenùs est primò productum, sed distingui virtualiter, atque ita talem ac tantam virtutem habere, quantam haberet, si realiter distingueretur: sicut igitur duo realiter distincta possunt se producere, ita unum primó productum potest reproducere se ipsum, quamvis nequeat idem se ipsum producere: & ratio discriminis est aperta; quia quando aliquid nondùm est productum, nondùm habet esse, & ideò nondùm potest agere, nec proindè seipsum producere: sed quando aliquid est primó productum, jam supponitur habere esse; & quando nondùm est reproductum, supponitur nondùm habere illud secundum esse; undè potest ut primó productum concurrere ad seipsum reproducendum.

Objicitur 2. contra eamdem partem: Terminus qui producitur in Eucharistia, debet esse realiter distinctus à corpore Christi: ergo nequit esse huiusmodi corpus ut reproductum. Consequentia patet: probatur antecedens: Ubi sunt diversæ realiter actiones, ibi debent esse diversi realiter termini: sed generatio Beatissimæ Virginis per quam fuit primò productum corpus Christi, & consecratio sacerdotis, per quam ponitur in hoc sacramento, sunt actiones diversæ realiter, immó essentialiter ut per se patet: ergo.


Respondeo, & est similis regula generalis, distinguendo illam propositionem: actiones realiter, & essentialiter diversæ exigunt diversos terminos, diversos vel realiter, vel virtualiter concedo; realiter semper nego: sufficit enim aliquid esse virtualiter multiplex, ut possit terminare diversas actiones: sicut Deus habet attributa, quæ non distinguuntur realiter, sed virtualiter tantùm, & nihilominùs virtutes theologicæ

Fides, Spes, Charitas, quæ reſpiciunt hujuſmodi attributa, diſtinguuntur invicem realiter, & eſſentialiter: ita ſimiliter quamvis generatio Beatiſſimæ Virginis, & conſecratio ſacerdotis ſint actiones realiter, & eſſentialiter diverſæ, non requiritur propterea, quòd corpus Chriſti productum per illam, & reproductum per iſtam ſit multiplex realiter, ſed ſufficit quòd virtualiter multiplicetur: & ſimiliter quando multiplicantur conſecrationes, non multiplicatur corpus Chriſti realiter, ſed ſolummodò virtualiter.

Obijci poſſent præterea plura D. Thomæ teſtimonia, in quibus aſſerit, quòd Chriſtus ponitur in Euchariſtiæ ſacramento *abſque ulla mutatione ex parte ſui*: ſed non poſſet ſine mutatione poni, ſi reproduceretur: ergo non reproducitur. Minor probatur: Illud mutatur, quod realiter aliquid habet, quod antea non habebat: ſed Chriſtus haberet aliquid realiter in Euchariſtia, quod antea non habebat, reciperet enim ſuum eſſe reproductum: ergo verè mutaretur.

Reſpondeo cum Joanne à Sancto Thoma eſſe optimam regulam generalem ad explicanda omnia D. Thomæ teſtimonia in hac parte, diſtinguendo duplicem mutationem; alia eſt mutatio phyſica, & alia metaphyſica: quando aliquid phyſicè mutatur, ſemper remanet ſubjectum commune, quod vel eſt materia prima, quando mutatio eſt ſubſtantialis, vel materia ſecunda, ſivè compoſitum, quando mutatio eſt accidentalis, ut docent phyſici, quorum proprium eſt contemplari materiam, & formam: ſed quando nullum remanet ſubjectum commune utrique termino converſionis, dicitur mutatio metaphyſica; metaphyſici enim conſiderant mutationes, quæ fiunt ſupra phyſicam, ſivè naturam rerum: quia igitur in Euchariſtia tota ſubſtantia panis convertitur in ſubſtantiam corporis Chriſti, remanentibus ſolis accidentibus, ſed non remanente materia ſivè prima, ſivè ſecunda; idcircò nulla eſt ibi mutatio phyſica: negari tamen non poteſt, quin ſit mutatio metaphyſica, quandoquidē Chriſtus habet eſſe circumſcriptivum in cœlo, & eſſe ſacramentale in Euchariſtia, atque ita extenſionem illam localem, quam habet in cœlo, non habet in hoc ſacramento, proin-

deque mutatur saltem metaphysicè, similique modo mutatur, quatenùs reproducitur.



QUÆSTIO VI.

De modo, quo Christus est in hoc Sacramento Eucharistiæ.

AGimus in hac quæstione de modo, quo Christus est in Eucharistia, sivè quantùm ad suum esse, sivè quantum ad operari, vel etiam quantùm ad pati; explicando, cujus actionis, aut passionis sit capax in hoc sacramento.

ARTICULUS I.

Quomodo ea quæ sunt in Christo, contineantur vel formaliter, vel concomitanter, in hoc Sacramento.

Advertendum est, vel supponendum ex Philosophia, quòd in homine datur unica forma, quæ est anima rationalis, & tribuit gradum corporeum, sicut & alios gradus: quando autem moritur homo, loco animæ rationalis substituitur forma cadaveris. Hoc prælibato; plures sunt Theologorum sententiæ circa ea quæ sunt formaliter, vel concomitanter in Eucharistiæ Sacramento: sed quia vel sunt omnes quæstiones de nomine, vel supponunt alias difficultates in Philosophia examinandas, ideò ipsis prætermissis, sit.

Conclusio: Corpus Christi Domini est formaliter sub speciebus panis, sivè materia prima cum forma pro ut dat esse corporeum: similiter Sanguis, prout est informatus per formam, quæ dat gradum corporeum, est formaliter sub speciebus vini. Sub pane autem continentur concomitanter cum Corpore, Sanguis Christi, anima rationalis ejusdem, tota ipsius Humanitas, persona

persona Verbi Divini, divinitas cum attributis, sed non persona Patris Æterni, nec persona Spiritus Sancti: similiter sub vino continetur concomitanter simul cum Sanguine, Corpus ipsum cum omnibus aliis jam enumeratis.

Probatur 1. pars conclusionis: quia illud continetur formaliter in sacramento, quod continetur in ipso vi verborũ, sivè ex ipsa ratione, & exigentia verborum sacramentalium, ut notat D. Thomas tertia parte, quæstione 76. articulo 1. sed sub pane solum Corpus continetur in virtute verborum consecrationis, quia præcisè dicitur, *Hoc est corpus meum:* Ergo non est ibi formaliter nisi corpus Christi. Sed quia debet explicari hujusmodi corpus, prout est in sacramento, vel quatenùs est corpus vivum, & informatum anima rationali, vel quatenùs est corpus mortuum, & informatum formâ cadaveris, sicut fuit in triduo mortis Christi: aliundè verò corpus vivum, & mortuum non habent commune nisi ipsum gradum corporeum, sivè materiam ut informatam per formam, quæ dat ipsum esse corporeum: idcircò per corpus Christi intelligitur materia prima ut informata per formam dantem gradum corporeum. Idem similiter dicendum est de vino, quòd in eo formaliter, & in virtute consecrationis non continetur nisi sanguis Christi, sivè sanguis animatus, sivè inanimatus, proindèque sanguis informatus per formam dantem præcisè gradum corporeum.

Probatur 2. pars: Quia ut notat D. Thomas ibidem, illa sunt in Eucharistia concomitanter, quæ sunt in ipsa ex naturali concomitantia eorum, quæ in ea formaliter continentur: Cum igitur accidentia naturaliter concomitentur substantiam, & omnia quæ uniuntur in eodem supposito naturaliter concomitentur eamdem rei substantiam: aliundè in supposito Christi Domini uniantur Natura Divina, & Humana cum suis attributis, & proprietatibus; idcircò hæc omnia per concomitantiam reperiuntur in Eucharistia. Sed quia persona Patris sicut & Spiritus Sancti realiter distinguitur à persona Filij, idcircò nec Pater, nec Spiritus Sanctus sunt in Eucharistia concomitanter, sed solus Filius.

Objicitur contra primam partem: Verba consecrationis debent significare aliquid determinatum: sed non significarent aliquid determinatum, si præcisè exprimerent gradum corporeum, quia talis gradus dari potest indifferenter vel per animam rationalem, vel per formam cadaveris, ut jam diximus: ergo.

Respondeo, & est regula generalis, debet significare aliquid determinatum, pro tempore determinato, concedo; pro tempore indeterminato, nego: si autem determinetur tempus, in quo fit consecratio, significatur aliquid determinatum, v. g. modò corpus Christi informatur anima rationali; & ideò omnis consecratio quæ modò fit, significat corpus Christi ut informatum anima rationali, non quatenùs anima est rationalis, sed quatenùs dat gradum corporeum: in triduo verò mortis Christi, si Apostoli consecrassent hostiam, verba consecratoria significassent corpus, Christi ut informatum formâ cadaveris.

Objicitur contra secundam partem: tres Personæ Sanctissimæ Trinitatis sunt in se invicem per circuminsessionem, ut loquuntur Theologi, quatenùs in eadem natura identificantur: ergo propter eandem rationem debent esse per concomitantiam in Eucharistiæ sacramento.

Respondeo, & est altera regula generalis, negando consequentiam, & paritatem: ratio discriminis est, quia circuminsessio, sivè interna habitatio, & permanentia unius personæ Divinæ in altera, fundatur in ipsa essentia Divina: & quia tres Divinæ personæ sunt idem, non est mirum, si sint in se invicem per circuminsessionem, ut diximus agendo de Trinitate: sed concomitantia fundatur in persana Verbi Divini, quia ipsa persona Verbi unitur corpori, & sanguini, ac Humanitati Christi: undè quia tres Divinæ personæ non sunt idem in persona, sed Pater, & Spiritus Sanctus distinguuntur personaliter à Filio, ideò non est mirum, si omnes personæ non sunt concomitanter in hoc sacramento.

Quæres, quomodo Christus fuisset in Eucharistia per triduum mortis suæ, si ante ipsius mortem fuisset ab Apostolis consecrata hostia?

Respondeo, quòd antè mortem, fuisset corpus Christi in illa hostia formaliter, & anima rationalis concomitanter: in instanti verò mortis Christi, & per triduum mortis, usquè ad instans Resurrectionis, desijsset anima rationalis esse in hoc sacramento: quia non est in illo per concomitantiam, nisi propter unionem cum corpore: & quia per illud triduum non fuisset unita corpori, sed ab eo separata, ideò non fuisset ibi concomitanter, sed loco ipsius fuisset in hostia per concomitantiam forma cadaveris, propter unionem cum corpore: in instanti autem Resurrectionis Christi, desijsset forma illa cadaveris, & iterùm in hostia consecrata fuisset anima rationalis Christi per concomitantiam, propter reunionem cum corpore.

ARTICULUS II.

Quomodo Christus incipiat esse in Eucharistia, subsistat in ea, & desinat, & utrum aliquid pati possit, vel agere.

Plura dici possent circa ea, quæ proposuimus in titulo, sed ad ea explicanda sufficient sequentes regulæ generales.

I. Regula generalis est, quòd generaliter in omnibus sacramentis, immò in omni modo loquendi, verba suum effectum habent, quando completa est eorum pronunciatio: & idcircò diximus supra agendo de causalitate sacramentorum in communi, quòd causant gratiam in ultimo instanti terminativo prolationis verborum: igitur statim atque prolata sunt hæc verba *Hoc est Corpus meum*, Corpus Christi est sub pane: Sanguis verò ipsius non est sub vino, nisi prolata fuerint omnia verba, quæ sunt de essentia consecrationis vini, scilicèt, *Hic est Calix*, *&c.* usquè ad hæc verba, *in remissionem peccatorum*, Ut supra explicuimus.

Obijcitur statim atque prolata sunt hæc verba, *Hic est Calix Sanguinis mei*, pronunciatia est formata, & completa, etiamsi nondùm prolata sint verba sequentia; immò etiam si sacerdos ea non proferret: ergo significare debent, & facere præsentiam sanguinis Chri-

sti sub vino consecrato.

Respondeo, iuxta regulam generalem superius explicatam, pronunciatio est formata, & completa, juxta sensum purè naturalem, concedo; juxta sensum sacramentalem, & Christi Domini institutionem, nego: quia ut diximus supra, Christus instituit, ut consecratio panis exprimeret sacramentum, sed consecratio vini exprimeret sacrificium; & quia ratio sacrificij non exprimitur, quousquè proferantur hæc verba, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum: idcircò verba consecrationis vini nihil prorsùs efficiunt, nec causant præsentiam sanguinis Christi, quousque omnia prædicta fuerint prolata.

II. regula generalis est, quòd cum Christus Dominus sit in Eucharistiæ sacramento ad modum spiritus ut jam sæpiùs dictum est, idcircò est totus in toto sacramento, & totus in qualibet parte ipsius: sicuti Deus est totus in toto mundo, & totus in qualibet parte ipsius, angelus totus in loco, & totus in qualibet parte loci, & anima tota in corpore toto, & in qualibet parte corporis: Immò quia Christus manet unitus hostiæ & vino consecratis quamdiu in eis subsisteret essentia panis, & vini, ideò quantùmcumque dividatur hostia Christus totus remanet in qualibet ipsius particula, sicut quantumvis separarentur ab invicem omnes hujus universi creaturæ, Deus remaneret totus in qualibet earum, & sicut quando frangitur speculum, quodlibet ipsius fragmentum repræsentat totum objectum, sicut antea totum speculum repræsentabat.

Objicitur: quando corpus dividitur, anima non subsistit in qualibet ipsius parte, sed in una tantum principali: ergo quando dividitur hostia, deberet Christus in una ex præcipuis particulis remanere, & non adesse in omnibus, maximè cum secundùm nos sit in Eucharistia per reproductionem; undè quot essent particulæ hostiæ, tot deberent esse reproductiones Christi, & cum reproductio sit maximum Divinæ omnipotentiæ miraculum, multiplicaremus quasi in infinitum miracula in hoc sacramento.

Respondeo, quantùm ad exemplum, negando paritatem, quia anima rationalis exigit plures dispositi-

nes in corpore, ut illud informet, & quia hujusmodi dispositiones reperiri nequeunt in partibus separatis, ideò non remanet in omnibus illis, sed tantùm in præcipua, si adsint ibi conditiones requisitæ: cum etiam aliundè anima habeat sphæram suæ activitatis finitam, & limitatam, partes autem semel separatæ in quamcumque distantiam ab invicem ferri possint, idcircò non est natura animæ, quòd eas informet separatas: At verò corpus Christi non aliam exigit dispositionem in pane semel consecrato, ut sit in illo, quàm quòd retineat speciem, & essentiam panis: & quia ratio panis remaneret in qualibet particula hostiæ consecratæ, ideò in qualibet earum remanet Christus: aliundè etiam qualiscumque fuerit distantia hostiarum, quæ consecrantur, Christus est præsens omnibus illis, & similiter quantumcumque ab invicem separentur, & distent particulæ alicujus hostiæ, remanet Christus in illis omnibus: Nec ullum est inconveniens, immò sequela omninò necessaria, ut quoties hostia dividitur in particulas, toties renovetur reproductio Christi hoc ipso quòd non est ibi nisi per reproductionem, licet enim non sint multiplicanda miracula sine necessitate, quando tamen necessitas est, debemus libenter ea admittere, præsertim in hoc Eucharistiæ sacramento, quod est compendium omnium miraculorum omnipotentiæ Dei, juxta illud Psalmistæ, *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.*

III. Regula generalis est, quòd Christus Dominus substituitur loco substantiæ panis, & vini, & unitur accidentibus utriusque per intimam adhæsionem, sine ulla tamen sustentatione ex parte Christi, vel inhærentia ex parte accidentium: non potuit autem excogitari convenientius vocabulum ad exprimendam hujusmodi unionem, quàm illud adhæsionis: sicut enim diximus in tractatu de Incarnatione, quòd persona Verbi Divini unitur Humanitati Christi non per informationem, quæ pertinet ad formam substantialem, nec per inhæsionem sivè inhærentiam, quæ pertinet ad formam accidentalem, sed per intimam adhæsionem, quæ exprimit unionem seclusis omnibus imperfe-

ctionibus : ita dicimus quòd Christus Dominus, sivè substantia corporis, & sanguinis ejus, non unitur accidentibus panis, & vini persustentationem, quia sustentare accidentia est proprium causæ materialis, & dicit imperfectionem : aliundè nequit subjectum sustentare accidentia sine extensione externa, ut docent philosophi, Christus autem ut supra vidimus, non habet in Eucharistia extensionem externam, sed tantùm internam : igitur non sustentat accidentia, & accidentia ipsi non inhærent, sed inter ipsa est unió per solam adhæsionem intimam : explicabimus autem in sequentibus, quomodo accidentia subsistere possint nulli subjecto inhærendo.

IV. Regula generalis est, quòd Christus in hoc Eucharistiæ sacramento non est capax alicujus passionis sensibilis ; atque ita non potest, v. g. comburi, calefieri, dilacerari, & sic de omnibus aliis : quia passio sensibilis non potest convenire rei corporeæ nisi propter extensionem externam, & localem ; cum igitur Christus, ut sæpè diximus, non habeat hujusmodi extensionem in Eucharistia, idcircò ibi non est capax alicujus passionis : undè quando legitur in historijs Ecclesiasticis, quòd hostiæ consecratæ quando pugionibus, aut alijs instrumentis ictæ sunt, dederunt sanguinem, hoc totum miraculosè factum est, ut Christus Dominus per hoc miraculum comprobaret realem sui præsentiam in hoc sacramento, secluso enim miraculo, sicut spiritus per nullum agens corporeum vulnerari potest, ita Christus cum sit in hoc sacramento ad modum spiritus, nullo pacto vulnerari potest.

Objicitur 1. quòd aliquando Concilia, & Patres asserunt Christum in Eucharistia manducari à fidelibus : sed manducatio respectu rei, quæ manducatur, est passio sensibilis : ergo Christus in hoc sacramento est capax hujusmodi passionis.

Respondeo, & est regula generalis pro his, & similibus loquendi modis, quòd manducatio sumi po est dupliciter, vel propriè, strictè, & simpliciter, prout per ipsam frangitur res, quæ manducatur, laceratur etiam, & alia hujusmodi patitur : vel secundùm quid, latè, & minùs propriè, prout res, quæ manducatur,

realiter, & effectivè in ore, & in stomacho recipitur: Quando igitur Concilia, & Patres dicunt Christum manducari in Eucharistia, non intelligunt in primo sensu, sed in secundo; nolunt enim quòd cibus Eucharisticus hæc omnia patiatur, quæ patitur cibus ordinarius, sed solummodò volunt, quòd in hujusmodi cibo Christus realiter, & effectivè suscipiatur, quia loquuntur contra hæreticos, qui dicunt Christum non suscipi in Eucharistia nisi in spiritu, & per fidem; undè intendunt, quòd etiam realiter, & corporaliter suscipiatur.

Objicitur 2. D. Thomas, & communiter Theologi docent, quòd si hostia ante mortem Christi consecrata fuisset, & conservata, quando Christus moriebatur in Cruce, mortuus etiam fuisset in Hostia: ergo Christus in hoc sacramento potest pati.

Respondeo, concedendo antecedens, & negando consequentiam & paritatem; quia ut ait D. Thomas 3. parte, quæst. 81. art. 4. corpus Christi idem in substantia est in hoc sacramento, & in propria specie, licèt non eodem modo: nam in propria specie contingit circumstantia corpora per proprias dimensiones, non autem prout est in hoc sacramento: & ideò quidquid pertinet ad Christum secundùm quod in se est, potest attribui ei & in propria specie, & in sacramento existenti; sicut vivere, mori, dolere, animatum vel inanimatum esse, & cætera hujusmodi: quæcumque verò conveniunt ei per comparationem ad corpora extrinseca, possunt ei attribui in propria specie existenti, non autem prout est in hoc sacramento; sicut irrideri, conspui, flagellari, crucifigi, & cætera hujusmodi. Idem Doctor Angelicus ibidem cum sibi objecisset, quòd Christus prout est in hoc sacramento, non potest pati: ergo nec mori. Respondet negando consequentiam, & paritatem, quia, inquit, passio convenit corpori passio per comparationem ad agens extrinsecum; & ideò Christus secundùm quod est sub hoc sacramento, pati non potest, potest tamen mori.

V. Regula generalis est, quòd etiam Christus in Eucharistia non est capax alicujus actionis sensibilis, propter eamdem omninò rationem; quia actio sensibilis

ficut, & passio exigit externam, & localem extensionem, quam Christus non habet in Eucharistia: Igitur sicut Christus non videtur in hoc sacramento oculis corporis ita etiam nec ipse nos videt oculis corporis, nec exercet ullam aliam actionem sensuum, ita ut nihil ibi videat, nihil ibi audiat sensibiliter, sed propter amorem nostrum sese privet omni functione sensuum.

Objicitur. Christus in hoc sacramento potest & videre, & videri oculo corporeo: sed hoc est agere, & pati sensibiliter: ergo capax est actionis, & passionis sensibilis. Minor liquet: Major probatur ex D. Thoma 3. parte, quæst. 76. art. 7. ad secundum, ubi sic loquitur, *Oculus Christi videt se ipsum sub sacramento existentem, non tamen potest videre ipsum modum essendi, quo est sub sacramento, quod pertinet ad solum intellectum: Nec tamen est simile de altero oculo glorioso; quia etiam oculus Christi est sub hoc sacramento, in quo non conformatur ei oculus gloriosus:* Ergo ex D. Thoma Christus in hoc sacramento videt, & videtur oculo corporeo, proindeque sensibiliter.

Respondeo negando majorem: Et ad authoritatem D. Thomæ (omissis aliis explicandi modis, quos tradunt alij Theologi etiam ex Thomistis) Respondeo, & est regula generalis, quòd Christus sivè ut existens in Cœlo, sivè ut existens in hoc sacramento Eucharistiæ, se ipsum videt oculo corporeo & quoad substantiam, & quoad modum præsentiæ localis, & extensionis externæ, quam habet in Cœlo, sed non videt se in hoc sacramento, nec in ipso videtur nisi quoad substantiam, quam habet in ipso, non autem quoad modum præsentiæ sacramentalis, ut ait expressè Sanctus Doctor in authoritate jam relata: & ratio discriminis est, quia Christus habet in cœlo nedùm substantiam, sed etiam modum rei corporeæ, & ideò non est mirum si possit ibi videri oculo corporeo: sed in Eucharistia habet substantiam quidem corporis, non autem modum rei corporeæ, sed potiùs spiritualis, ut sæpiùs diximus; & cum substantia corporis Christi sit omninò una, & eadem in hoc sacramento, & in cœlo, ideò videtur Christus in hoc sacramento quoad substantiam, sed ta-

men secundùm modum quem habet in cœlo, non verò secundùm modum quem habet in hoc sacramento, qui cum sit totus spiritualis, attingi nequit oculo corporeo. Hæc est etiam differentia ex eodem D. Thoma inter oculum corporeum Christi Domini, & alium oculum gloriosum, quòd oculus corporeus Christi videt Christum modo jam explicato & prout est in cœlo, & prout est in hoc sacramento, quia oculus corporeus Christi & est in cœlo, & est in hoc sacramento: sed alius oculus gloriosus cum non sit in hoc sacramento, sed tantùm in cœlo, non videt Christum in hoc sacramento, sed tantùm in cœlo visione activa, sivè ex parte oculi se tenente, quamvis visione passiva, sivè ex parte Christi se tenente, eodem modo videatur Christus existens in cœlo, & in hoc sacramento, sicut diximus quòd ipse seipsum videt, scilicèt quoad substantiam, & modum in cœlo, & quoad substantiam solam, non verò quoad modum, in hoc sacramento.

Ultima regula generalis est, quòd statim atque cessaret natura, & essentia panis, & vini consecrati, desinit Christus ibi esse sacramentaliter, non quasi annihiletur, vel corrumpatur, sed præcisè quia desinit ibi esse: sicut enim anima rationalis quando amputatur aliqua pars corporis, v. g. brachium, desinit informare ipsum, remanens in reliquo corpore sine annihilatione, vel corruptione sui, sed cum mera desitione, ut explicant philosophi; ita Christus existens in hoc sacramento ad modum spiritus, cessante essentia specierum sacramentalium, desinit esse in sacramento, remanens in cœlo; nec propterea annihilatur, aut corrumpitur, sed præcisè desinit habere illud esse sacramentale.

ARTICULUS III.

Quomodo species sacramentales subsistant, agant patiantur, & desinant.

Advertendum est, quòd species sacramentales nihil aliud sunt quàm accidentia panis, & vini, quæ remanent post consecrationem; & videtur quòd idcircò di-

cantur species, quia sicut species ordinantur ad repræsentandum, & significandum objectum, ita etiam hujusmodi accidentia post consecrationem remanentia ordinantur ad repræsentandum, & significandum Christum sub illis contentum: ea autem quæ circa hujusmodi species visa sunt notatu digna, per sequentes regulas generales explicabuntur.

I. Generalis regula est, quòd omnia alia accidentia subjectantur in quantitate, ipsa verò quantitas manutenetur à Deo sine ullo subjecto: Ratio est, quia non sunt multiplicanda miracula sine necessitate: sed nulla est necessitas ponendi alia accidentia sine subjecto, quandoquidem in ipsa quantitate subjectari possunt: cogimur autem ponere quantitatem sine subjecto, quia non recipitur nisi in panis, aut vini substantia, quæ non remanet in hoc sacramento.

Explicatur magis hæc ratio: Docent communiter philosophi præsertim Thomistæ, substantiam, & quantitatem realiter distingui, & ipsam substantiam esse subjectum quod accidentium, quantitatem verò esse subjectum quo eorum; quia substantia est id quod recipit accidentia; quantitas verò est id quo mediante, sivè ratione cujus substantia recipit accidentia, non enim posset substantia corporea aliquod accidens corporeum recipere, nisi foret per quantitatem extensa: Dum igitur per consecrationem tollitur substantia panis, & vini, remanente sola utriusque quantitate cum aliis accidentibus, tunc quantitas ipsa de subjecto quo, fit subjectum quod accidentium, ita ut sit verè id quod sustentat alia accidentia, quæ cum ante consecrationem subjectarentur in quantitate, & in substantia, post consecrationem non subjectantur nisi in quantitate.

Objicitur: Non potest suppleri defectus causæ materialis etiam divinitùs: sed substantia est subjectum quod accidentium per modum causæ materialis: ergo ratio subjecti quod, non potest etiam divinitùs tribui quantitati.

Respondeo, distinguendo majorem, non potest Deus supplere defectum causæ materialis, ita ut ipsemet habeat rationem hujusmodi causæ, concedo; ita ut non

possit manutenere formam sine causa materiali, nego: Quando autem in Eucharistiæ sacramento conservatur quantitas sine substantia, Deus non habet rationem causæ materialis respectu quantitatis, sed solummodò eam manutenet, & conservat, & in ea sic conservata subsistunt alia accidentia. Ratio autem radicalis hujus differentiæ est, quia causa materialis dicit imperfectionem; undè si Deus foret causa materialis esset imperfectus, sed manutenere aliquid pertinet ad genus causæ efficientis, & non dicit imperfectionem, sed potiùs perfectionem; undè ex hoc quod Deus manutenet quantitatem deficiente substantia panis, aut vini, arguitur Deum esse maximè perfectum, & omnipotentem.

Dices; Vel Deus manuteneret quantitatem aliquid ipsi addendo, vel nihil addendo: neutrum dici potest; non primum, quia nequit explicari quid sit illud quod superadderetur, neque etiam secundum, quia si nihil esset superadditum quantitati, se haberet sicut antea, & ita non posset sine subjecto subsistere.

Respondeo, omissis pluribus explicandi modis, quòd superadditur quantitati quædam entitas, sivè quidam modus substantialis, idest, faciens quòd quantitas existat, quin subjectetur in alio, ac si foret substantia, & in virtute istius modi substantialis, qui tamdiu permanet in quantitate, quamdiu persistit sacramentum, habet sustentare alia accidentia, non minùs quàm si foret vera substantia.

II. Regula generalis est, quòd hæc omnia accidentia eodem prorsùs modo operantur, & patiuntur, ac si foret sub eis propria substantia: constat hoc experientiâ, non minùs enim species sacramentales sunt visibiles, non minùs nutriunt, non minùs alterari, & corrumpi possunt post consecrationem, ac antea: & ratio sequitur ex jam dictis, quia se habent ad modum substantiæ, eodemque modo subsistunt, ac si per substantiam sustentarentur: ergo cum juxta commune Philosophorum axioma, operari sequatur esse, non minùs debent agere, & pati, ac si foret sub eis propria substantia.

Obijcitur: Accidentia nihil agunt nisi in virtute pro-

priæ ſubſtantiæ: ergo ſi ſubſtantia propria non remanet poſt conſecrationem, non poſſunt hujuſmodi accidentia eſſe capacia quidpiam agendi.

Reſpondeo, concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequentiam; ſi non remaneat ſubſtantia, vel formaliter in ſe, vel virtualiter in alio, concedo; ſi non remaneat in ſe, nego: quamvis autem ſubſtantia panis, & vini poſt conſecrationem non remaneat formaliter in ſe ipſa, remanet tamen virtualiter in ipſis accidentibus: docent enim philoſophi præſertim Thomiſtæ, quòd accidentia ſunt uirtus inſtrumentaria ſubſtantiæ; undè quando ſubſiſtunt accidentia alicujus ſubſtantiæ, cenſetur hujuſmodi ſubſtantia remanere in ſua virtute: Et quia cauſa tam benè operatur, quando remanet virtualiter, ac operaretur, ſi foret formaliter, idcircò accidentia Euchariſtiæ non minùs operantur, & patiuntur, ac uno verbo non minùs omnia omninò præſtant ſine ſua propria ſubſtantia, ac præſtarent ſimul cum ipſa.

Dices; Vel eſſet aliquid ſuperadditum hujuſmodi accidentibus ad rationem virtutis inſtrumentariæ; vel non?

Reſpondeo, hoc pertinere ad philoſophos, qui præſertim in ſchola D. Thomæ docent, accidens ſecundùm ſe, pro ut connotat propriam ſubſtantiam, ſine ullo ſibi ſuperaddito, eſſe virtutem inſtrumentariam ejuſdem ſubſtantiæ: igitur virtus illa inſtrumentaria, per quam ſpecies ſacramentales præſtant omnia poſt conſecrationem, quæ præſtabant antea, nihil aliud eſt præter hujuſmodi ſpecies ſacramentales, ut connotantes ipſam ſubſtantiam panis, & vini, non quaſi præſentem, ſed veluti præteritam: dicunt enim ijdem philoſophi præſertim Thomiſtæ, quòd ſufficit, ut accidens fuerit ſemel in aliqua ſubſtantia, ad hoc ut ſit pro ſemper virtus ejus inſtrumentaria.

Ultima regula generalis eſt, quòd ſpecies ſacramentales eodem modo deſinunt, ac deſinerent, ſi foret in eis ſubſtantia panis, & vini; ita ut quando introductæ ſunt diſpoſitiones in hujuſmodi ſpecies, quæ forent capaces corrumpendi ſubſtantiam panis, aut vini, & generandi vermes, aut cineres, tunc fiat hujuſmodi corrup-

tio specierum sacramentalium, & hujusmodi generatio vermium, aut cinerum. Ratio patet ex jam dictis, quia nempè non sunt multiplicanda miracula sine necessitate: undè supposito hujusmodi miraculo, quòd subsistant accidentia Eucharistica sine substantia, debent alia omnia, quæ concernunt hujusmodi accidentia quantùm ad actionem, & passionem, eorumque corruptionem, explicari juxta modum naturalem: undè per easdem dispositiones corrumpuntur, per quas naturaliter corrumperentur, si subjectarentur in substantia panis, & vini.

ARTICULUS IV.

Quomodo Christus existat in Eucharistia, quid recipiat per consecrationem, & quinam sit terminus transubstantiationis.

Advertendum est, quòd ab aliquibus authoribus hæc tria separatim explicantur, sed propter doctrinæ connexionem videntur conjungenda; nam re ipsa Christus non est in Eucharistia, nisi secundùm id, quod recipit per consecrationem, & illud quod per ipsam consecrationem producitur, terminat transubstantiationem, ut magis constabit explicando, & probando conclusionem.

Plures sunt sententiæ tam inter Thomistas, quàm inter alios Theologos circa propositam difficultatem. Prima est Scoti existimantis Christum non esse in Eucharistia nisi purè, ac præcisè per adductionem localem, nihilque de novo recipere per consecrationem, & transubstantiationem nisi relationem, & habitudinem ad species sacramentales: secunda est aliquorum ex modernis existimantium, quòd Christus in Eucharistia ponitur per veram reproductionem sui corporis, & sanguinis secundùm substantiam, & essentiam propriè, & simpliciter dictam. Tertia est quam tenet Sotus cum quibusdam aliis Thomistis, quòd scilicet ponitur Christus in Eucharistia per consecrationem, & transubstantiationem, quæ per se loquendo productiva foret corporis, & sanguinis Christi, si per accidens

non supponeretur utrumque jam productum. Quarta est aliorum Thomistarum, qui asserunt re vera non produci corpus Christi in Eucharistia, sed recipere solummodò præsentiam sacramentalem per aliquem modum accidentalem ipsi superadditum. Quinta est, quam tenent aliqui etiam ex Thomistis præsertim Caïetanus, quòd Christus in sacramento Eucharistiæ ponitur sine productione suæ substantiæ, & sine ullo modo superaddito, per solam substitutionem substantiæ corporis ejus loco substantiæ panis, & similiter substantiæ sanguinis loco substantiæ vini. Sexta est, quam tenet Gonettus cum pluribus alijs Thomistis, quòd Christus per consecrationem, & transsubstantiationem ponitur in Eucharistiæ sacramento, non quidem ita ut corpus ejus de nouo producatur, sed ita ut recipiat novum modum substantialem, in quo consistit ipsa præsentia sacramentalis. Septima quæ complectitur plures ex præcedentibus sententijs saltem quoad substantiam doctrinæ, licet in terminis differre videantur, explicatur præsenti conclusione.

Conclusio: Christus verè producitur in sacramento Eucharistiæ, ita ut terminus qui & materialis consecrationis, & transsubstantiationis sit ipsa substantia corporis, & sanguinis ejus: terminus verò quo & formalis ejusdem conversionis, & transsubstantiationis sit modus quidam substantialis præsentiæ sacramentalis, ratione cujus substantia corporis, & sanguinis Christi substituitur loco substantiæ panis & vini

Probatur 1. ex eo quod dicitur in Canone Missæ *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas*: quæ verba referuntur procul dubio ad substantiam corporis, & sanguinis Christi residentem sub speciebus Eucharisticis: ergo consecratio dicitur creatio. Undè etiam Can. Utrùm sub figura, de consecratione, distinctione 2. referuntur authoritas Ambrosij, Augustini, & aliorum SS. Patrum, quid cunt per consecrationem *Ex pane fieri corpus Christi*, & quòd tanta est Sacerdotum dignitas, ut in eorum manibus, velut in utero Virginis, *Christus quotidie incarnetur* Divus etiam Hieronymus Epistolâ ad Heliodorum, de Sacerdotibus loquens ait, qui *Christi Corpus sacro ore*

conficiunt. Quæ verba, & alia ſimilia verificari non poſſunt, ſi ponatur ſola adductio localis, quia per ipſam res nullatenùs creatur, neque ullo modo conficitur, ſed tantùm redditur præſens localiter, ubi non erat antea: Neque etiam per ſolum accidentalem modum, quia res non creatur, nec producitur, quando recipit ſolummodò aliquod accidens, ſed recipiendo aliquid de ſua ſubſtantia: ergo dicendum eſt, quód ideò conſecratio vocatur creatio, quia licet Chriſtus non fiat ex nihilo, quandoquidem fit ex pane, attamen terminatur conſecratio ad ſubſtantiam ejus, ſicut creatio ad ſubſtantiam rei creatæ, cum hac ſola differentia, quòd creatio formaliter, & immediatè terminatur ad ſubſtantiam rei creatæ, conſecratio verò non terminatur ad ſubſtantiam corporis Chriſti niſi materialiter, & mediatè; formaliter verò, & immediatè terminatur ad prædictum ſubſtantialem modum præſentiæ ſacramentalis.

Probatur 2. & infertur ex dictis ſupra quando oſtendimus veritatem præſentiæ Chriſti in hoc ſacramento contra hæreticos hujus temporis: Diximus enim quòd Chriſtus eſt ſubſtantialiter præſens in hoc ſacramento per actionem conſecrativam, ratione cujus tota ſubſtantia panis, & vini convertitur in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis ejus: ſed hoc myſterium explicari nequit niſi juxta concluſionem noſtram: etenim hoc fieri non poteſt per ſolam adductionem localem, nam per hoc quòd aliquis eſt in aliquo loco, in quo non erat antea, verificatur quidem quòd ſit ibi, ſed non quòd aliud in ipſum fuerit converſum: undè ſi verba conſecrationis non facerent niſi adductionem localem Chriſti ad Euchariſtiam, dicendum eſſet, ibi eſt corpus meum, & non, *Hoc eſt corpus meum.* Similiter non poteſt terminus formalis converſionis eſſe aliquid purè accidentale, quia conſecratio deberet potiùs dici tranſaccidentatio, quàm tranſubſtantiatio; cum enim actio ſpecificetur, proindéque etiam denominetur à termino formali, ad quem dicit habitudinem, ſi talis terminus formalis eſſet purum accidens, non daret niſi prædictam denominationem. Sed non poteſt etiam formaliter, & immediatè terminari conſecratio ad ipſam ſubſtantiam

corporis Christi secundùm se sumptam, non enim immediatè, & absolutè producitur per consecrationem; sed solummodò substantia corporis, & sanguinis ejus quæ supponitur producta, & iam existens in cœlo, ponitur in hoc sacramento per ipsam consecrationem: oportet igitur quòd per illam producatur aliquid præter ipsam substantiam corporis Christi: Igitur ad verificandum hæc omnia, dicendum est, quòd per consecrationem producitur substantia corporis Christi mediante illo modo substantiali præsentiæ sacramentalis,

Dices pro sententia Scoti, adductionem localem quomodocumque sumptam non facere conversionem unius in aliud, benè tamen quando adducitur ad locum, ubi est incompatibile cum alio: Et quia substantia corporis, & sanguinis Christi ita ducitur ad locum Eucharistiæ ut ita loquar, quód est incompatibilis cum substantia panis, & vini, ideò per talem localem adductionem fit conversio substantiæ panis, & vini in substantiam corporis, & sanguinis Christi.

Sed contra, quia substantia corporis, & sanguinis Christi ita posset adduci ad Eucharistiam, ut esset ibi simul cum substantia panis, & vini: posset enim una cum altera penetrari, eo quòd secundùm omnes philosophos duo corpora divinitùs penetrari possunt, & eumdem locum occupare: ergo ista localis adductio non habet ex natura sua excludere substantiam panis, & vini, quandoquidem fit per miraculum, sed hoc habet solùm ex institutione Christi. Igitur præter illam localem adductionem, admittendus est modus aliquis substantialis, cuius proprium munus, & officium sit ita reddere corpus Christi præsens in Eucharistia, ut excludat substantiam panis, & loco ipsius substituat substantiam eiusdem corporis Christi.

Obiicitur 1. Illud est accidens, quod potest adesse, vel abesse sine subiecti corruptione, ut docent logici: sed modus ille præsentiæ sacramentalis potest adesse, vel abesse sine corruptione Christi, ut certum est secundùm omnes Theologos: Ergo non est modus substantialis, sed purum accidens.

Respondeo, & est prima regula generalis, duplex esse

esse accidens; aliud physicũ,& aliud metaphysicum: accidens physicum est illud quod est extra lineam substantiæ, undè est purum accidens: sed accidens metaphysicum est illud quod licet pertineat ad ordinem substantialem, dicitur tamen accidens, quia est extra essentiam rei: & ideò per intellectum, vel etiam secundùm rem potest adesse, vel abesse, absque eo quod corrumpatur essentia subiecti: sic iuxta Thomistas, existentia dicitur accidens respectu cuiuslibet creaturæ, & tamen omnes fatentur existentiam esse modum substantialem. Igitur simili modo præsentia sacramentalis, quam habet Christus in Eucharistia est accidens, non quidem physicum, sed metaphysicum, & simul etiam est verus modus substantialis.

Obiicitur 2. Si Christus modò annihilaretur, ita ut non existeret ampliùs in cœlo, nec in rerum natura, adhuc si Sacerdos proferret verba consecrationis, produceret Christum Dominũ in Eucharistia: sed non produceret ipsum secundùm aliquem modum substantialem, sed secundùm ipsammet substantiam corporis, & sanguinis: Ergo consecratio terminatur ad ipsam substantiam Humanitatis Christi simpliciter dictam. Maior probatur: Christus non ponitur in Eucharistia propter existentiam ipsius in cœlo, vel in rerum natura, sed propter institutionem Eucharistiæ, quam fecit in ultima Cœna: sed huiusmodi institutio subsisteret, si non formaliter, saltem virtualiter, etiamsi post institutionem Christus fuisset annihilatus: ergo Sacerdos proferens verba consecrationis, adhuc poneret Christum in Eucharistia: Et sanè quando Sacerdos dicit, *Hoc est Corpus meum*, non loquitur, nec profert hæc verba in persona Christi modò existentis, sed abstrahit ab ipsius existentia, & loquitur in persona Christi eadem verba proferentis, quando instituebat sacramentum Eucharistiæ: ergo supposita semel institutione, quamvis modò Christus non existeret, produceretur in hostia per consecrationem. Minor etiam facilè probatur; nam si Christus non existeret in rerum natura, & nihilominùs per consecrationem poneretur in Eucharistia, necesse foret quòd per huiusmodi consecrationem reciperet esse simpliciter, & ab-

solutè sumptum, quandoquidem non supponeretur ipsum habere: cum igitur consecratio, quæ modò fit existente Christo in rerum natura, non sit minùs efficax, quàm foret ipso non existente; sequitur quòd etiam modò consecratio, & transubstantiatio terminantur ad ipsum esse Christi formaliter, & immediatè.

Respondeo dupliciter ad hoc argumentum: primò, quòd Sacerdos in illo casu consecrans non poneret Christum in Eucharistia. Sed hæc non videtur vera responsio propter rationem in objectione allatam, quòd nempè positio Christi in Eucharistia fit in virtute institutionis ejus, quæ semper eadem fuisset, quamvis post institutionem Christus fuisset annihilatus, sicut fuit conservatus. Undè.

Respondeo 2. Quòd Christus tunc per consecrationem poneretur in Eucharistia, non quidem eodem modo, quo nunc ponitur, sed diverso: quamvis enim quantùm est de se institutio Eucharistiæ foret eadem, sivè Christus post institutionem fuisset annihilatus, sivè post ipsam fuerit conservatus, attamen per accidens diversus esset effectus institutionis; nam quia Christo conservato in rerum natura, & existente in cœlo, necesse est quòd habeat Christus esse simpliciter, ideò facta tali suppositione non reciperet esse simpliciter per consecrationem, sed esse secundùm quid, sivè quoad modum substantialem præsentiæ sacramentalis: si verò supponeretur Christus annihilatus post institutionem Eucharistiæ, quia tunc non haberet esse simpliciter in instanti consecrationis, ideò necesse foret per accidens, propter illam suppositionem, quòd reciperet esse simpliciter.

Objicitur 3. & replicatur contra præcedentem solutionem: Quidquid habet Christus in Eucharistia, hoc totum habet per consecrationem: sed Christus in Eucharistia non habet esse secundùm quid tantùm, sed simpliciter, nec aliquem modum substantialem solummodò, sed etiam ipsam substantiam corporis, & sanguinis sui: ergo hoc totum habet per consecrationem. Major probatur: quia si concipiatur consecratio, concipitur Christus existens in sacramento, si verò non concipiatur consecratio, nullatenùs concipitur Christus in hoc sacramento: ergo totum, quod

habet Christus in Eucharistia, habet per consecrationem: nam juxta commune philosophorum axioma, id quo concepto, res concipitur, & non concepto, non concipitur, est ratio ipsius rei: vel ut loquuntur alij, id quo per intellectum posito, res ponitur, & sublato tollitur, est ratio positionis ejus: Minor etiam probatur: quia Christus est nedùm secundùm quid, sed etiam simpliciter in Eucharistia, & in ipsa habet nedùm modum substantialem, sed etiam substantiã ipsam corporis, & sanguinis sui: ergo si totum, quod habet in hoc sacramento, recipit per consecrationem, sequitur quòd per consecrationem recipit esse simpliciter.

Respondeo, distinguendo majorem. Christus quidquid habet in Eucharistia recipit per consecrationem, in hoc sensu quòd totum per consecrationem producatur formaliter, & immediatè, nego in hoc sensu quòd totum ibi ponatur vel per productionem materialem, & mediatam, vel formalem, & immediatam, concedo, & concessa minori, distinguenda est similiter consequentia; nam licèt verum sit, quòd Christus est præsens in Eucharistia nedùm secundùm quid, sed etiam simpliciter, & nedum quoad modum substantialem, sed etiam quoad ipsam substantiam corporis, & sanguinis, attamen non sequitur quòd ipsum esse simpliciter, ipsaque substantia Christi producatur per consecrationem: concedendum quidem est, quòd Christus non habet esse simpliciter, neque suam substantiam in Eucharistia nisi per consecrationem; sed tamen negandum est, quòd producatur per consecrationem. Igitur esse Christi, & substantia corporis ejus simpliciter ponuntur in Eucharistia per consecrationem, sed quia supponuntur jam producta, & aliundè existentia in cœlo, ideò non producuntur simpliciter, sed mediante modo substantiali præsentiæ sacramentalis, ut jam dictum est.

Quæres, utrùm Christus mutetur per hoc quòd ponitur in Eucharistia?

Respondeo, & est regula generalis, quòd non mutatur physicè, sed tantùm metaphysicè, quia mutatio physica ut docent philosophi, est sensibilis, mutatio vero metaphysica non est sensibilis, sivè sensibus perceptibilis, sed spiritualis tantùm & invisibilis. & quia

Christus non est in Eucharistia aliquo modo sensibili, & materiali, sed spirituali, & invisibili, idcirco modus præsentiæ sacramentalis, quem de novo recipit per consecrationem, est spiritualis tantùm, invisibilis, & insensibilis: & ideo Christus aliquid de novo recipit, & mutatur, non physicè, sed metaphysicè.

ARTICULUS V.

An, & quomodo Christus sit totus in tota hostia, & totus in qualibet parte, & quolibet puncto ipsius.

Conclusio: Christus ita est in Eucharistiæ sacramento, ut sit totus in toto, & totus in qualibet parte hostiæ consecratæ, immò in quolibet puncto indivisibili ipsius sivè continuativo, sivè terminativó; ita communiter Theologi præsertim Thomistæ.

Probatur, & infertur ex ijs, quæ dicta sunt de reali præsentia Christi in Eucharistia: Christus est in sacramento Eucharistiæ cum substantia sui corporis, & sanguinis, & etiam cum quantitate, non quidem secundùm extensionem externam, sivè localem, sed secundùm internam, sivè partium quantitatis ab invicem, ut ostendimus loco citato: ergo Christus est in tota hostia, & in qualibet ipsius parte, immò etiam quolibet puncto.

Probatur consequentia: hoc ipso quòd Christus est in Eucharistiæ sacramento secundùm substantiam, & quantitatem, sine externa, & locali extensione, est in Eucharistia ad modum spiritus, sivè rei spiritualis, sicuti v.g. anima rationalis est in suo corpore, & angelus est in loco: sed angelus ita est in loco, ut possit, si velit, se redigere ad unicum punctum indiuisibile; anima verò rationalis quamvis naturaliter in puncto corporis existere non possit, attamen quantum est de se, in puncto posset existere: ergo Christus est in Eucharistia totus in tota hostia, & totus in qualibet parte, ac etiam in quolibet puncto ejus: Major patet secundùm Philosophos præsertim Thomistas, quia substantia corporea, si ab ipsa separetur extensio localis, & ex-

terna quantitatis, redditur similis rei spiritualis, quantùm ad occupationem loci: Minor etiam est certa juxta eosdem philosophos, quia res spiritualis hoc ipso quòd est indivisibilis, & nullas habet partes, non exigit aliquid divisibile sivè ad occupandum, tanquàm locum, sivè ad informandum, tanquàm corpus: & ideò angelus potest se collocare in puncto, tanquàm in loco, & anima rationalis posset per se loquendo informare punctum corporis, quamvis per accidens hoc non possit, quia in ipso non reperiuntur sufficientes dispositiones: ergo Christus existens in Eucharistia per modum spiritus, reperitur in tota hostia, & in qualibet ipsius parte, & etiam in quolibet puncto.

Objicitur 1. Si partes corporis ab invicem separentur, necesse est, quòd anima rationalis, quæ totum corpus informabat, & omnes partes ante separationem ipsarum, aliquas ex ipsis informet, relictis aliis post hujusmodi separationem: Ergo similiter quamvis Christus reperiatur sub omnibus partibus hostiæ consecratæ, quando sunt simul unitæ, necesse est, tamen quòd post earum separationem, si dividantur, occupet aliquas relictis aliis, quandoquidem se habet in hostia consecrata, sicuti anima se habet in corpore.

Respondeo, & est regula generalis pro discrimine inter animam rationalem in corpore existentem, & Christum sub hostia consecrata positum; quòd anima rationalis non potest informare partes corporis, nisi supponantur in ipsis certæ quædam dispositiones ad earum informationem requisitæ, juxta philosophos, & medicos: & quia quando partes corporis ab invicem separantur, hujusmodi dispositiones reperiri non possunt in omnibus illis partibus, idcircò anima rationalis non potest reperiri in omnibus separatim sumptis, sed tantùm in aliquibus. Sed Christus ut reperiatur in Eucharistia, non aliam exigit dispositionem, quàm consecrationem; & quia consecratio applicata fuit super totam Hostiam, & super quamlibet ipsius particulam, super omnem partem ipsius aliquotam, & proportionalem, & super quodlibet punctum indivisibile, sivè continuativum, sivè terminativum, idcircò Christus reperitur sub tota Hostia, & sub qualibet

parte, & sub quolibet puncto ipsius; ita ut si posset Hostia consecrata dividi nedùm in omnes partes aliquotas, sed etiam proportionales, & in omnia puncta continuativa, & terminativa, sub omnibus illis totus Christus reperiretur.

Duo sunt exempla ad hoc explicandum, alterum ex rebus corporeis, & alterum ex rebus spiritualibus: v.g. si speculum sit integrum, unica tantùm vice, & imagine repræsentat eum, qui speculo se se offert: sed si speculum frangatur in mille partes, millies repræsentatur persona ipsius: ergo similiter si tota Hostia remanet unica, & indivisa, semel tantùm continet Christum; sed si in plures particulas dividatur, quælibet ex illis particulis totum Christum significabit, & continebit. Similiter diximus in tractatu de Angelis, quòd datur certa quædam sphœra activitatis pro ipsorum loco, v.g. tota camera, ita ut possint, si velint, vel totum locum adæquatum, & sic totam cameram occupare, vel solummodò partem, vel etiam extremitates relicto medio loci; & ita angelus totus erit in extremitatibus loci quantùmvis ab invicem divisis, non existendo in medietate loci, quæ ipsas extremitates ab invicem dividit: Ita pariter Christus Dominus existit totus in ipsis partibus Hostiæ consecratis quantùmvis ab invicem divisis, immò etiam in quibuslibet punctis.

Objicitur 2. Si Christus Dominus foret in qualibet parte Hostiæ, & in quolibet puncto, sequeretur in sententia Thomistarum, quòd haberet in qualibet Hostia consecrata infinitas præsentias sacramentales; immò quòd per divisionem Hostiæ consecratæ haberet præsentiam, quam antea non habebat: sed utrumque est absurdum: ergo & illud, undè sequitur. Sequela majoris patet: quia secundùm Thomistas partes proportionales, & puncta quantitatis sunt in numero infinito: & secundùm ipsos etiam, quando dividitur quantitas Hostiæ consecratæ, pereunt puncta continuativa, & de novo adveniunt puncta terminativa; & hæc puncta sivè continuativa, sivè terminativa, sunt infinita, sicut & partes proportionales: Minor etiam facili negotio probatur: quia per consecrationem, quæ est

actio finita, Chriſtus non poteſt poni ſub infinitis partibus, & punctis, & recipere infinitas ſacramentales præſentias.

Reſpondeo, nullum eſſe inconveniens quòd Chriſtus Dominus reperiatur ſub omnibus partibus Hoſtiæ conſecratæ, nedùm ſub partibus aliquotis, ſed etiam ſub partibus proportionalibus; nam quamvis hæ partes proportionales in ſententia philoſophorum præſertim Thomiſtarum ſint infinitæ, & ita Chriſtus habere debeat infinitas præſentias: quia nihilominùs non habet diverſas præſentias ſub ipſis, quatenùs ſunt unitæ, quia tunc ſicut ſe habent per modum unius, ita unicam exigunt Chriſti præſentiam, ſed ſolummodò quatenùs ſunt diviſæ ab invicem, & licèt dividi poſſint in infinitum ſyncategorematicè, non tamen in infinitum categorematicè, ideſt, licèt poſſint eſſe infinitæ in potentia, non tamen actu; & ita Chriſtus non debeat ſub ipſis habere infinitas præſentias actu, & categorematicè, ſed tantùm in potentia, & ſyncategorematicè: ideò cum ſecundùm omnes philoſophos non implicet dari infinitum in potentia, & ſyncategorematicè, ſed tantùm in actu, & categorematicè, nullum eſt inconveniens quód Chriſtus Dominus habeat præſentiam ſacramentalem ſub omnibus omninò partibus hoſtiæ conſecratæ nedùm aliquotis, ſed etiam proportionalibus: immò hoc ipſum ſequitur ex modo præſentiæ ſacramentalis: cum enim Chriſtus ibi reperiatur ad modum ſpiritus, ſicut angelus ſe ſe collocare poteſt in qualibet parte corporis quantumvis minima, ſivè in qualibet parte proportionali, ut dicebamus in tractatu de angelis; ita Chriſtus præſentiam habet ſacramentalem in qualibet parte Hoſtiæ conſecratæ etiam proportionali.

Quantum ad puncta terminativa quantitatis Hoſtiæ conſecratæ, diverſa eſt reſponſio juxta diverſam ſententiam Philoſophorum circa hujuſmodi puncta: nam plures ex ipſis tam Thomiſtis, quàm aliis, dicunt, quôd quando frangitur Hoſtia conſecrata, eadem puncta, quæ erant continuativa hujuſmodi partium, in quibus fit fractio, redduntur terminativa: & juxta hanc ſententiam, nulla eſt difficultas quin Chriſ-

tus, sicut erat antea sacramentaliter præsens sub hujusmodi punctis ut continuativis, remaneat adhuc præsens sub ipsis ut terminativis. Sed alia est sententia, quam plures etiam tenent, quód in fractione Hostiæ consecratæ desinunt puncta continuativa partium, quæ franguntur, & loco ipsorum naturaliter resultant alia puncta, quæ sunt terminativa: Et juxta hanc sententiam dici potest, vel quód Christus non est sacramentaliter præsens sub illis punctis terminativis de novo advenientibus: vel etiam, quód est præsens sub illis non per se, & directè, sed indirectè, per accidens, & ex consequenti: quia hoc ipsó quód Hostia semel consecrata fuit, ex consequenti habetur, quod Christus debet esse sacramentaliter præsens sub omnibus sivè partibus, sivè punctis, quæ tunc pertinent, vel postea pertinere debent ad hujusmodi Hostiam consecratam.

Objicies 3. & replicabis contra præcedentem solutionem: Si per possibile, vel impossibile separaretur punctum à quantitate Hostiæ consecrandæ, non posset sacerdos proferre verba consecrationis super hujuscemodi punctum; ergo etiam Christus non potest sub ipso habere præsentiam sacramentalem. Antecedens probatur: quia non potest fieri consecratio, nisi ubi potest subsistere species panis, & vini: ergo cum hujusmodi species in solo puncto subsistere nequeat, ut docent omnes philosophi, sequitur in solo puncto non posse fieri consecrationem: probatur etiam consequentia: quia Christus non est in Eucharistia nisi per consecrationem: ergo ubi non potest Christus esse præsens sacramentaliter.

Respondeo, concedendo antecedens, & negando consequentiam: Ratio discriminis est: quia consecratio est actio sensibilis, & ideo non potest applicari nisi supra materiam sensibilem: & quia punctum non est sensibile, sivè sensibus perceptibile, ideó non potest esse materia consecrationis; sed ea debet esse quædam certa quantitas panis, & vini sensibus perceptibilis. Sed quia licèt Christus ponatur in Eucharistia per consecrationem tanquàm per actionem sensibilem, nihilominùs non est in hoc sacramento secundùm ali-

quem modum sensibilem, sed potiùs secundùm modum spiritualem, ut sæpiùs diximus, ideò licèt consecratio fieri non possit nisi in materia sensibili, attamen ex suppositione quòd Hostia sit consecrata, Christus reperiri potest sub qualibet ipsius parte etiam insensibili; & similiter sub quolibet ipsius puncto, quia ut præmonuimus, de ratione spirituum est, quòd reperiri possint sub qualibet parte, & quolibet puncto quantumvis insensibili.

ARTICULUS VI.

An, & quomodo Christus moveri possit in hoc sacramento.

Conclusio: Christus in hoc sacramento non movetur per se, sed tantùm per accidens ad ipsum motum specierum sacramentalium. Ita communiter Theologi contra unum, vel alterum ex antiquis.

Probatur, & infertur ex dictis: Christus est in hoc sacramento ad modum rei spiritualis, & habet unionem intimam cum speciebus, sivè accidentibus sacramentalibus, sicut habebat ante consecrationem substantia panis, & vini: ergo non movetur per se, sed tantùm per accidens. Consequentia probatur; quia ut vidimus in tractatu de Angelis, res spirituales non sunt in loco nisi per operationem: cum igitur Christus Dominus sit in Eucharistia ad modum rei spiritualis, & nihilominùs nihil ibi operetur, saltem quod sit sensibile, ut dicebamus in articulo præcedenti, ideò per se, & ratione sui non occupat locum in Eucharistia: & quia motus nihil aliud est, quàm transitus de uno loco ad alium, ideò Christus in Eucharistia non movetur per se, & ratione sui: sed tamen quia Christus semper continetur sub speciebus sacramentalibus, in quamcumque partem deferri possint, idcircò licèt non moveatur per se, sivè ratione sui, movetur tamen per accidens, sivè ratione alterius, nempè ipsarum specierum sacramentalium, eo quòd Christus hujusmodi speciebus semper correspondens, eadem proportione, quâ tales species de loco ad locum transferuntur, ipse,

mediantibus illis, correſpondet varijs locis, & in hac correſpondentia ad varia loca conſiſtit motus localis.

Objicitur: Chriſtus in Euchariſtiæ ſacramento nec per ſe, nec per accidens alterari poteſt, verbi gratia calefieri; quantumvis enim ſpecies ſacramentales calefiant, ipſe tamen Chriſtus nullatenùs dici poteſt in hoc ſacramento calefieri: ergo ſimiliter non movetur in ipſo localiter nec per ſe, nec per accidens; & quamvis ipſæ ſpecies ſacramentales moveantur, nullatenus tamen dici poteſt Chriſtum in hoc ſacramento moveri.

Reſpondeo, concedendo antecedens, & negando conſequentiam: ratio diſcriminis eſt, quia ad ſenſibilem alterationem, v.g. calefactionem, neceſſe foret, quòd ipſe Chriſtus reciperet calorem vel immediatè ſecundùm ſe, vel mediantibus ſpeciebus ſacramentalibus: & quia non eſt capax ullo modo recipiendi aliquam ſenſibilem qualitatem, ut ſatis innoteſcere poteſt ex dictis, ideò nequit alterari nec per ſe, nec per accidens. Sed ad hoc ut localiter moveatur per accidens ad ipſum motum ſpecierum ſacramentalium, non requiritur, quòd aliquid ſenſibile in ſe ipſo recipiat, ſed ſufficit quòd contineatur ſacramentaliter in ipſis ſpeciebus, quæ moventur: & quia certum eſt Chriſtum in eis contineri, quantumvis de loco ad locum tranſportentur, ideò per accidens ad motum ipſarum movetur ipſe localiter; vel ad ſummum ſi aliquid recipere debet, hoc nihil aliud eſt, quàm ubicatio ſpiritualis, quæ non repugnat Chriſto in Euchariſtia, ubi ſe habet ad modum rei ſpiritualis.

QUÆSTIO VII.

De substantia panis, & vini, & accidentibus sivè speciebus Eucharisticis.

SUpponendæ sunt in hac Quæstione aliquæ difficultates, quæ in Philosophia resolvi debent, scilicet re vera distingui substantiam, & accidentiá, nec omnes res corporeas esse substantiales, sed aliquas verè accidentales, v. g. colorem, figuram, & hujusmodi: similiter quantitatem non esse realiter idem cum substantia materiali, & corporea, sed ab ipsa realiter distingui; & unicam dari quantitatem pro substantia, & omnibus accidentibus in eodem subjecto residentibus: Tertiò, non dari existentiam propriam accidentium, sed secundariò existere per existentiam sui subjecti, vel ad summum habere existentiam secundùm quid, sivè inexistentiam, quæ est modus accidentalis proportionatus essentiæ accidentium: Quartò, substantiam esse subjectum quod, quantitatem verò subjectum quo accidentium, quatenùs ipsa quidem substantia est id quod sustentat accidentia, sed quantitas est id quo mediante substantia sustentat ipsa. His omnibus prænotatis, vel potiùs præsuppositis, sit.

ARTICULUS I.

An substantia panis, & vini in consecratione desinat per annihilationem.

Conclusio: Substantia panis, & vini in consecratione non desinit per annihilationem, sed per veram ipsius conversionem in substantiam corporis, & sanguinis Christi. Ita omnes Thomistæ, & communiter alij Theologi contra solos Scotistas.

Probatur, & infertur ex dictis: Debemus in hoc sa-

cramento admittere transubstantiationem, ut supra ostendimus contra Hæreticos, & fatentur omnes Catholici Doctores: Ergo substantia panis, & vini non annihilatur per consecrationem, sed per ipsam convertitur in substantiam corporis, & Sanguinis Christi. Consequentia probatur: Non potest fieri transubstantiatio, nisi una substantia transeat in alteram, ut ex ipso termino constat, nam transubstantiatio idem est ac transitus unius substantiæ in alteram: sed si substantia panis, & vini annihiletur, non transit in substantiam corporis, & Sanguinis Christi, sed potiùs transit in ipsum nihilum, nam annihilatio dicitur quasi ad nihilum reductio: si verò substantia panis, & vini convertatur in substantiam corporis, & Sanguinis Christi, patet quòd una substantia transit in alteram: ergo transubstantiatio explicari non potest per annihilationem substantiæ panis, & vini, benè tamen per conversionem ipsius in substantiam corporis, & Sanguinis Christi.

Respondent adversarij, consecrationem esse unam totalem actionem, quæ importat duas actiones partiales, per quarum alteram substantia panis, & vini annihilatur, & per alteram loco ipsius ponitur substantia Corporis & Sanguinis Christi: & ita quamvis neutra ex illis actionibus sit conversio, sivè transubstantiatio, benè tamen utraque simul sumpta.

Sed contra 1. Etiamsi admittamus duas illas actiones, non sequitur conversio, sivè transubstantiatio: nam quando per actionem annihilativam substantia panis, & vini ad nihilum redigitur, ibi remanet ut ita loquar, & non transit ulteriùs, & actio positiva Christi in Eucharistia non concernit substantiam panis annihilatam: ergo re vera per utramque actionem etiam simul sumptam non fit, quòd substantia panis convertatur, & transeat in substantiam corporis Christi.

Contra 2. Quia actiones non sunt partiales, nec ad unam totalem ordinantur, nisi quando ex ipsa natura rei una sequitur ad alteram, ipsique unitur; sicut materia, & forma tanquàm partes ordinantur ex natura sua ad componendum totum, quia ex natura sua simul uniuntur; sed hujusmodi actiones non uniuntur simul

ex natura sua, quia per accidens est quòd annihilatâ substantiâ panis, ponatur loco ipsius substantia corporis Christi: ergo non sunt actiones partiales ad ipsam transubstantiationem tanquàm actionem totalem.

Contra 3. Quia negari saltem non potest, quin longè meliùs explicetur transubstantiatio in sententia Thomistarum, quàm in sententia Scotistarum, quandoquidem volumus, quòd hujusmodi substantia panis immediatè convertitur in substantiam corporis Christi: ergo vel hoc solo titulo præferenda foret hæc sententia nostra, quòd per ipsam meliùs explicatur tantum Fidei mysterium.

Objicitur: illud annihilatur, de quo nihil prorsùs remanet: sed post consecrationem nihil prorsùs remanet de substantia panis, & vini: ergo annihilatur.

Respondeo, distinguendo majorem, & est regula generalis: illud annihilatur, de quo nihil remanet, vel in se ipso, vel in alio, concedo; de quo nihil remanet in se ipso. benè tamen in alio, nego: quamvis autem post consecrationem nihil remaneat de substantia panis aut vini in se ipsa, remanet tamen in substantia corporis, & sanguinis Christi, in quam fuit conversa.

Replicabis: si homo destrueretur, & loco ipsius produceretur angelus, non propterea diceretur homo ille conversus in angelum: ergo licet destruatur substantia panis, & loco ipsius substituatur substantia corporis Christi, non propterea sequitur quòd illa in istam convertatur.

Respondeo, transeat antecedens, nego consequentiam: Ratio discriminis est, quia ad conversionem requiritur aliquid commune utrique termino conversionis: si autem totus homo destrueretur, & totus angelus loco ipsius poneretur, nihil foret commune utrique termino, & ideò non foret conversio. Sed quia terminus à quo conversionis sacramentalis est substantia panis, & terminus ad quem ipsius est substantia corporis Christi, & utrique termino communia sunt accidentia, sivè species sacramentales, idcircò fit ibi vera conversio. Dixi, transeat antecedens, quia etiam in

altero casu fieri potest conversio totalis ipsius hominis in angelum per absolutam Dei potentiam.

ARTICULUS II.

Quomodo ex speciebus sacramentalibus producatur substantia cineris, vel alia similis.

Conclusio : Substantia cineris, vel qualibet alia, producitur per conversionem specierum sacramentalium in ipsam materiam primam hujusmodi substantiæ, ex qua educitur forma substantialis, & ex tota substantia resultant proprietates, & accidentia. Ita communiter Thomistæ.

Probatur, & infertur ex dictis : Christus est in hoc sacramento, & desinit esse in ipso ad modum spiritus, vel rei spiritualis : sed quando spiritus, vel res spiritualis desinit esse alicubi, non convertitur in aliam substantiam, ut patet de angelo desinente occupare locum, & de anima rationali desinente informare corpus: ergo similiter Christus ita desinit esse in hoc sacramento Eucharistiæ, ut propterea non convertatur in aliam substantiam : Nihilominùs quia talis conversio est magis connaturalis, dicendum est quòd species sacramentales convertuntur in materiam primam substantiæ, quæ ex ipsis generatur ; & quòd ex illa materia prima educitur forma substantialis ; & quòd ex tota substantia resultant proprietates, & accidentia.

Explicatur magis : Non sunt admittenda, neque multiplicanda miracula sine necessitate, ut fatentur omnes : Igitur explicari debent omnia, quæ concernunt hoc sacramentum, eo modo, qui est magis connaturalis, & minùs miraculosus : sed magis connaturale est, quòd species sacramentales convertantur in materiam primam sivè cineris, sivè vermis, sivè alterius substantiæ, quàm quòd hujusmodi materia prima creetur, cum creatio excedat maximè modum agendi causarum naturalium. Similiter eductio formæ substantialis ex ipsa materia prima est omninó connaturalis ipsis agentibus creatis; & multó magis connaturale est, quod ex materia, & forma simul unitis, sivè ex toto com-

posito substantiali resultent proprietates, & accidentia: Ergo hæc omnia explicari debent per hujusmodi conversionem, eductionem, & resultantiam.

Objicitur 1. D. Thomas 4. sententiarum, distinctione 12. quæst. 1. articulo 2. quæstiuncula 4. ad quartum, sic expressè loquitur, *Secundùm quamlibet positionem oportet ponere aliquid in hac generatione esse miraculosum, & aliquid naturale: reditus enim substantiæ, vel creatio materiæ, vel conversio dimensionum in materiam est miraculum: sed quòd materia jam existens recipiat talem formam, cujus dispositiones præcesserunt in dimensionibus, hoc est naturale:* Ergo ex D. Thoma substantia, quæ succedit specibus sacramentalibus vel fit quoad materiam per creationem, vel quoad se totam per conversionem.

Respondeo, utramque sententiam tanquàm probabilem admitti à D. Thoma in illo 4. libro sententiarum. Sed nihilominùs in 3. parte suæ summæ Theologicæ, quæstione 77. articulo 6. asserit angelicus Doctor, quòd species sacramentales transeunt & convertuntur in substantiam consequentem, nulla facta mentione creationis: undè procul dubio hanc sententiam probabiliorem existimat, & ideò ipsam sequimur in conclusione nostra.

Replicabis contra solutionem: Si materia creatur, & ex ipsa educitur forma, necesse est, quòd materia prima habeat propriam existentiam, aliter non posset terminare creationem: sed hoc non est probabile in sententia Thomistarum, qui docent in philosophia, quòd etiam per absolutam Dei potentiam implicat materiam primam habere propriam existentiam: Ergo hæc prima sententia non est probabilis in doctrina D. Thomæ.

Respondeo, quòd juxta illam sententiam eadem est actio & creativa materiæ primæ, & eductiva formæ substantialis ex ipsa: undè creatio terminatur quidem ad existentiam materiæ primæ, sed non ad existentiam ipsi propriam, sed ad existentiam formæ ipsi communicatam, sivè ad existentiam utrique communem: nam in eodem instanti temporis, in quo existit materia pri-

ma, existit etiam forma substantialis, quamvis in priori instanti naturæ materia creatur, & in posteriori instanti naturæ forma substantialis educatur: Quæ omnia magis explicantur in philosophia, quando agitur de materia prima.

Obijcitur 2. D. Thomas 3. parte, quæstione 77. articulo 5. in corpore sic loquitur, *In ipsa consecratione miraculosè datur quantitati dimensivæ panis, & vini, quod sit primum subiectum subsequentium formarum: hoc autem est proprium materiæ: & ideò ex consequenti datur prædictæ quantitati dimensivæ omne illud, quod ad materiam pertinet: & ideò quidquid posset generari ex materia panis, si adesset, totum potest generari ex prædicta quantitate dimensiva panis, & vini, non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi priùs facti.*

Respondeo, mentem D. Thomæ esse, quòd species sacramentales gerunt vices ipsius materiæ quantùm ad generationem dispositivam, sed non quantùm ad terminativam, ut ita loquar: quia ut docent philosophi, in generatione substantiali præcedunt dispositiones, & posita dispositione ultima, resultat forma substantialis, quæ in materiam primam introducitur: v.g quando ex ligno fit ignis, priùs in ligno præcedit calor tanquàm dispositio, & quando pervenit calor ille ad octavum gradum, jam perit forma ligni, & introducitur forma substantialis ignis in materiam primam: Undè materia prima duplex habet munus, alterum est in se recipere dispositiones ad formam ignis, alterum est sustentare hujusmodi formam ignis: verum quidem est, quòd species sacramentales supplent vices materiæ primæ quantùm ad illud primum munus, sed non quantùm ad secundum, quia species sacramentales recipiunt omnes dispositiones ad formam substantialem introducendam, non minùs quàm si daretur sub ipsis substantia panis, & vini. sed tamen advenıente forma substantiali, ipsam non recipiunt, nec sustentant: v. g. sicut quando ex ligno fit ignis, calor usque ad octavum gradum priùs in ligno recipitur, ita quando hostia consecrata comburitur, priùs in ipsa recipitur calor usque

ad octavum gradum: sed sicut postea non remanet forma ligni, quando advenit forma ignis, ita non remanent species sacramentales, quando forma ignis advenit, sed convertuntur in ipsam materiam primam, ex qua educitur forma ignis, sicut jam & de aliis formis dictum est. Sic intelligunt D. Thomam ipsius discipuli communiter, nec aliter intelligi potest, si velimus praecedentia testimonia conciliare: nam si species sacramentales remanerent, quando advenit nova substantia, & locum materiae primae tenerent in sustentatione formae; nec crearetur ipsa materia prima, nec species sacramentales in ipsam converterentur, ut per se patet: & tamen D. Thomas utrumque docet, alterum ut probabile, & alterum ut probabilius, sicut jam ostendimus.

ARTICULUS. III.

An, & quomodo accidentia in Eucharistia subjectentur in quantitate.

Conclusio: Quantitas in Eucharistia recipit modum quemdam substantialem, ad hoc ut veluti per se subsistat: alia verò accidentia in ipsa subjectantur, & per ipsam veluti subsistunt. Ita plures ex Thomistis, & ex aliis Theologis.

Probatur eadem ratione, qua probavimus praecedentem conclusionem: Non sunt admittenda, neque multiplicanda miracula in hoc sacramento sine necessitate, sed debemus de ipso loqui, quantùm possumus, juxta modum connaturalem agentium naturalium: Atqui in nostra conclusione sic procedimus: cùm enim sit proprium substantiae subsistere per se ipsam sine ullo subjecto eam sustentante, & aliunde non possimus admittere substantiam panis, ac vini in hoc sacramento, superest, ut saltem admittamus in ipso aliquem modum substantialem, ratione cujus quantitas licèt re vera sit accidens, nihilominùs stet, & subsistat per se ipsam sola, ac si foret vera substantia; & cum antea alia accidentia subjectarentur in quantitate tanquàm in subjecto quo, & immediato, in substantia verò tanquàm

in subjecto quod, & mediato, deficiente hujusmodi substantiâ, subjectentur in ipsa quantitate tanquàm in subjecto totali, & adæquato.

Objicitur 1. Accidentia Eucharistica subjectari possunt in substantia corporis, & sanguinis Christi, quandoquidem hæc substantia substituitur loco substantiæ panis, & vini, quæ antea hujusmodi accidentia sustentabat: ergo ad vitandam multiplicationem miraculorum, dicendum est, accidentia illa panis, & vini adhærere substantiæ corporis, & sanguinis Christi, & non subsistere per se ipsa.

Respondeo, negando antecedens; quia accidentia panis, & vini important quantitatem nedùm quantùm ad extensionem internam partium in se ipsis, sed etiam quantùm ad extensionem externam partium in loco: & quia Christus in hoc Eucharistiæ sacramento habet quidem extensionem internam suarum partium in se ipsis, sed non extensionem externam earum in loco, ideò non potest in se recipere quantitatem panis, aut vini, nec etiam alia accidentia, sivè calorem, aut saporem, aut hujusmodi, quæ non recipiuntur in substantia, nisi mediante quantitate.

Objicitur 2. Deus immediatè per se ipsum potest manutenere quantitatem, & alia accidentia; quamvis enim non possit habere rationem materiæ in hoc sensu, quòd ipse sit materia prima, vel secunda, potest tamen præstare id, quod præstat materia prima, in hoc sensu ut id quod materia prima facit in genere causæ materialis, Deus faciat in genere causæ efficientis: ergo frustra superadditur modus substantialis, ratione cujus subsistat quantitas, & sustentet alia accidentia, quasi ipsa foret substantia.

Respondeo, quòd licèt Deus immediatè per se ipsum non quidem in genere causæ materialis, sed in genere causæ efficientis possit sustentare, sivè manutenere quantitatem cum aliis accidentibus, attamen convenientius est quòd hoc faciat per illum modum substantialem, quem diximus tribui quantitati, ad hoc ut ipsa per se ipsam stet, & subsistat quasi foret substantia; quia modus subsistendi per se, & sustentandi accidentia in genere causæ materialis, non minùs quàm

in genere causæ effic entis, est magis connaturalis causis secundis: sicut in præcedenti articulo diximus quòd licet materia prima produci possit per creationem ab ipso Deo, quando ex speciebus sacramentalibus producitur aliqua substantia, attamen modus magis connaturalis est, quòd producatur per conversionem specierum sacramentalium in ipsam materiam primam.

Quæres pro complemento hujus quæstionis, cur accidentia panis, & vini, quæ remanent in sacramento Eucharistiæ, post consecrationem dicantur species sacramentales?

Respondeo, quòd quia species essentialiter ordinantur ad repræsentationem rerum, quarum sunt species, ut docent philosophi:& aliundè sacramentum in communi definitur, signum rei sacræ nos sanctificantis:& etiam diximus supra, quód sacramentum Eucharistiæ essentialiter consistit in hujusmodi accidentibus, prout continent Christum Dominum; ideò jure optimo dicuntur signa, & repræsentationes, sivè species sacramentales.

QUÆSTIO VIII.

De sacra Communione.

De Communione habentur multa in Theologia morali D. Thomæ verbo, *Communio*, præsertim circa celeberrimam hujus temporis difficultatem de frequenti communione, quam plenissimè, & brevissimè resolvit Doctor angelicus quæstione 2. & sequentibus: undè suppositis il is omnibus, quæ ibi tractantur, explicabimus alia, quæ vel inter catholicos, vel etiam contra Hæreticos agitantur.

ARTICULUS I.

Vtrùm sit necessariò communicandum sub utraque specie.

Advertendum est, quòd ut constat ex D. Thoma, & videri potest loco citato moralis Theologiæ, erat olim consuetudo ut fideles sub utraque specie communicarent, & testatur idem Sanctus Doctor quod suo tempore cœpit in aliquibus Ecclesiis consuetudo dandi in communione unicam tantùm speciem, scilicèt panis; quam etiam consuetudinem idem Sanctus Præceptor dicit esse rationalem, quia propter multitudinem fidelium vix fieri potest, quin suboriatur aliquod inconveniens, si Calix Domini detur omnibus, est enim periculum, ne effundatur pretiosissimus sanguis ejus. Hæc autem consuetudo dandi solam speciem panis, à tempore D. Thomæ recepta fuit in tota Ecclesia Romana, & Catholica, reclamantibus omnibus hujus temporis Hæreticis, qui volunt utramque speciem in communione sumendam esse ex præcepto Divino, contra quos sit.

Conclusio: Non est necesse communicare sub utraque specie; sed sufficit communicare sub sola specie panis. Ita omnes Catholici; & ita fuit expressè definitum in Concilio Tridentino contra hujus temporis Hæreticos.

Probatur 1. Ex veteri testamento, in quo plures erant figuræ sacramenti Eucharistiæ, & in illis significatur unica tantùm species, & non etiam altera: in primis plures Sancti Patres, & Doctores dicunt arborem vitæ plantatam in medio Paradisi terrestris fuisse figuram Eucharistiæ, quæ servatur in Ecclesia tanquàm arbor vitæ spiritualis: Scriptura autem loquens de hujusmodi arbore vitæ facit mentionem cibi, nulla facta mentione potus. Similiter ex communi Patrum, & Doctorum interpretatione Agnus paschalis fuit figura Eucharistiæ, in qua recipimus Christum tanquam agnum immaculatum; Scriptura autem loquens de Agno paschali, præscribit modum ipsum comedendi

nulla prorsùs facta mentione potus: verum quidem est quòd sanguinem agni jubet applicari ostiis populi Israël, sed non jubet quòd bibatur. Denique omissis aliis figuris, certum est secundùm omnes, quòd manna fuit figura Eucharistiæ, & propterea etiam in Scriptura vocatur panis de Cœlo, angelorum ministerio datus: sed certum etiam est, quòd manna simul ac semel inserviebat populo Israël pro cibo, & pro potu. Ergo cum res figurata debeat correspondere suis figuris, sequitur, quòd sufficit, ut sumatur sacramentum, & percipiatur fructus Eucharistiæ, quòd sumatur unica species panis, quæ simul ac semel est cibus formaliter, quatenùs formaliter continet, corpus Christi, & potus concomitanter, quatenùs concomitanter continet sanguinem Christi.

Respondent hæretici, quòd non desunt etiam figuræ hujus sacramenti, in quibus fit mentio utriusque speciei, ut quando Melchisedech obtulit panem, & vinum: quod etiam videre est in aliis figuris.

Sed contra est, quòd non negamus in veteri testamento plures haberi figuras, quibus utraque species sacramenti Eucharistiæ denotatur, sicut habentur plures, quibus denotatur unica species. Sed dicimus, quòd hæretici non possunt conciliare hæc omnia testimonia, benè tamen Catholici: quia dicimus quòd omnes figuræ, in quibus unica species figuratur, repræsentant Eucharistiam, quatenùs præcisè habet rationem sacramenti; omnes verò figuræ, quæ repræsentant utramque speciem, concernunt Eucharistiam, prout insuper est sacrificium, ut præsertim illa figura Melchisedech; jam enim sæpiùs diximus, quòd ratio sacramenti salvatur in unica specie Eucharistiæ, ratio verò sacrificii exigit utramque speciem: & ideò laici, & qui solummodò recipiunt sacramentum communicando, non tenentur sumere nisi speciem panis; Sacerdotes verò quando celebrant Missæ sacrificium, tenentur sumere utramque speciem, panis, & vini.

Probatur 2. ex ipsis verbis institutionis Christi Domini: & aliis pluribus novi testamenti locis. Quando Christus dixit, *Accipite, & manducate, Hoc est Corpus meum*, subdidit absolutè, *hoc facite in meam*

commemorationem, Ut testatur D. Lucas capite 22. Quando verò dixit, *Accipite, & bibite, Hic est calix Sanguinis mei*, addidit hæc verba, *hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem*, Ut testatur D. Paulus primæ ad Corinthios, capite 11. ubi notatu dignissima est hujus præcepti differentia: est enim præceptum absolutum quando agitur de specie panis, quia omnes absolutè loquendo tenentur vel in re, vel in voto sumere sacramentum Eucharistiæ saltem in illa una specie panis: sed præcepceptum, quod respicit speciem vini, non est absolutum, sed hypoteticum, sivè ex suppositione, quia ut ait Cardinalis Cajetanus, *Christus absolutè non præcipit, quòd sumamus Calicem; sed solummodò ex suppositione quòd aliquis velit sumere calicem, Christus ei præcipit, ut hoc faciat in ipsius commemorationem; quia non tenentur omnes celebrare, nec proindè utramque speciem sumere: sed ex suppositione quòd celebrent, & utramque speciem sumant, tenentur hoc totum facere in commemorationem Christi.*

Confirmatur hoc argumentum ex 6. capite Joannis, ubi Christus Dominus loquens de hoc sacramento Eucharistiæ dicit hæc quatuor: primò, *Qui manducat me, vivet propter me*: secundò, *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum*: tertiò, *Hic est panis de Cælo descendens, ut si quis ex ipso manducet, non moriatur*: quartò, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: In quibus quatuor testimoniis Christus solummodò facit mentionem cibi, nulla facta mentione potus: ergo vult, quòd sola receptio speciei panis in communione, sine receptione speciei vini, sufficit nobis ad vitam gratiæ, & ad tollendam mortem peccati. Nec refert, quod Hæretici dicunt Christum ibi non loqui de manducatione sacramentali, sed solummodò de manducatione spirituali: etenim supra fusè demonstravimus Christum Dominum loqui de utraque, cum enim Judæi murmurarent, & discipuli Christi scandalizarentur, immò aliqui ex ipsis jam terga darent, & abirent à Christo, quia doctrinam ipsius concipere non poterant; & aliundè Chri-

tus potuisset his omnibus malis unico verbo remedium adhibere, dicendo se non loqui in sensu proprio, & litterali, ac de manducatione sacramentali; sed in sensu metaphorico, ac de manducatione spirituali; tantum abest, quòd ita se se explicuerit, quin potiùs in eadem doctrina perstitit, & eam confirmavit specie juramenti, ut supra fusè explicuimus.

Confirmatur 2. Nam etiam Apostolus primæ ad Corinthios 11. ait, *Qui manducant hostias, participes sunt altaris*: ubi etiam fit mentio cibi, nulla facta mentione potus: cum igitur Apostolus dicat hoc sufficere ad participationem altaris, vult hoc sufficere ad sacram communionem.

Probatur 3. Authoritate sanctorum Patrum Scripturam sacram interpretantium: Dum enim Act. 2. dicitur de fidelibus, *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione, fractionis panis, & orationibus*: D. Augustinus epist. 59. ad Paulinum, intelligit hunc locum de precibus, quæ fiebant inter distribuendam Eucharistiam. Et similiter D. Chrysostomus Homilia 27. super Epistolam primam ad Corinthios, ait ibi esse sermonem de usu hujus sacramenti Eucharistiæ. Similiter quando Act. 2. dicitur, *Una autem Sabbathi cum convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis*, &c. ubi D. Augustinus epistola 86. ad Casulanum, per fractionem panis intelligit usum Eucharistiæ: & tamen in his locis nulla fit mentio sumptionis vini: ergo etiam in ipsa primitiva Ecclesia aliquando fideles communicaverunt sub unica specie panis, non sumendo speciem vini.

Nec refert, quod Hæretici dicunt, per unicam speciem subintelligi utramque: cum enim dicant nihil esse asserendum, nisi fuerit expressum in Scriptura; & nihil prorsùs in prædictis locis habeatur de specie vini, sed sola fiat mentio panis, non debemus, etiam juxta eorum principia, admittere quòd illi fideles communicarent sub utraque specie, sed sub una tantùm. Omitto rationes, quas potuerunt habere Apostoli communicandi tunc fideles sub sola specie panis, sufficit quòd hoc constet ex Scriptura.

Probatur 4. Et infertur ex iis, quæ ſupra diximus: Tota ratio ſacramenti Euchariſtiæ ſalvatur in unica ſpecie panis, quamvis ratio ſacrificij exigat inſuper ſpeciem vini: ergo quamvis Sacerdotes ſacrificium Miſſæ celebrantes teneantur utramque ſpeciem ſumere, laici tamen, vel ipſi etiam ſacerdotes ſolummodò communicantes, non tenentur recipere niſi unicam ſpeciem. Conſequentia videtur evidens: quia illi, qui communicant, non intendunt recipere niſi ſacramentum Euchariſtiæ, licet illi qui celebrant, intendant peragere ſacrificium: ergo quamvis celebrantes teneantur ad utramque ſpeciem, attamen communicantes tenentur ad unicam tantùm: Antecedens verò probatur: Ratio eſſentialis ſacramenti conſiſtit in hoc, quòd ſit ſignum rei ſacræ nos ſanctificantis: ſed unica ſpecies ſignificat Chriſtum ſub ipſa exiſtentem, qui eſt res maximè ſacra, & maximè nos ſanctificans: ergo in unica ſpecie, v.g. panis, ſalvatur eſſentialis ratio ſacramenti: quia verò ſacrificium debet ſignificare effuſionem ſanguinis Chriſti, proindéque ſeparationem ipſius à corpore, idcirco ratio ſacrificij ſalvari non poteſt, niſi ſimul cum ſpecie panis fuerit conſecrata ſpecies vini, ut dicetur quæſtione ſequenti.

ARTICULUS II.

Solvuntur objectiones Hæreticorum.

Objiciunt 1. Hæretici. Chriſtus nedùm poſtquam dedit panem Apoſtolis ſuis, dixit eis, *Hoc facite in meam commemorationem*, ſed etiam poſtquam dedit eis Calicem dixit, *bibite ex hoc omnes*, ut habetur Matthæi cap. 26. Ergo tenentur omnes ex præcepto Chriſti Domini nedùm manducare panem Euchariſticum, ſed etiam bibere vinum.

Reſpondeo 1. retorquendo argumentum: quia quando Chriſtus dixit Apoſtolis, poſtquam ipſis dedit panem Euchariſticum, *Hoc facite in meam commemorationem*, contulit eis poteſtatem benedicendi, & miniſtrandi panem Euchariſticum; & tamen ipſi etiam Hæretici non extendunt hoc præceptum Chriſti

Domini ad omnes omnino fideles, sed hanc potestatem concedunt solis suis ministris: ita ut hujusmodi præceptum quatenùs mandat fieri administrationem Cœnæ, factum fuerit Apostolis, prout gerebant personam ministrorum, qui debebant ipsis in ministerio succedere, quatenùs verò mandat, & præcipit receptionem Cœnæ, factum fuerit Apostolis prout gerebant personam omnium fidelium. Cur ergo non poterimus simili modo dicere, quód præceptum recipiendi panem Eucharisticum factum fuit Apostolis quatenùs gerebant personam omnium fidelium; præceptum veró sumendi Calicem factum fuerit ipsis prout gerebant personam omnium Sacerdotum, ita ut bibere vinum Eucharisticum teneantur quidem omnes Sacerdotes, quando sacrificant, sed non omnes fideles, quando communicant.

Respondeo 1. & est regula generalissima pro his, & similibus aliis testimoniis, quód Apostoli considerari debent vel ut personæ particulares, vel ut gerebant personam Sacerdotum, vel tandem ut gerebant personam omnium fidelium. Præceptum Christi quatenùs concernit eos sub prima consideratione, non obligabat nisi solos Apostolos; undè quód reciperent Eucharistiam post refectionem, erat circumstantia concernens ipsos solos, & non Sacerdotes, vel fideles, qui debent esse jejuni, quando celebrant, vel communicant: similiter circumstantia noctis, & aliæ hujusmodi circumstantiæ erant peculiares, & concernebant solummodo propriam personam Apostolorum, non veró personam Sacerdotum, & fidelium: præceptum autem communicandi vel sub una, vel sub altera specie, & præsertim sub specie panis, concernebat Apostolos, & in eorum persona omnes fideles; undè fatemur, quód omnes tenentur alterutram speciem sumere, præsertim speciem panis: sed præceptum sumendi Calicem simul cum pane, non fuit factum omnibus fidelibus, sed solummodó omnibus Sacerdotibus in persona Apostolorum, quod probatur.

Primó ex eo quód secundùm communem Sanctorum Patrum expositionem, quando Christus dedit panem Apostolis, & dixit illis, *Hoc facite in meam com-*

memorationem, instituit illos Sacerdotes, & ita fuit definitum in Concilio Tridentino: undè omnia quæ sequuntur circa Calicem, possumus intelligere dicta Apostolis tanquàm Sacerdotibus.

Secundò, quia illa verba, *Bibite ex eo omnes*, eodem modo intelligi debent, ac illa alia verba Lucæ 22. *Accipite, & dividite inter vos*: Sed ista verba non intelliguntur dicta omnibus fidelibus in persona Apostolorum, sed solummodò Sacerdotibus; undè ipsi etiam Hæretici non permittunt omnibus administrationem Cœnæ, sed solis ministris: ergo etiam alia non sunt intelligenda per respectum ad omnes fideles, sed solummodò ad omnes Sacerdotes in persona Apostolorum, non enim est potior ratio de uno, quàm de alio.

Tertiò, quia D. Marcus Evangelista ait, *Et biberunt ex eo omnes*, ut nimirùm testaretur, quòd hujusmodi præceptum dirigebatur ad Apostolos prout erant personæ particulares, & quod propterea ab ipsis impletum fuit, & hoc exprimitur in Scriptura: sed quando dixit eis Christus, ut acciperent panem, ipsumque manducarent, non dicitur postea, & acceperunt, & manducaverunt, ut insinuaretur quòd non illis solis, sed in eorum persona omnibus fidelibus fiebat hujusmodi præceptum; undè quamvis illud impleverint, non debuit tamen fieri mentio hujus impletionis, quia supererat ut omnes fideles tale præceptum semper implerent: undè non modicum habet fundamentum expositio plurium Doctorum, cui favet D. Thomas in commentario super Evangelium D. Joannis, favent etiam aliqui SS. Patres, nimirùm Christum hoc dixisse propter Judam, qui cum accepisset Hostiam consecratam à Christo, eam non comedit, sed super mensam dimisit; undè ut non posset simili modo dimittere Calicem, Christus expressè præcepit, ut omnes ex eo biberent; undè propter hanc circumstantiam hujusmodi præceptum concernebat Apostolos in sua persona particulari tantùm, non verò omnes fideles in persona eorum.

Instant Hæretici, & dicunt subesse mysterium in verbis Christi Domini, quia quando dedit panem, non

dixit, accipite, *& comedite omnes*; & tamen quando dedit Calicem, dixit, accipite, *& bibite omnes*; quia, inquiunt, prævidebat Christus, quòd non debebat suboriri difficultas circa sumendum panem, benè tamen circa sumendum vinum; undè non erat necesse loqui de omnibus, quando dabat panem, benè tamen quando dabat vinum.

Respondeo 1. retorquendo argumentum: quia si hæretici volunt absolutè sumere verba Christi, & omnes omninò obligare ad sumendum vinum, sicut & panem, debent Eucharistiam concedere nedùm fidelibus adultis, sed etiam parvulis, maximè cum dicant se tenere fidem primitivæ Ecclesiæ juxta quatuor prima sæcula, & testetur D. Dionysius, qui fuit Apostolorum discipulus in capite 7. Ecclesiasticæ Hierarchiæ, quòd Eucharistia dabatur parvulis, statim atque baptizati erant: idemque testatur Divus Cyprianus in sermone de lapsis: & tamen ipsimet Hæretici non concedunt Cœnam parvulis baptizatis, sed solummodò adultis: ergo coguntur ipsimet restringere, & modificare præceptum Christi, nec possunt illud extendere ad omnes fideles omninò, sed tantùm ad omnes in certo genere, scilicèt ad omnes adultos. Quare etiam non poterit Ecclesia Romana modificare idem Christi præceptum, non extendendo illud ad omnes omninò, sed ad omnes in certo genere, nempè ad omnes Sacerdotes propter rationes jam allatas.

Respondeo 2. quòd licet Christus dando panem, non dixerit, *omnes*; attamen, omnes, subintelligi voluisse: & hoc etiam ipsi hæretici fateri coguntur; cum enim nihil admittere velint ex traditionibus, sed solummodò ex præcisis Scripturæ testimoniis, si non fateantur in illis Christi verbis subintelligi, omnes, nullum habebunt Scripturæ testimonium, per quod obligentur omnes fideles ad sumendum panem Eucharisticum: quamvis igitur præceptum Christi de sumendo pane includat omnes, sicut præceptum de sumendo vino, nihilominùs ipsi hæretici omnia quæ præcipiuntur à Christo circa panem, non extendunt ad omnes fideles, sed ad soles ministros, quibus solis concedunt facultatem administrandi panem Eucharisticum: cur etiam

Ecclesia Catholica non poterit ad omnes quidem, sed solos Sacerdotes extendere præceptum sumendi vinum? Dicendum est igitur, quòd præceptum Christi in verbis institutionis quandoque respicit solos Apostolos, quandoque omnes, & solos Sacerdotes in ipsis, quandoque omnes fideles adultos, quandoque etiam parvulos; sed intelligentia, & applicatio hujus præcepti relinquitur à Christo ipsi Ecclesiæ suæ, ut de hujusmodi administratione, & receptione sacramenti dispona nat, prout expedit ad majus bonum fidelium.

Obijcitur 2. Apostolus 1. ad Corinthios 11. alloquitur omnes Ecclesiæ fideles, cum hanc Epistolam ad omnes scripserit: ibi autem ait, *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, narrans omnia quæ contigere in institutione Eucharistiæ: subdit autem paulò post hæc verba, *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit*: Ergo ex præcepto Christi, juxta testimonium Apostoli, tenentur omnes utramque speciem sumere, & panis, & vini.

Respondeo 1. retorquendo argumentum: nam in eodem capite 11. Apostolus expressè denotat, quòd sumere Calicem simul cum pane non est de necessitate, sed ad libitum saltem respectu laicorum juxta Ecclesiæ determinationem, tum quia ut jam examinavimus in argumentis pro nostra conclusione, quando Apostolus refert verba Christi circa calicem, non refert quòd Christus dixerit absolutè loquendo, *hoc facite*, sicut absolutè dixerat, quando panem dederat: sed locutus est cum suppositione, *Hoc facite, quotiescumque bibetis in meam commemorationem*, Quasi diceret, non est absolutè necessarium bibere calicem, attamen ex suppositione quod bibatur, hoc fieri debet in meam commemorationem: tum etiam quia ibidem Apostolus immediatè ante verba, quæ objiciuntur, ait, *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini*, ubi per particulam disjunctivam, *vel* Apostolus manifestè insinuat, quòd non est absolutè necesse utramque speciem sumere, sed sufficit sumere

unam, aut alteram, dummodò sivè una sumatur, sivè utraque, hoc totum fiat post debitum examen conscientiæ: ergo ex eodem capite 11. Apostoli colligitur non esse necessariam communionem sub utraque specie.

Respondeo 2. Apostolum in his verbis non præcipere substantiam, sed modum actionis, non enim absolutè ait, *De pane illo edat, & de calice bibat*, sed premittit hanc particulam, *sic*, quæ denotat modum agendi: postquàm igitur præsupposuit Apostolus posse indifferenter communionem fieri vel sub una specie, vel sub utraque, explicat postea modum, quo fieri debet communio, sivè sub una specie fiat, sivè sub utraque, ut non sit ad condemnationem, sed ad justificationem nostram, ut nempè accedamus ad Eucharistiam cum debita præparatione, postquàm homo se ipsum probaverit per diligens examen suæ conscientiæ, ut non communicet in statu peccati mortalis, sed in statu gratiæ.

Objiciunt 3. aliqui ex Hæreticis illum locum desumptum ex capite 6. D. Joannis, ubi Christus ait alloquens indifferenter omnes, qui ipsum audiebant, proindeque in eorum persona omnes fideles, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: Igitur ad habendam vitam gratiæ: proindèque ad salutem necesse est omnibus sumere utramque speciem.

Respondeo 1. Retorquendo argumentum: nam in eodem capite 6. Joannis, non tantùm semel, aut bis, sed ter, & quater Christus dixit, quòd vitam gratiæ illi habent, qui manducant panem Eucharistiæ, nulla facta mentione vini, ut ostendimus probando nostram conclusionem: ergo ad habendam gratiam, proindèque ad salutem sufficit sumere speciem panis.

Respondeo 2. Omissis aliis interpretationibus, concedendo totum argumentum, quòd nempe ad salutem necesse est manducare carnem Christi, & bibere ejus sanguinem: negando tamen consequentiam, quòd propterea necesse sit sumere simul panem, & vinum Eucharisticum, quia sub sola specie panis reperitur simul ac semel & Caro, & Sanguis Christi; caro qui-

dem formaliter, sanguis veró concomitanter: undè licèt in communione sumatur sola species panis, attamen simul cum carne sumitur sanguis Christi: & propterea notatu dignissimum est, quòd licet in illo cap. 6. Joan. Christus loquens de carne, & sanguine contentis sub speciebus sacramentalibus, dicat quòd necesse est utrumque sumere; attamen quando loquitur de speciebus sacramentalibus, quæ continent corpus, & sanguinem Christi, non dicit quòd sit necesse utramque speciem sumere, sed quoties de hujusmodi necessitate loquitur, non facit mentionem nisi panis; & hoc ut jam diximus, non semel, aut bis tantùm, sed ter, & quater in illo unico capite 6. Joannis.

Instabis: Quamvis sumendo panem Eucharisticum, sumamus simul & corpus, & sanguinem, illud quidem formaliter, hunc verò concomitanter, attamen nunquàm dici potest in rei veritate, quòd manducemus corpus, & bibamus sanguinem Christi, quia non manducatur corpus Christi nisi mediante pane, nec bibitur sanguis ejus nisi mediante vino: Cum igitur dicat Christus quód necesse est manducare corpus, & bibere sanguinem ejus, vult quòd necesse sit sumere speciem & panis, & vini.

Respondeo, sumendo panem, manducari corpus Christi, & simul etiam bibi sanguinem ipsius, etiamsi non sumatur vinum, quia per talem manducationem, & potum non intelligitur aliud, quàm receptio carnis, & Sanguinis Christi ad nostram refectionem spiritualem: cum igitur sub specie panis nedùm formaliter recipiatur caro Christi, sed etiam concomitanter sanguis ipsius, idcircò sub illa sola specie panis & manducatur formaliter caro Christi, & concomitanter bibitur sanguis ipsius, quia sumitur sanguis, qui se habet tanquàm potus spiritualis, sicut & caro, quæ se habet tanquàm spiritualis cibus.

Tandem objicere possent, quòd antiquitùs consueverat Ecclesia communicare laïcos sub utraque specie. Sed in primis.

Retorquetur argumentum hoc sicut & præcedentia; quia etiam primitiva Ecclesia consueverat dare Eu-

charistiam nedùm adultis, sed etiam parvulis, ut jam diximus ex D. Dionysio, & D. Cypriano: & tamen ipsimet Hæretici non dant modò cœnam parvulis, sed tantùm adultis: ergo ipsi atiam non servant consuetudinem primitivæ Ecclesiæ. Dicimus igitur, quòd hujusmodi consuetudines Ecclesia mutare potest ex causis rationabilibus, sicut istam mutavit, propter rationes, quæ videri possunt in morali Theologia D. Thomæ verbo, *Communio*, quæstione 8.

ARTICULUS III.

An ille qui recipit utramque speciem sacramentalem, recipiat maiorem effectum, sivè gratiam, quàm ille, qui recipit unicam tantùm.

Advertendum est, quòd licet Sacerdotes in sacrificio missæ communicent sub utraque specie, panis, & vini, attamen laïci modò ex præcepto Ecclesiæ non communicant nisi sub unica specie, recipiendo solam Hostiam consecratam, non autem vinum: & hoc rationabiliter fuit ordinatum propter inconvenientia, quæ contingebant, quando vinum consecratum dabatur laïcis, quia vix fieri poterat, quin aliqua ipsius gutta effunderetur. Quæritur ergo vtrùm laïci solam Hostiam sumentes recipiant tantam gratiam, quantam Sacerdotes, qui simul cum Hostia vinum consecratum recipiunt. Hoc autem intelligitur cæteris paribus, idest. si fuerit æqualis dispositio in laïco, & in Sacerdote.

Duplex est sententia; altera affirmativa, quam docent plures ex modernis; altera negativa, quam tenent communiter Thomistæ, & plures alij, immò ferè omnes, qui hoc tempore scripserunt contra Hæreticos de Communione sub utraque specie: & sanè hæc sententia vel hoc solo titulo est alteri præferenda, quòd secundùm ipsam evidens est id quod postea dicemus ex Concilio Tridentino, Ecclesiam, nempè Catholicam nullam fecisse injuriam laïcis, quando eos privavit specie vini consecrati, qvantùmvis reclament Hæretici hujus temporis; undè fit.

Conclusio : Laïcus sub una specie communicans , si fuerit æquè dispositus , tantam recipit gratiam sacramentalem , quantam Sacerdos communicans sub utraque specie.

Probatur 1. Ex figura Eucharistiæ , quæ fuit Manna, de quo dicitur Exodi 16. *Non amplius habuit, qui plus collegerat , nec qui minus paraverat , reperit minùs* ; Idest , sivè die veneris aliqui ex populo Israël plus , sivè minus collegissent pro die Sabbathi , semper inveniebatur æqualis mensura pro omnibus taxata , ut denotetur quòd sivè plus , sivè minus sumatur de speciebus Eucharisticis , sivè sumatur unica species, sivè utraque, non est tamen nisi idem effectus. Cibus etiam ille inserviebat populo Israël pro potu,ut denotaretur quòd qui sumit cibum Eucharisticum,non indiget potu ipsius , cum per solum panem Eucharisticum tam benè reficiatur , quàm per panem simul & vinum : sicut etiam lac pueris inseruit simul ac semel, & pro cibo, & pro potu.

Probatur 2. authoritate Concilij Tredentini, sessione 21. cap. 3. ubi ait , *Fatendum esse etiam sub altera specie totum , atque integrum Christum , verumque sacramentum sumi : ac propterea quod ad fructum attinet , nullâ gratiâ necessariâ ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.*

Respondent adversarij , quòd Concilium non dicit absolutè eos qui unicam speciem sumunt , non defraudari aliquâ gratiâ , sed addidit , *necessariâ ad salutem* : Verum autem est, quòd quamvis illi, qui utramque speciem sumunt , recipiant majorem gratiam , illa tamen major gratia, quam recipiunt per secundam speciem, non est ad salutem necessaria.

Sed contra : Vel concilium loquitur de gratia simpliciter necessaria ad salutem , vel de gratia necessaria secundùm quid ; primum dici non potest , quia ut supra ostendimus , gratia simpliciter necessaria ad salutem haberi potest sine Eucharistia : si verò dicatur secundum , sequitur quòd cum omnis gratia sit necessaria secundùm quid ad salutem, eo quòd necessarium secundùm quid idem est , ac utile, & nulla est gratia , quæ

non

non sit nobis utilis ad salutem; ideò si ille, qui non recipit nisi unicam speciem, non defraudatur aliquâ gratiâ etiam secundùm quid necessaria ad salutem, sequitur quòd nullâ prorsùs gratiâ defraudatur.

Probatur 3. & infertur ex supra dictis: Christus est totus, & totaliter, non minùs sub unica specie, quàm sub utraque: ergo si duo sint æqualiter dispositi, quamvis unus nempè laïcus unicam speciem sumat, sivè Hostiam consecratam, alter verò nempè Sacerdos sumat utramque speciem, panis, & vini; nihilominùs uterque recipiet eumdem effectum, eamdemque gratiam sacramentalem. Antecedens constat ex dictis; ostendimus enim supra, quòd omnia quæ ad Christum spectant, reperiuntur sub Hostia consecrata vel ex vi verborum, vel saltem per concomitantiam: Consequentia probatur: Christus est, qui gratiam causat in Eucharistia, juxta dispositionem eorum, qui ad ipsam accedunt: ergo si fuerit æqualis dispositio accedentium: & aliundè Christus sit æqualiter in una specie, ac in utraque, sequitur quòd sivè una tantùm species sumatur, sivè utraque, producitur eadem gratia sacramentalis.

Respondebis, Christum habere corpus suum in Hostia consecrata ex vi verborum, sed non habere in ipsa suum sanguinem nisi per concomitantiam; & è contra, ex vi verborum habere suum sanguinem in vino consecrato, & suum corpus habere in ipso per concomitantiam, ut supra diximus: cum igitur ex vi verborum plus habeat Christus in utraque specie, quàm in unica tantùm, sequitur quòd Christus mediante utraque specie plus producit de effectu, & gratia sacramentali, quàm mediante unica tantùm specie.

Sed contra: nam quòd aliquid sit in hoc sacramento ex vi verborum, vel solummodò per concomitantiam, hoc non auget, neque diminuit ipsius operationem: ergo nulla solutio. Probatur antecedens: quia Divinitas Christi non est in Eucharistia nisi per concomitantiam, & tamen, magis producit effectum sacramentalem, quàm corpus; aut sanguis, quæ sunt ibi ex vi verborum: nam Divinitas producit gratiam sacramentalem per modum causæ principalis, corpus verò,

& sanguis Christi non producunt eam nisi tanquàm instrumenta.

Probatur 4. Si utraque species simul produceret majorem gratiam, quàm una tantum; vel hoc fieret ratione specierum sacramentalium, vel ratione Christi sub ipsis contenti, vel propter expressiorem modum significandi: nihil horum dici potest; non primum, quia species sacramentales ex se ipsis nihil causare possunt, cum non sint nisi accidentia panis, & vini; neque etiam secundum, quia Christus sub speciebus contentus est totus, & totaliter tam benè sub unica, quàm sub utraque; neque etiam tertium, de quo solo posset esse difficultas; nam Baptismus si fiat per immersionem totius hominis in aquam, sicut fieri solebat in primitiva Ecclesia, expressius significat consepulturam ipsius baptizati cum Christo, quàm sit fiat per solam effusionem aquæ sicut modò fieri solet supra caput baptizandi: & sivè illa effusio fiat unica tantùm vice, sivè tribus vicibus, & ita vel minùs, vel magis exprimatur Mysterium Trinitatis; semper tamen sacramentum Baptismi eumdem confert effectum: ergo sivè sit unica species sacramentalis, sivè duplex, & ita sivè minùs, sivè magis significetur, & repræsentetur effectus sacramentalis, erit tamen semper idem, si fuerit eadem dispositio in illis qui accedunt ad Eucharistiam.

Responderi potest negando paritatem; quia sivè baptismus conferatur per immersionem, sivè per effusionem, sivè unicam, sivè trinam, non est nisi unum, & idem sacramentum; undè non est mirum si semper habeat unum, eumdemque effectum: sed Hostia consecrata, & vinum consecratum quamvis sint idem in specie, differunt tamen in individuo, & ideò diversum effectum debent habere.

Sed contra: nam etiam Hostia consecrata, & vinum consecratum se habent respectu Sacerdotis tanquàm unum, & idem sacramentum & in specie, & in individuo, sicut respectu laicorum se habet sola Hostia consecrata: ergo ex utraque parte est idem effectus, cæteris paribus. Consequentia patet: Antecedens probatur: unitas nedum specifica, sed etiam individualis sacramenti Eucharistiæ sumitur ex hoc, quòd ejus species

ordinantur ad unicam refectionem spiritualem, ut dicebamus supra agendo de unitate hujus sacramenti: sed Sacerdos utramque speciem sumens, debet utramque ordinare ad unicam refectionem suam spiritualem, sicut laïcus sumens solam Hostiam; undè & laïcus, & Sacerdos semel tantùm permittuntur sumere hujusmodi spiritualem refectionem in die: ergo unicum est sacramentum in individuo respectu Sacerdotis utramque speciem sumentis, & respectu laïci sumentis unicam tantùm, proindéque idem effectus est respectu utriusque.

ARTICULUS IV.

Solvuntur Objectiones.

Objicitur 1. Clemens Papa VI. in Bulla ad Regem Christianissimum concedit illi facultatem communicandi sub utraque specie; & dicit se hoc illi Privilegium concedere *Ad maius gratia augmentum*: ergo existimat summus ille Pontifex quod major gratia confertur per utramque speciem, quàm per unicam tantùm.

Respondeo hoc esse verum ex parte operantis, & propter majorem dispositionem accedentis ad Eucharistiam; sed non ex opere operato, quasi majorem effectum habeat de se utraque species, quàm una tantùm: nam summus Pontifex hoc non dixit, nisi quia supponebat quòd Rex majori cum devotione accederet ad Eucharistiam habens Privilegium sedis Apostolicæ recipiendi utramque speciem, quàm si tale Privilegium non habuisset.

Objicitur 2. Licèt totus Christus sub sola specie panis reperiatur, attamen non est ibi formaliter nisi quoad corpus, sanguis enim ibi reperitur solummodò concomitanter, ut etiam diximus supra: ergo quatenùs idem sanguis est sub vino formaliter, novam poterit communicare gratiam, si simul cum pane recipiatur vinum.

Respondeo, & est Regula generalis, quòd Christus Dominus causat gratiam nedùm per ea quæ habet in

sacramento Eucharistiæ formaliter, sed etiam per ea quæ habet ibi concomitanter: certum est enim secundùm omnes Theologos, quòd Divinitas Christi non est formaliter, & ex vi verborum in sacramento Eucharistiæ, sed concomitanter, & propter unionem cum corpore, & sanguine Christi; & tamen Divinitas non desinit esse causa gratiæ sacramentalis, immò Christus ut Deus est causa principalis gratiæ, ut diximus cum ageretur de causis sacramentorum, & gratiæ sacramentalis: quamvis igitur Christus in sola specie panis non reperiatur quoad sanguinem formaliter, sed concomitanter, sufficit quòd ibi sit totus sivè formaliter, sivè concomitanter, ut totam producat gratiam per hanc unicam speciem, quam producit per utramque.

Objicitur 3. & replicatur contra præcedentem solutionem: Quamvis Christus sit totus sub una specie non minùs quàm sub utraque; indè tamen sequitur solum quòd eadem est causa principalis, idemque primarium instrumentum gratiæ sacramentalis, quæ in Eucharistia communicatur: sed semper manet quòd sit multiplex, & diversum instrumentum secundarium, si sumantur simul & panis, & vinum: sed hoc sufficit, ut nova, vel major gratia communicetur utramque speciem recipienti: quàm unicam tantùm recipienti: ergo nulla solutio. Major constat: quia sicut Divinitas Christi est causa principalis hujus gratiæ, & humanitas instrumentum primarium, ita species sacramentales sunt instrumentum secundarium: sed constat hujusmodi species panis, & vini esse diversas: ergo diversa sunt instrumenta secundaria: Minor non videtur carere evidentiâ; cum enim causa principalis, vel etiam instrumentum primarium non communicet, nec producat suum effectum nisi mediante instrumento secundario, sequitur quòd si instrumentum secundarium sit multiplex, debet etiam effectus esse multiplex.

Respondeo, & est regula generalis, quando instrumentum est multiplex, nedùm materialiter, sed etiam formaliter, concedo; quando est multiplex, materialiter tantùm, nego: quia ut docent philosophi, instrumenta non agunt, quatenùs præcisè secundùm se, &

materialiter considerantur, sed quatenùs sumuntur formaliter, sivè prout important virtutem sibi communicatam à causa principali, vel ab instrumento primario: Quamvis autem panis, & vinum in Eucharistia materialiter, & secundùm se distinguantur, attamen formaliter, & reduplicativè quatenùs sunt instrumenta gratiæ, non distinguuntur, sed sunt idem, quia non recipiunt diversam virtutem, sed unam, & eamdem ad productionem gratiæ; undè unum, eumdemque effectum producunt, cæteris paribus.

Objicitur 4. Sufficit quòd species sacramentales materialiter, & secundum se distinguantur ad hoc ut possint, & debeant recipere diversam virtutem, & diversam producere gratiam: ergo nulla solutio. Antecedens probatur: quia septem ordines non magis inter se distinguuntur, quàm species sacramentales, reducuntur enim ad sacramentum ordinis, sicut species ad vnicum Eucharistiæ sacramentum, & tamen quilibet ex ordinibus præsertim sacris, & majoribus specialem gratiam producit: ergo idem dicendum de qualibet specie.

Respondeo, & est regula generalis, negando paritatem in his omnibus; quia quilibet ex ordinibus sivè majoribus, sivè minoribus institutus est ad executionem diversi Officij: undè specialem, & diversam gratiam confert ad exercendum hujusmodi officium, sicut specialem, & diversum imprimit characterem, ut suo loco explicabitur: sed tam species vini, quàm panis ad unum, & eumdem finem etiam proximum ordinatur, nempè ad Christum nobis communicandum per modum refectionis spiritualis; undè unum, eumdemque effectum producere debent.

Objicitur 5. Et replicatur contra præcedentem solutionem: sequeretur ex hoc, quòd si aliquis multoties communicaret cum eadem semper dispositione, nunquam reciperet novam gratiam: sed hoc est contra communem doctrinam Theologorum, qui existimant, quòd ille, qui cum simili dispositione multoties ad sacramentum Eucharistiæ accedit, recipit gratiam toties quoties, quamvis non recipiat majorem intensivè, si non afferat majorem dispositionem. Probatur

autem ſequela: quia omnis communio fit ad refectionem ſpiritualem, & Chriſtus eſt ſub qualibet Hoſtia in particulari, & ſub qualibet particula ipſius tam benè quàm ſub omnibus Hoſtiis.

Reſpondeo, negando etiam paritatem: Ratio autem diſcriminis eſt, quia quando ſimul ac ſemel intendit aliquis ſumere panem, & vinum, tunc eſt unicum numero ſacramentum totaliter, & adæquatè ſumptum conſtans ex qualibet ſpecie ex parte, ex qua totum componitur: immò idem eſt quando concomitanter ſolum, & per accidens ſumuntur plures Hoſtiæ ab illo, qui ſemel intendit communicare; & ideò conveniens eſt quòd tunc Chriſtus unicum producat effectum, & unicam gratiam: ſed quando intendit aliquis pluries communicare, tunc eſt ſacramentum numero multiplex, totaliter, & adæquatè, undè multiplicem, & diſtinctum debet habere effectum toties, quoties reïteratur.

Obijcitur 6. Sacramentum operatur, quando eſt perfectum: ſed quando aliquis in ſua communione intendit ſumere utramque ſpeciem, non eſt perfectum ſacramentum, nec ejus uſus completus, niſi quando ſumitur ſecunda ſpecies, nempè vini: ergo hujuſmodi ſpecies vini gratiam producit: aliundè ſpecies panis habet etiam de ſe gratiam producere, nec impeditur per alteram ſpeciem, quæ expectatur: ergo quando ſumitur utraque ſpecies, producitur duplex gratia; proindéque major, quàm ſi unica tantùm ſpecies recipiatur.

Reſpondeo, diſtinguendo illam propoſitionem; quando completum eſt ſacramentum, quoad applicationem productivam gratiæ, concedo; quoad repræſentationem ejuſdem gratiæ, nego: quamvis autem ſpecies vini juncta ſpeciei panis compleat repræſentationem, & perficiat ſignificationem, quæ fit in hoc ſacramento, nimirùm Paſſionis Chriſti Domini, & ſimiliter gratiæ, quam nobis promeruit; nihilominùs ſtatim atque prima ſpecies panis recipitur, totum ſacramentum quantùm ad virtutem productivam gratiæ eſt jam applicatum, quia Chriſtus totaliter reperitur cum tota virtute ſua in illa unica priori ſpecie, non

minùs quàm in utraque ; undè tunc statim producitur tota gratia sacramentalis.

Objicitur 7. Et replicatur contra præcedentem solutionem : Sacramentum Eucharistiæ perfectiùs significat gratiam per utramque speciem, quàm per unicam tantùm : ergo producit etiam perfectiorem, & majorem gratiam, quia est signum practicum, & non speculativum tantùm, ideòque producit gratiam, quam significat.

Respondeo verum esse, quòd significat perfectiùs ipsam gratiam, sed falsum esse, quòd propterea significet gratiam perfectiorem, aut ipsam conferat: & est exemplum manifestum in aliis sacramentis : Matrimonium enim, quod celebratur nutibus tantùm, vel signis, non ita expressè significat vinculum matrimonij, & gratiam sacramentalem, sicut illud, quod verbis ipsis celebratur ; & tamen certum est, quòd si celebrantes sint æqualiter dispositi, æqualem recipient gratiam, sivè matrimonium fiat verbis, sivè solùm nutibus : similiter in primitiva Ecclesia Baptismus, qui conferebatur per immersionem baptizati in aquam, meliùs significabat Passionem Christi, & gratiam Baptismalem, quàm significet modò, dum confertur per solam effusionem aquæ supra baptizatum ; & tamen modò Baptismus non minorem gratiam causat, quàm tunc causaret : ergo similiter non obstante quòd sit expressior significatio sivè passionis Christi, sivè gratiæ sacramentalis per utramque speciem, quàm per unicam tantùm, non est propterea productio majoris gratiæ, si non adsit major dispositio in eo, qui utramque speciem recipit, quàm in eo qui recipit unicam tantùm.

Objicitur ultimò: Quamvis sit idem agens, idemque patiens, si sit æqualis dispositio ex parte illius qui accedit ad Eucharistiam, si tamen duæ species sumantur: Christus erit diutiùs applicatus, quàm si sumatur una tantùm : sed diuturnior applicatio facit ut major sit effectus : ergo. Major constat : quia quamdiu subsistunt species sacramentales, tamdiu Christus est sub illis: sed duæ species subsistunt diutiùs, quàm una tantùm: ergo diutiùs Christus manet applicatus illi, qui duas spe-

cies recipit, quàm illi qui non recipit nisi unam: Minor verò sic ostenditur: Idem ignis applicatus duobus lignis æqualiter dispositis, & uni manens applicatus per unam horam, alteri verò per duas horas, sine dubio majorem isti ligno calorem communicabit, quàm illi: ergo diuturnior applicatio sufficit ad majorem effectum.

Respondeo, & est regula generalis in sequenti articulo magis explicanda: quando agens operatur toto tempore applicationis, sicut ignis in exemplo allato, concedo quòd majorem producit effectum; quando non operatur nisi in primo instanti applicationis, nego quòd propter diuturniorem applicationem producat majorem effectum: Christus autem non dat gratiam sacramentalem toto tempore, quo subsistit in stomacho illius, qui communicavit, sed in solo primo instanti, quo ab ipso recipitur, ut mox videbimus.

ARTICULUS V.

Quonam tempore Eucharistia suum producat effectum.

Conclusio: Eucharistia suum producit effectum, quando completur ipsius manducatio: & probabile est, quòd producat effectum suum toto illo tempore, quo remanet in stomacho.

Probatur prima pars conclusionis, & infertur ex dictis: Eucharistia operatur effectum suum per modum cibi spiritualis, & ejus effectus proprius est spiritualis refectio, juxta illud Jo. 6. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Sicut igitur cibus corporalis non producit effectum suum, quando adhuc est in ore, quia nondùm dicitur manducari, qui enim cibum in ore tenent, & non deglutiunt, non dicuntur manducare, aut comedere, nec manducatur aliquid, quando per guttur transmittitur, nisi inchoativè tantùm; tunc verò consummatur manducatio, quando cibus pertingit ad stomachum: ita Eucharistia non manducatur, quando est in ore tantùm, nec manducatur nisi initiativè, quando transit per guttur; man-

ducatur autem completivè, quando pertingit ad sto-
machum: quia igitur alia sacramenta, sicut diximus de
Baptismo, non producunt effectum sibi proprium,
quando sunt inchoata, sed solummodò quando sunt
consummata, sivè in ultimo instanti terminativo sa-
cramenti, sequitur quòd Eucharistia non producit
effectum sibi proprium, nisi quando consummatur
ipsius manducatio, sivè quando pertingit ad stoma-
chum.

Probatur etiam 2. pars: Debemus tribuere sacra-
mento Eucharistiæ id quod magis conducit ad gloriam
Christi, si nullum indè sequatur inconveniens: sed ma-
jor est gloria Christi, quòd quamdiu subsistit sub Eu-
charistia in stomacho illius, qui suscepit hoc sacramen-
tum, tamdiu operetur effectum sibi proprium; & aliun-
dè ex hoc non sequitur inconveniens: ergo hoc asseren-
dum est, juxta illud Christi Domini Jo: 9. *Quam-
diu in mundo sum, lux sum mundi*; ita quamdiu
est in stomacho illius, qui communicavit, lux est men-
tis ipsius, producendo effectum gratiæ vel habitualis,
vel actualis.

Objicitur contra primam partem conclusionis: Cibus
materialis non nutrit etiam animal quando pertin-
git ad stomachum, sed solummodò quando corruptus
est: ergo similiter Eucharistia non debet nutrire spiri-
tualiter, sive effectum sacramentalem producere etiam
si pertingat ad stomachum, donec species sacramenta-
les corrumpantur.

Respondeo, negando consequentiam, & paritatem:
quia cibus corporalis in tantùm nutrit, in quantùm
convertitur in substantiam viventis: sed cibus Eucha-
risticus non nutrit spiritualiter per sui conversionem in
substantiam communicantis, sed potiùs per conversio-
nem ipsius communicantis in substantiam Christi; undè
ipse Christus dicebat D. Augustino, quando ad Eu-
charistiam accessurus erat, *Non tu me mutabis in te,
sed tu mutaberis in me*: & ideò cibus Eucharisticus
ad effectum suum, nempè refectionem spiritualem,
expectare non debet consumptionem specierum sacra-
mentalium, sed statim atque pertingit ad stomachum.

debet suum habere effectum.

Objicitur contra 2. partem: hæc sententia dat occasionem superstitionibus, scilicet procurandi sibi plures, vel grandiores Hostias ad hoc ut Eucharistia diutius in stomacho remaneat, & abundantiorem producat effectum sacramentalem: sed hoc condemnatum fuit à Summis Pontificibus, ita ut Inquisitores procedant contra eos, qui dant, vel recipiunt duas Hostias: ergo talis opinio non est admittenda.

Respondeo non dari occasionem superstitionis, sed majoris diligentiæ: nam sicut supra diximus quòd unica species sacramentalis totum producit effectum sacramentalem non minùs quàm duplex species, ita minor hostia tantum per se loquendo producit effectum sacramentalem quantũ producit major hostia; licet per accidens sicut ille qui sumpsit Hostiam consecratã, si devotionem suam excitet, & majorem afferat dispositionem, antequàm recipiat vinum consecratum, recipit etiam majorem effectum sacramentalem; ita similiter per accidens qui majorem Hostiam recepit, si postquàm Hostia pertigit ad stomachum, devotionem suam excitet, & majorem dispositionem afferat, antequàm consumpta fuerit Hostia, recipit abundantiorem effectum sacramentalem. Idcircò autem Inquisitores procedunt contra illos, qui duas administrant, vel recipiunt simul Hostias, quia ex hoc ipso videntur censere quòd unica tantùm Hostia non sufficiat ad producendum effectum sacramentalem: De hac sententia videri potest Gonnetus in tractatu de Eucharistia disputatione 8. Articulo 2.

ARTICULUS VI.

Vtrùm ad effectum huius sacramenti Eucharistiæ requiratur devotio actualis excludens distractionem mentis.

Advertendum est, quòd hoc sacramentum Eucharistiæ duplicem gratiam confert ex opere operato, alteram correspondentem gratiæ habituali, & alteram cor-

respondentem gratiæ actuali: Primus effectus est aliquis novus gradus gratiæ sanctificantis, quem confert Eucharistia, nam ut diximus agendo de sacramentis in communi, sacramenta vivorum, & præsertim Eucharistia conferunt secundam gratiam, sivè augmentum gratiæ habitualis, & sanctificantis. Sed effectus correspondens gratiæ actuali est refectio quædam spiritualis, quia ut diximus initio hujus tractatus, Eucharistia cõfertur per modum cibi spiritualis, & cum sit proprium cibi reficere illum, qui sumit hujusmodi cibum, ideó proprius effectus Eucharistiæ correspondens actuali gratiæ est illa refectio spiritualis. Hoc prænotato.

Duplex est sententia tam inter Thomistas, quàm inter alios Theologos; altera docet, quòd sine actuali devotione excludente mentis distractionem, non suscipitur aliquis effectus Eucharistiæ: ita Caietanus, & alij plures: altera sententia docet, quod dummodò aliquis accedat ad Eucharistiam in statu gratiæ sine ullo mortali peccato recipit quidem augmentum gratiæ habitualis, sed non recipit illam refectionem, & dulcedinem spiritualem, quæ est proprius effectus hujus sacramenti: & hæc est communis inter Thomistas, & ipsius etiam D. Thomæ, ut constabit ex ejus authoritate.

Conclusio: Dummodò aliquis sit in statu gratiæ, quando accedit ad Eucharistiam, recipit novum gradum gratiæ habitualis, sed non recipit refectionem, & dulcedinem spiritualem, nisi actualem devotionem habeat excludentem mentis distractionem.

Probatur 1. & infertur ex dictis: Gratia habitualis, & sanctificans non opponitur nisi mortali peccato: ergo dummodó aliquis sine mortali peccato accedat ad Eucharistiam, recipit effectum ipsius correspondentem habituali gratiæ. Consequentia patet. Antecedens probatur: nam ut docent omnes Theologi in tractatu de gratia, ipsa gratia habitualis, & sanctificans compatitur peccata venialia: ergo non excludit nisi sola peccata mortalia. Sed illa actualis refectio, quæ correspondet gratiæ actuali, haberi non potest sine actuali devotione excludente distractionem mentis: sicut enim cibus corporalis licet nutriat, etiamsi aliquis non fa-

ciat reflexionem ab ipsius gustum, nihilominùs illa corporalis refectio non percipitur sine tali reflexione; ita similiter spiritualis dulcedo Eucharistiæ non percipitur, si ille qui Eucharistiam suscipit fuerit mente distractus, & non habeat devotionem actualem.

Probatur 2. expressa authoritate D. Thomæ 3. parte, quæstione 79. art. 8. ubi sic loquitur, *Effectus huius sacramenti Eucharistiæ non solùm est adeptio habitualis gratiæ vel charitatis, sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis, quæ quidem impeditur: si aliquis accedat ad hoc sacramentum per peccata venialia mente distractus, non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ & charitatis*: Quibus verbis nihil expressius, & clarius dici potest pro nostra Conclusione.


Objicitur 1. Idem angelicus Doctor 4. sententiarum, distinctione 12. quæst. 2. art. 1. quæstiuncula 3. sic loquitur, *Cum hoc sacramentum Eucharistiæ perficiat coniungendo fini, ad hoc quòd effectum suum plenè habeat in sumente, oportet quòd sit actualis devotio: & quia interdum absque mortali peccato actualis devotio impediri potest, cum distractiones variæ ipsam impediant, & peccata venialia virtutem actus tollant, absque mortali peccato potest effectus huius sacramenti impediri, ita quòd aliquis augmentum gratiæ non consequatur, nec tamen reatum peccati mortalis incurrat, sed fortè reatum peccati venialis, ex hoc quod imparatus accedat.*

Respondeo in hac authoritate nihil aliud velle D. Thomam, nisi quòd ille qui accedit ad Eucharistiam cum distractione, & sine actuali devotione, non consequatur *plenè*, & perfectè effectum hujus sacramenti, quamvis accedat in statu gratiæ, & sine mortali peccato: Et hoc est verissimum, quia ut jam diximus, non recipit gratiam actualem, licet recipiat habitualem.

Objicitur 2. Plures Sacerdotes per plures annos celebrant sacrificium missæ, & sumunt Eucharistiam, & tamen non proficiunt in via perfectionis, sed ita imperfecti manent, sicut erant, antequàm fierent Sacer-

dotes: ergo signum est, quòd effectum, & gratiam sacramentalem non recipiunt, quia licèt non accedant ad Eucharistiam in statu peccati mortalis, nihilominùs non accedunt etiam cum actuali devotione excludente distractionem mentis: ergo illa devotio excludens distractionem est dispositio requisita ad effectum Eucharistiæ.

Respondeo, quòd hujusmodi exempla convincunt actualem devotionem esse necessariam ad recipiendam gratiam actualem: sed nihilominùs semper manet, quód dummodò aliquis accedat ad Eucharistiam sine peccato mortali, recipit aliquem gradum gratiæ habitualis: hæc est enim differentia inter gratiam habitualem, & actualem, quòd actualis gratia semper habet annexum exercitium virtutis, & ideò eadem proportione, qua augetur, diminuuntur pravæ inclinationes: sed gratia præcisè habitualis, cum nullum importet actum, nullatenùs diminuit pravas inclinationes, & ideò maximus peccator accedens cum attritione supernaturali ad sacramentum pœnitentiæ, recipit per beneficium absolutionis gratiam habitualem, & sanctificantem, & nihilominùs sentit inclinationes pravas, non minus quàm si non fuisset absolutus: quia igitur hujusmodi Sacerdotes accedentes ad sacrificium Missæ in statu quidem gratiæ, & sine mortali peccato, sed tamen cum distractione, & sine actuali devotione, recipiunt habitualem gratiam, sed non actualem, ideò eorum imperfectiones non diminuuntur, sed easdem semper experiuntur inclinationes pravas, non minùs quàm si Eucharistiam nunquàm recepissent, & Missam non celebrassent.



QUÆSTIO IX.

De Sacrificio Missæ.

DE Sacrificio Missæ plura habentur in Theologia morali D. Thomæ Verbo, *Missa*, ad quorum intelligentiam sola lectio sufficit; unde superest, ut in hac Quæstione explicemus difficultates, quæ de hoc Sacrificio agitantur inter Catholicos, & Hæreticos.

ARTICULUS I.

Vtrùm Missa sit verum, & propriè dictum Sacrificium.

Hæretici hujus temporis negant ullum esse in Ecclesia verum sacrificium: sed omnes Catholici unanimi consensu docent Missam esse verum, & propriè dictum sacrificium: & ita fuit definitum in pluribus Concilijs, sed præsertim in Tridentino.

Conclusio: Missa est verum, & propriè dictum sacrificium.

Probatur 1 ratione fundamentali contra Hæreticos, sivè authoritate Scripturæ Sacræ; nam ut ait D. Augustinus epist. 49, *Nostrum Sacrificium non solùm Evangelicis, sed etiam Propheticis libris demonstratum est*: Brevitatis tamen gratiâ sufficiant duo testimonia, alterum ex novo, & alterum ex veteri Testamento. Ex novo quidem testamento formatur argumentum: Christus obtulit verum, & proprium sacrificium: sed præcepit, ut faceremus, quod ipse fecit: ergo & nos verum sacrificium offerre debemus, quod in ipsa Missa facimus. Minor patet: nam postquàm Christus Dominus instituit sacramentum Eucharistiæ, dixit Apostolis, & in ipsorum persona eorum successoribus, *Hoc facite in meam commemorationem*: Major in qua est tota difficultas, probatur: Apo-

ſtolus ad Hebræos 5. ait, quòd *omnis Pontifex constituitur, ut offerat ſacrificia* : Idem Apoſtolus de Chriſto etiam dicit, quòd *Factus eſt Pontifex in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech* : Sicut etiam Propheta Regius de Chriſto dixerat, *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech* : ex quibus locis formatur hoc argumentum: Chriſtus non poteſt vocari Sacerdos, & Pontifex ſecundùm ordinem Melchiſedech, niſi quia obtulit ſacrificium in pane, & vino, quando inſtituit ſacramentum Euchariſtiæ : ergo verum ſacrificium obtulit in hujuſmodi inſtitutione, & nos ex ipſius præcepto ſacrificium offerimus in Miſſa : Probatur antecedens : quia in Scriptura Sacra dicitur de Melchiſedech, quòd *Obtulit panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei Altiſsimi* : Cum igitur ut jam diximus ex Apoſtolo, nullus fiat Sacerdos, niſi ad hoc ut ſacrificium offerat, ſequitur, quòd in illa oblatione panis, & vini Melchiſedech ſacrificium obtulit ex officio ſui Sacerdotij:& cum in Scriptura non fiat mentio alterius ſacrificij ejuſdem Melchiſedech, præter iſtius ſacrificij, dicendum eſt quòd Chriſtus ſecundùm ordinem Melchiſedech eſt Sacerdos, quatenùs obtulit panem, & vinum in ſacrificium, quando inſtituit Euchariſtiæ ſacramentum.

Confirmatur : ſi Chriſtus non obtuliſſet aliud ſacrificium, præter ſacrificium Crucis, in quo ſuum ſanguinem pro nobis effudit, debuiſſet dici potiùs Sacerdos ſecundùm ordinem Aaron, quàm ſecundum ordinem Melchiſedech : nam conſtat ex ipſa Scriptura Sacra hanc fuiſſe differentiam inter hujuſmodi Sacerdotes, quòd Sacerdos Aaron offerebat ſacrificia cruenta, in quibus mactabat victimas, & earum ſanguinem effundebat:Sacerdos verò Melchiſedech ut jam diximus, obtulit ſolummodò ſacrificium incruentum, in quo nulla victima fuit mactata,nec ſanguis fuit effuſus,cum in ſolo pane, & vino conſiſteret: igitur ad hoc ut Chriſtus dicatur Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, requiritur quòd nedùm obtulerit ſacrificium cruentum in ara Crucis, in qua ipſemet tanquàm victima fuit occiſus, & ſanguis eius effuſus, obtulerit

etiam ſacrificium incruentum in ſacramento altaris, in quo victima non mactatur, nec ſanguis effunditur niſi myſticè,& repræſentativè, cum hujuſmodi ſacrificium importet ſolummodo panem,& vinum.

Reſpondent Hæretici, quòd Melchiſedech non obtulit panem, & vinum in ſacrificium, ſed ſolummodò ad refectionem militum Abrahæ, qui fatigati redibant ex prælio: undè notant, quòd in originali Hebræo non dicitur, *erat enim* Sacerdos Dei Altiſſimi, ſed dicitur, *&* *erat* Sacerdos Dei Altiſſimi.

Sed contra 1. Hæc expoſitio eſt contraria omnibus Sanctis Patribus, quorum plures refert Gonetus, dicunt enim quòd Melchiſedech non obtulit panem, & vinum ad refectionem militum Abrahæ, ſed in ſacrificium ad agendum gratias Deo pro victoria ab ipſis reportata de inimicis.

Contra 2. Notat idem Gonetus ex pluribus Scripturæ expoſitoribus, quòd apud Hebræos particula, *&*, idem valet ac, *enim*, aut, *quia*: undè author editionis vulgatæ perpendens vim, & efficaciam hujus particulæ, eam tranſtulit per particulam, *enim*, potiùs quàm per particulam, &.

Contra 3. Sivè ponatur particula *&* ſivè particula, *enim*, eadem ſemper eſt argumenti efficacia: nam Scriptura non facit ibi mentionem Sacerdotij Melchiſedech, niſi propter ipſius ſacrificium, cum ut jam diximus ex Apoſtolo, Sacerdos ſit inſtitutus ad ſacrificandum: ergo vult Scriptura, quòd Melchiſedech obtulit panem, & vinum in ſacrificium, eo quòd Sacerdos erat Dei Altiſſimi.

Contra 4. Semper manet tota vis, & efficacia argumenti in hoc, quòd oportet Chriſtum eſſe Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedech, quatenùs in ſuo ſacerdotio Chriſtus convenit cum ipſo Melchiſedech: & cum Sacerdos, ut Sacerdos, ſit inſtitutus ad ſacrificandum, ut jam diximus ex Apoſtolo, & ſatis ex ſe patet, oportet quòd Chriſtus conveniat cum Melchiſedech in ſacrificio ab ipſis oblato: & cum aliundè Hæretici nihil acceptare velint, niſi expreſsè habeatur in Scriptura, & in Scriptura non fiat mentio alicujus ſacrificij Melchiſedech niſi in pane, & vino, oportet quòd etiam

Chriſtus

Christus sacrificium obtulerit in pane, & vino.

Probatur etiam ex ueteri Testamento: Malachiæ 1. dicitur, *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra; ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus*: Ubi Propheta secundùm omnes interpretes, prædixit sacrificium, quod debebat succedere sacrificiis Judæorum, & in toto terrarum orbe erat ipsi Deo offerendum: sed nullum est aliud sacrificium, quod successerit sacrificiis Judæorum, & offeratur in orbe toto, præter sacrificium Missæ: ergo hujusmodi sacrificium est admittendum.

Respondent Hæretici in illo loco sermonem esse de sacrificio spirituali, & invisibili, quod sit per fidem, non autem de sacrificio exteriori, & visibili.

Sed contra 1. Sacrificium, de quo ibi fit mentio, & de quo est prophetia, debebat succedere sacrificijs Judæorum, ut jam diximus: sed sacrificium fidei erat in veteri Testamento, sicut in novo: ergo non est sermo de illo. Major patet: nam Propheta dicit, quòd veniet tempus, in quo Deus non acceptabit amplius sacrificia Judæorum, sed quòd novum, & mundum sacrificium ipsi est offerendum: vel saltem si hoc non dicat expressè, saltem dicit implicitè in verbis prædictis, & aliis antecedentibus, & consequentibus in eodem capite: Minor etiam probatur: nam omnes qui salvati sunt in veteri testamento habuerunt fidem in Christum venturum, sicut omnes qui salvantur in novo, habent fidem ipsius jam passi, & mortui: ergo sacrificium spirituale, & invisibile, sivè sacrificium fidei fuit in veteri testamento, sicut in novo.

Contra 2. Sacrificium spirituale, & invisibile non dicitur in Scriptura sacrificium simpliciter, & absolutè, sed cum aliquo addito, & modificatione, nempè sacrificium laudis, sacrificium vociferationis, & sic de aliis: cum igitur Propheta loquatur de sacrificio simpliciter, dicendum est ipsum loqui de sacrificio nedum spirituali, & interiori, sed etiam exteriori, & visibili.

quale est sacrificium Missæ.

Probatur 2. Quia ut ait D. Augustinus 19. contra Faustum, *In nullum nomen religionis sivè verum, sivè falsum coadunari homines possunt, nisi aliquo sacrificiorum, & sacramentorum visibilium consortio colligentur*: Ergo ex mente D. Augustini non potest religio Catholica subsistere sine sacrificio visibili, & exteriori, in quo possint adunari Catholici. Certè probari facilè posset ex Platone, Plutarcho, & aliis, ut referunt Cano, & Gonetus, quòd nulla umquàm fuit Respublica, in qua non fuerint aliqui sacerdotes, & aliqua sacrificia, adeò etiam lumine naturali constat non posse subsistere cultum Divinitatis, quin aliquod sacrificium in ipsius honorem fuerit oblatum.

Probatur 3. Lutherus, qui primus scripsit contra sacrificium Missæ, & ex quo alij hujus temporis Hæresiarchæ hanc hæresim desumpserunt, sicut plures alias, fatetur in libro de missa privata, *Quòd ipsi apparuit Diabolus, non in somno, sed quando benè vigilabat, qui & argumentatus est contra sacrificium Missa, & cum non potuerit Lutherus ipsius argumentis resistere, decrevit abolere hujusmodi sacrificium.* Ex qua confessione constat hanc Hæreticorum sententiam de abolitione missæ esse Diabolicam, sivè à Diabolo inventam, & ab ipso hominibus inspiratam.

Respondent Hæretici, quòd fas est etiam ab hoste doceri.

Sed Contra 1. fas quidem est ab hoste doceri, sed nefas est velle doceri de veritate ab ipso Patre mendacij.

Contra 2. Quæ securitas esse potest in doctrina illius, de quo maximè securi sumus quòd nihil aliud intendit, quàm homines decipere, & tandem perdere?

Contra 3. Quæ stultitia esse potest in Hæreticis, ut præter Scripturam, nullum aliud testimonium nequidem sanctissimorum Patrum acceptare velint, & nihilominùs testimonium Dæmonum acceptaverint?

Contra 4. Hæc est pœna debita maximè ipsorum

superbiæ, ut cum noluerint subijci Sanctis Patribus, tanquàm magistris suis, eò usque devenerunt, ut se ipsis Dæmoniis tanquàm magistris suis subjecerint. Habeant eos quantùm voluerint ut magistros, nos non habebimus alios quàm sanctos Patres.

Probatur 4. Ex nostris principiis: Debemus loqui de sacramentis, & de sacrificiis, prout expedit ad majorem gloriam Dei, & Christi, & majus bonum Ecclesiæ, & cujuslibet fidelis: sed expedit ad majorem gloriam Dei, quòd detur in Ecclesia verum sacrificium, quia ut constabit ex dicendis in sequentibus articulis, sacrificium importat perfectissimum Dei cultum: hoc est etiam ad majorem gloriam Christi, quòd instituerit perfectissimum sacrificium: similiter est majus bonum Ecclesiæ, & fidelium, quia ut jam ostendimus, nedùm ex Sanctis Patribus, sed etiam ex Philosophis gentilibus, religio nequit subsistere sine sacrificio: Ergo.

Objiciunt 1. Heretici: Non potest unum, & idem simul ac semel esse ex una parte sacramentum, & testamentum; & ex altera sacrificium: sed Eucharistia est sacramentum à Christo Domino institutum, & est etiam ipsius testamentum, ut dicebamus agendo de realitate Eucharistiæ: ergo non potest esse sacrificium. Minor constat: Major probatur à Luthero in libro jam citato: per sacramentum, & testamentum Eucharistiæ Deus nobis aliquid donat: per sacrificium verò nos aliquid offerimus ipsi Deo: sed implicat, quód aliquis ab altero simul ac semel aliquid accipiat, & illud idem ipsi offerat: ergo inter se pugnant ratio sacramenti, & sacrificij.

Respondeo 1. Retorquendo argumentum: nam 1. Paralipomenon 29. expressè dicitur, *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi*: Ergo necessariò fateri debent Hæretici, quòd illud idem quod à Deo recipimus, ipsi offerre possimus: & sic nulla est contradictio nequidem apparenter, quòd Eucharistia simul ac semel habeat rationem sacramenti, & testamenti, quod nobis à Deo confertur, & rationem sacrificij, quod à nobis ipsi offertur.

Respondeo 2. & est facilis regula generalis pro his,

& similibus objectionibus, distinguendo illam propositionem: non potest Eucharistia simul ac semel esse sacramentum, & sacrificium, sub eadem ratione, concedo, sub diversa, nego: & similiter licèt sub una, eadẽque consideratione non possit esse aliquid datũ nobis à Deo & à nobis ipsi oblatũ, benè tamen sub diversa, quatenus scilicet Eucharistia prout continet Christum Dominum, & nobis confert gratiam, est sacramentum, & testamentum nobis à Deo, & Christo collatum tanquàm maximum beneficium, quatenùs verò continet eumdem Christum Dominum tanquàm Hostiam sanctissimam, & victimam innocentissimam, quam offerimus Patri Æterno in satisfactionem pro peccatis nostris, est sacrificium excellentissimum, ut explicabimus magis in sequentibus articulis agendo de essentia, & integritate hujus sacrificij Missæ.

Objiciunt 2. In sacrificio debet aliquid offerri, & donari Deo: sed in Missa & panis sicut & vinum post consecrationem ab ipso Sacerdote consumitur communicando: ergo in Missa non est verum sacrificium. Minor patet: quia non potest Sacerdos celebrare sacrificium, quin simul communicet, & utramque speciem sumat: Major probatur: quia illud quod offertur in sacrificium, debet subsistere in rerum natura ad honorem, & cultum Divinæ Majestatis: ergo si consumatur, non offertur in sacrificium.

Respondeo 1. retorquendo argumentum; nam si aliquid probaret, convinceret etiam nullum prorsùs in veteri lege fuisse sacrificium, cum tamen Hæretici fateantur plura in veteri lege fuisse sacrificia, & manifestè constet ex ipsa Scriptura Sacra: Sequela probatur: quia ex eadem Scriptura patet, quòd omnia quæ offerebantur Deo in sacrificium, consumebantur per ignem: ergo si consumptio rei impediret rationem veri sacrificij, nullum fuisset in veteri lege sacrificium.

Respondeo 2. distinguendo illam propositionem; res illa quæ offertur in sacrificium non consumitur, si illa consumptio tam benè, quàm ipsa oblatio, non fiat ad honorem Divinæ Majestatis, concedo, vel potiùs transeat; si fiat utrumque ad honorem Dei, nego: nam si-

aut in veteri lege verum erat sacrificium, quamvis victima, quæ mactabatur, & cujus sanguis effundebatur, postea consumeretur per ignem, quia hæc omnia fiebant ad honorem Dei, ut protestarentur homines, quòd Deus erat absolutissimus eorum Dominus, quòd ad libitum poterat ipsos vel in vita conservare, vel occidere, uel etiam consumere, vel annihilare: ita etiam quamvis in Missa post consecrationem fiat consumptio utriusque speciei à Sacerdote communicando, nihilominùs non desinit Missa esse verum sacrificium, quia hæc omnia fiunt ad cultum, & honorem Divinæ Majestatis, ut magis explicabitur in sequenti articulo. Dixi, transeat, quia 2. Responderi potest, priùs fieri sacrificium, quam consumatur, eo quòd ut ostendemus in eodem articulo, essentia sacrificij Missæ consistit in ipsa consecratione panis, & vini: ergo fit ante communionem, & utriusque speciei consumptionem.

Objicitur 3. Apostolus in Epistola ad Hebræos sæpiùs ait, quòd in veteri lege *Plures erant Sacerdotes sibi succedentes, eo quòd morte prohiberentur permanere*: Sed in lege nova non debent Sacerdotes succedere Christo, eo quòd manet in æternum: ergo cum Sacerdos, & sacrificium sint correlativa, nullum debet aliud admitti sacrificium, præter illud quod à Christo Domino fuit oblatum in ara Crucis.

Respondeo 1. retorquendo argumentum; nam ipse Christus in Evangelio dicit, *Nolite fieri pluras Magistri, unus est enim Magister vester*: Et tamen quamvis solus Christus sit magister noster, non desinunt ipsi Heretici plures habere magistros, qui eis Scripturam Sacram explicent: ergo similiter stare potest quòd sit unicus tantùm Sacerdos in nova lege, nempè Christus Dominus, & tamen sub ipso sint plures Sacerdotes missæ sacrificium offerentes.

Respondeo 2 quòd Apostolus nihil aliud intendit, nisi assignare differentiam inter Sacerdotes veteris, & novæ legis: quòd in veteri lege summi Sacerdotes alij aliis succedebant, & æqualis erant authoritatis; sed in nova leve nullus Sacerdos succedit Christo Domino quasi æqualem habens authoritatem, sed solummodò ut Vicarius ejus, vel etiam ut

instrumentum ad sacrificium peragendum; undè etiam summus Pontifex dicitur quidem successor D. Petri, sed non dicitur successor Christi, sed Vicarius ejus in terris: sicut igitur licèt Christus Dominus sit unus, & solus magister noster principalis, attamen plures sunt alij magistri ipsi subordinati, & veluti ipsius Vicarij, eo quòd oportet ut ejus doctrina semper in Ecclesiis explicetur visibili, & sensibili modo, & cum hoc ab ipso fieri non possit, ut potè nunc existente in cœlis, & nobis invisibili, ideò conveniens fuit quòd eligeret aliquos ex hominibus ad hujusmodi magisterium visibiliter, & sensibiliter exercendum tanquam sua instrumenta: ita licèt ipse solus sit Sacerdos principalis offerens Deo sacrificium, quia tamen semper in Ecclesia debet esse aliquod sacrificium visibili, & sensibili modo oblatum, conveniens fuit quòd institueret ex hominibus aliquos Sacerdotes, per quos tanquam per instrumenta sua hujusmodi sacrificium offerretur, quod fit in ipso Missæ sacrificio: Undè Apostolus 2. ad Corinthios 5. ait, *Pro Christo legatione fungimur tanquàm Deo exhortante per nos*: ubi Apostolus se ipsum considerat tanquàm instrumentum Dei ad explicandam ipsius doctrinam: ita & sacerdotes debent se ipsos considerare ut instrumenta Christi ad sacrificium Missæ peragendum.

Objicitur 4. Apostolus ad Hæbræos 10. ait, *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos*, scilicèt Christus Dominus: sed si præter sacrificium ab ipso Christo Domino oblatum, foret aliud necessarium pro nostra sanctificatione, sacrificium Christi non fuisset consummatio nostræ sanctificationis: ergo præter sacrificium à Christo in ara Crucis oblatum, nullum aliud debet admitti sacrificium.

Respondeo 1. retorquendo argumentum: nam licèt Christus Dominus de sua passione dixerit, *consummatum est*, nihilominùs Apostolus ait, *Adimpleo ea quæ desunt passioni Christi*; quia nempè passio Christi Domini consummavit omnia pro redemptione nostra, quantùm ad valorem pretij, ita ut non sit expectandum aliud pretium, nec ab ipso Deo exigatur: sed tamen non fuit consummatio quantùm ad applicationem, ad

quam requiruntur dispositiones ex parte nostra, ut docent omnes Theologi in tractatu de justificatione: ita sacrificium in ara Crucis oblatum à Christo fuit consummatio nostræ sanctificationis quantùm ad valorem pretij, sed ad ipsius applicationem requiritur sacrificium Missæ.

Respondeo 2. Si Missæ sacrificium foret diversum à sacrificio Crucis, argumentum illud probaret aliquid, sed dicimus esse unum, idemque sacrificium quoad substantiam, quamvis differat in modo, quia sacrificium Crucis est cruentum, sacrificium verò altaris est incruentum; & tamen iste modus ad sacrificium Crucis ordinatur, quia fit in ipsius commemorationem, sicut nobis præcepit Christus Dominus. Quæ solutio magis constabit ex sequenti art.

Objiciunt tandem, quòd est injuriam facere sacrificio, quod Christus obtulit, velle aliud introducere sacrificium, quasi illud non foret sufficiens, cum fuerit superabundans. Sed.

Respondeo 1. retorquendo argumentum; sicut enim Apostolus dum ait, *Adimpleo quæ desunt passioni Christi*, non facit ei injuriam, quia hoc non dicit quasi passio Christi non foret plus quàm abundans ad nostram sanctificationem; sed quia Christus vult, quód cum ipso cooperemur ad nostram sanctitatem, & hoc est maxima ipsius gloria, quia agens tantò perfectius censetur, quantò nedùm ipsum potest agere, sed etiam alia reddere capacia secum agendi; ita gloria Christi est, ut nedùm ipse dignitatem habeat sacerdotii, sed etiam aliis possit eam communicare.

Et 2. Dicimus non esse aliud sed idem sacrificium, eadem enim est hostia in Cruce, & in Missa, scilicèt Christus ipse, quamvis ibi in Cruce fuerit oblatus modo cruento, hîc autem in Missa modo incruento: Tandem est idem Sacerdos principalis, nempè Christus, cuius omnes alii sacerdotes non sunt nisi instrumenta ad peragendum Missæ sacrificium.

ARTICULUS II.

In quo consistat essentialiter sacrificium Missæ.

Conclusio: Essentia sacrificij Missæ consistit in consecratione panis, & vini Eucharistici: oblatio verò utriusque; vel utriusque sumptio non est nisi de ipsius integritate. Ita plures ex Thomistis, & ex aliis, & præsertim Serra contra aliquos alios tam intra, quàm extra scholam D. Thomæ, & præsertim Dominicum Soto, qui existimat sumptionem utriusque speciei esse de essentia huius sacrificii.

Probatur 1. expressa authoritate D. Thomæ 3. parte, quæstione 82. articulo 4. ad primum, ubi ait, *Consecratio chrysmatis vel cuiuscumque alterius materiæ non est sacrificium, sicut consecratio Eucharistiæ.* Sentit igitur Sanctus Doctor, quòd saltem essentia huius sacrificii consistit in ipsa consecratione. Similiter in eadem 3. parte, quæstione 83. articulo 6. ad 3. ait, *Ne sacramentum remaneat imperfectum, debet aliud vinum apponere in calicem, & denuò resumere á consecratione sanguinis, & sacrificium perficere*; loquitur autem de Sacerdote, qui post consecrationem deprehendit venenum in calicem fuisse immissum; & vult quòd ut possit sumere utramque speciem, aliud vinum consecret: sentit igitur quòd sumptio utriusque speciei pertinet ad perfectionem huius sacrificii, non quidem ad perfectionem substantialem, sivè essentialem, sed ad perfectionem accidentalem, sivè integralem. Et cum hac distinctione, tanquàm regula generali explicantur facilè omnia D. Thomæ testimonia, immò plures præveniuntur obiectiones.

Probatur 2. & infertur ex supra dictis: Sufficit ad essentiam huius sacrificii, quòd fiat immutatio circa rem sensibilem ad honorem Dei ex motivo religionis, ut diximus in articulo præcedenti: sed istæ conditiones reperiuntur in sacrificio Missæ, statim atque fit consecratio utriusque speciei: ergo essentia huius sacrificii consistit in consecratione: oblatio verò, & sumptio utriusque speciei sunt integritas, & complementum sacrificij

crificij. Minor probatur: primò: Ex motivo religionis fit illud omne, quod Missam concernit: ergo consecratio est actus religionis 2. Panis, & vinum, quæ sunt sensibilia. & visibilia immutantur per consecrationem, quandoquidem transubstantiantur in Corpus, & sanguinem Christi 3. Hoc fit ad gloriam, & honorem Dei, sicut omne aliud, quod in Missa peragitur: ergo.

Probatur 3. & magis explicatur præcedens ratio, ex D. Thoma 3. parte, quæstione 80. articulo 12. ad tertium, ubi ait, *Repræsentatio Dominicæ passionis agitur in consecratione huius sacramenti.* Ex quibus verbis formatur hoc argumentum: Missa est sacrificium incruentum, quod repræsentat sacrificium cruentũ passionis Christi: sed talis repræsentatio substantialiter, & essentialiter consistit in consecratione, cætera sunt de ipsius integritate tantùm: ergo. Major constat: quia sacrificium Missæ fuit institutum à Christo Domino in commemorationem sacrificij Crucis: ergo in ipsius repræsentatione consistere debet. Minor autem probatur: Christus ponitur per consecrationem veluti mortuus sub specie panis; & sanguis ejus veluti effusus sub specie vini; quia ut supra fusè ostendimus, corpus Christi formaliter, & ex vi verborum consecrationis panis ponitur ut informatum anima rationali, prout ipsi dat esse corporeum tantùm; ita ut anima rationalis, prout dat esse animatum, non sit sub specie panis nisi per concomitantiam; atque ita corpus Christi non est formaliter, & ex vi verborum in Eucharistia, quatenùs animatum: undè formaliter, & præcisè ex vi verborum est ibi mortuum. Similiter formaliter, & ex vi verborum consecrationis vini, ponitur ibi Sanguis Christi Domini separatus à corpore, eo quòd corpus non est formaliter, sed tantùm concomitanter sub specie vini: atque ita sanguis ut separatus à corpore, proindéque ut effusus, ponitur per consecrationem in Eucharistia. Cum igitur constet, quòd corpus Christi mortuum, & Sanguis ejus effusus, repræsentant ipsius passionem, & mortem, constat etiam hujusmodi repræsentationem fieri in sacrificio Missæ per consecrationem, in qua

proindè sita est hujus sacrificij essentia: sed oblatio, quæ fit post consecrationem, & sumptio utriusque speciei facit explicitè, quod consecratio non facit nisi implicitè, ut patebit ex solutione objectionum, idcircò fatendum est quòd sunt de ipsius integritate.

Objicitur 1. Actio, in qua consistit sacrificium, non debet esse productiva, sed potiùs destructiva victimæ sacrificandæ, juxta definitionem jam traditam ipsius sacrificij: sed consecratio producit Christum Dominum sub speciebus Eucharisticis, & dat illi totum suum esse sacramentale: ergo in hujusmodi consecratione non potest consistere sacrificium Missæ, maximè quia sacrificium altaris est commemoratio sacrificij Crucis; undè sicut sacrificium Crucis præsupponebat Incarnationis mysterium, ita ut Christus in Incarnatione receperit esse, quod perdidit in Cruce, ita sacrificium altaris supponere debet mysterium consecrationis, ita ut Christus esse sacramentale priùs in consecratione recipiat, & ipsum postea perdat in sacrificio Missæ.

Respondeo, distinguendo illam propositionem, eadem actio nequit esse productiva victimæ, & sacrificium eius, sub eadem consideratione, concedo, sub diversa, nego: consecratio autem dupliciter spectari debet, vel primò quatenùs Christum ponit realiter, & substantialiter sub speciebus Eucharisticis, & sub illa consideratione nondùm habet rationem sacrificij, sed est solummodò productiva Hostiæ consecrandæ; 2. quatenùs Christum in Eucharistia ponit veluti occisum, & sanguinem eius veluti effusum, & sub ista consideratione non est productiva Christi, sed ipsius destructiva mysticè, & repræsentativè, & sic habet rationem sacrificij: sicut autem sacrificium Crucis præsupponit mysterium Incarnationis, ita consecratio, prout est sacrificium, supponit se ipsam prout est confectiva sacramenti, cum hac differentia, quòd Incarnatio fuit prior prioritate temporis ipso sacrificio Crucis, consecratio verò prout ponit Christum sub speciebus Eucharisticis, est prior solummodò prioritate virtuali, & prioritate rationis, se ipsâ, ut mysticè Christum destruit.

Obijci possunt 2. plura, quæ nihil aliud probant, quàm actiones subsequentes ad consecrationem esse de integritate hujus sacrificii, non autem de ipsius essentia. Undè cum huiusmodi distinctione, & regula generali præveniuntur huiusmodi objectiones.

ARTICULUS. III.

Vtrùm sacrificium Missæ sit propitiatorium, & impetratorium.

Advertendum est, fuisse in veteri lege quatuor genera sacrificiorum: primò enim, erant Holocausta, quæ offerebantur ad cultum, & honorem Divinæ Majestatis 2. Sacrificia propitiatoria, quæ offerebantur ad impetrandum propitiationem, sivè remissionem, & veniam peccatorum 3. Eucharistica, quæ offerebantur ad gratiarum actionem pro beneficiis à Deo iam receptis. 4. Impetratoria, quæ offerebantur ad impetranda ab ipso Deo nova beneficia.

Aliqui ex Hæreticis huius temporis fatentur quòd si Missæ sacrificium esset verum, & proprium sacrificium, esset holocaustum, & eucharisticum, quia Eucharistia offertur ad honorem Dei, & in gratiarum actionem pro beneficiis iam receptis, sivè pro redemptione nostra: sed negant propterea fore vel propitiatorium, vel impetratorium, quatenùs existimant non posse mediante tali sacrificio obtineri remissionem peccatorum, vel impetrationem beneficiorum Dei. Contra quos definivit Concilium Tridentinum sessione 22. capite 22. ubi sic dicitur, *Docet Sancta Synodus sacrificium istud veré propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentia contriti, & pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno: huius quippè oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentia concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Et Canone 3. sic habetur, *Si quis dixerit Missæ sacrificium tantùm esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam com-*

memorationem sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium; anathema sit.

Conclusio: Sacrificium Missæ nedùm est Holocaustum, & Eucharisticum, sed etiam sacrificium propitiatorium, & impetratorium.

Probatur 1. specialiter quoad esse propitiatorium: Nam Apostolus ad Hebræos 5. ait, *Omnis pontifex constituitur, ut offerat sacrificia pro peccatis*. Et ibidem subdit, *debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis*. Ergo sacrificium Missæ offerri debet a Sacerdotibus & pro se ipsis, & pro aliis in remissionem, & propitiationem pro peccatis: undè etiam D. Chrysostomus homilia 77. in Joannem ait, *pro infirmis & terræ, & maris, & universi orbis fructibus sacrificamus.*

Probatur 2. quoad utrumque: Lex nova perfectior est lege antiqua, ut fatentur omnes etiam ipsi Heretici: ergo in lege nova debent esse sacrificia, quæ eumdem effectum habeant, immò etiam excellentiorem, quàm sacrificia veteris legis: sed patet ex dictis, & habetur expressè ex Levitico, & Deuteronomio, & in toto ferè veteri Testamento, quód in antiqua lege erant sacrificia holocausta, & eucharistica, propitiatoria, & impetratoria: ergo debent reperiri in nova lege sacrificia, quæ hæc omnia præstent: & cum in nova lege non sit nisi unicum sacrificium, quod est sacrificium Missæ, debet illud unum sacrificium præstare omnes illos effectus, quos præstabant illa varia sacrificia veteris legis, ut ita verificetur illud axioma commune philosophorum, & Theologorum, quæ sunt dispersa in inferioribus, sunt unita in superioribus, ut proprietates, quæ dispersæ erant in pluribus sacrificiis veteris legis tanquàm inferioris, & imperfectioris, sint unitæ in sacrificio novæ legis tanquàm superioris, & perfectioris: undè etiam Ecclesia in oratione secreta post Dominicam Pentecostes ait, *Deus, qui legalium differentiam victimarum unius sacrificii perfectione sanxisti*. Et summus Pontifex Leo Magnus in sermone 7. de passione ait, *Ut novo expleretur sacrificio variarum differentia victimarum*. Et D. Augustinus lib. 17. de Civitate Dei, cap.

20. ait, *Hoc sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri.*

Probatur 3. & infertur ex nostris principiis: debemus sicut de sacramentis, ita & de sacrificio Missæ loqui prout expedit ad majorem Dei, & Christi gloriam, & majus bonum totius Ecclesiæ, & cujuslibet fidelis: sed ad hæc omnia convenientius est, quòd sacrificium Missæ habeat prædictas quatuor proprietates, ut per se patet; & aliundè nullum ex hoc sequitur inconveniens: ergo.

Objectiones quæ fieri possunt ab Hæreticis, jam præventæ sunt maxima ex parte in primo articulo hujus quæstionis, ubi ostendimus quòd sacrificium altaris non impediebat sacrificium Crucis, sed potius erat unum, & idem cum illo in ipsa substantia sacrificij, quamvis differat in modo sacrificandi: ita etiam in proposito dicimus, quòd quando tribuimus sacrificio altaris propitiationem peccatorum nostrorum, & impetrationem divinorum beneficiorum, non propterea denegamus, ut existimant hæretici, hanc propitiationem, ac impetrationem sacrificio Crucis; sed potiùs asserimus, quòd omnes hujusmodi effectus veluti radicaliter, & originaliter producuntur per sacrificium Crucis, & proximè, ac immediatè per sacrificium altaris; cum enim sacrificium altaris non sit nisi commemoratio, & applicatio sacrificij Crucis, oportet quòd omnes effectus, qui nobis applicantur per sacrificium altaris, producantur per sacrificium Crucis, ut virtualiter remanens in huiusmodi sacrificio altaris: sicut quia merita nostra non sunt nisi applicatio meritorum Christi Domini, ideò gratia, per quam justificamur, & gloriam obtinemus, principaliter attribuitur meritis Christi Domini, & dependenter ab ipsis attribuitur vel dispositionibus, vel meritis nostris.

Objiciunt præterea, quòd unus nequit recipere sacramenta pro altero: ergo neque sacrificium offerre pro ipso. Sed.

Facilè respondetur, negando consequentiam, & paritatem, quia sacrificium operatur per modum impetrationis, sacramentum verò per modum applica-

tionis ; undè oportet quòd sacramentum applicetur alicui, ut suum in ipso effectum habeat; sed sufficit quòd sacrificium offeratur pro altero, ut sacrificans obtineat pro illo aliquod beneficium, ut magis constabit ex articulo sequenti.

ARTICULUS IV.

Quosnam effectus habeat sacrificium Missæ, & quomodo ipsos producat.

Advertendum est primò, sacrificium Missæ sumi posse, vel prout involuit sacramentum Eucharistiæ, ipsiusque sumptionem, vel præcisè prout dicit rationem sacrificij: v. g. respectu sacerdotis, utramque rationem involuit, quia nunquàm sacrificare debet, quin simul etiam communicet: sed respectu aliorum sæpiùs unicam tantùm rationem importat, quia sæpiùs offertur sacrificium missæ pro illis qui non communicant. Quamvis autem explicuerimus effectus sacramenti Eucharistiæ, adhuc tamen de ipsis aliquid dicemus ob connexionem doctrinæ.

Advertendum est 2. quòd aliquid dupliciter causari potest per sacrificium Missæ, sicut per sacramentum Eucharistiæ, vel scilicet ex opere operantis, vel ex opere operato: Tunc effectus producitur ex opere operantis, quando ipsemet operans per suos actus producit effectus illos, vel se disponit sufficienter ad ipsos licèt cum habitudine ad Sacramentum, vel sacrificium: tunc verò fit ex opere operato, quando sacramentum, vel sacrificium habet ex propria ratione sua producere effectum, nec requiritur ex parte subjecti dispositio, vel saltem illa dispositio non est de se sufficiens ad talem effectum, nisi accedente sacramento, vel sacrificio, de hoc plura dicta sunt, cum ageretur de sacramentis in communi.

Advertendum est 3. quòd aliquis potest se habere ad sacrificium, sicut ad sacramentum dupliciter; vel scilicet cum dispositionibus requisitis ad recipiendos ipsius effectus, vel cum fictione: quæ fictio adhuc dupliciter sumi potest, vel quatenùs procedit ex bona

fide, vel quatenùs procedit ex mala fide: tunc fictio, sivê simulatio procedit ex mala fide, quando aliquis apparet dispositus, vel dicit se esse dispositum, & nihilominùs ipse scit se esse indispositum, & tunc susceptio sacramenti, vel confectio sacrificii est sacrilega: tunc verò procedit ex bona fide, quando ipsemet, qui accedit ad sacramentum, vel celebrat sacrificium, credit se esse benè dispositum, & tunc non committit sacrilegium. His prænotatis resolvenda est difficultas per plures conclusiones: igitur sit.

I. Conclusio. Sacrificium Missæ celebratum cum fictione, nunquam postea gratiam confert, recedente fictione.

Probatur, & simul explicatur. Verum quidem est, quòd D. Thomas loquendo de sacramento Baptismi, & etiam de sacramento Pœnitentiæ, docet quòd huiusmodi sacramenta fictè suscepta, conferunt postea gratiam, recedente fictione, Baptismus quidem confert eam physicè, sivè mediante charactere quem imprimit, Pœnitentia verò, quæ nullum imprimit characterem, confert eam moraliter tantùm: sed nihilominùs nunquàm dixit Doctor Angelicus, quòd quando fictio procedit ex mala fide, huiusmodi sacramenta suum habeant effectum, recedente fictione sed tantùm quando fictio procedit ex bona fide, ut diximus agendo de sacramentis in communi: De quo videri possunt testimonia D. Thomæ relata in Theologia Morali Verbo, *Fictio*. Ergo similiter quando celebratur sacrificium Missæ cum fictione procedente ex mala fide, sivè quando aliquis sciens, & volens in statu peccati mortalis celebrat, proindéque sacrilegium committit, nec tunc, nec unquàm postea tale sacrificium illi suum confert effectum. Et ratio est, quia Deus non patrocinatur sacrilegiis, videretur autem dare ipsis patrocinium, si etiam illi, qui sciens, & volens sacrificando committit sacrilegium, reservaret effectum sacrificii suo tempore conferendum: ergo dicendum est quòd sacrificium illud nullum respectu sic sacrificantis habet effectum.

Si verò aliquis ad altare sacrificaturus accedat cum fictione procedente ex bona fide, tunc est differentia in-

ter ſacrificium, ut importat ſacramentum Euchariſtiæ, & ipſa ſacramenta Baptiſmi, & Pænitentiæ, quòd Baptiſmus, & Pœnitentia fictè quidem ſed bona fide ſuſcepta valida ſunt, non tamen formata, & ideò in inſtanti, in quo recipiuntur, non cauſant gratiam, benè tamen poſtea, recedente fictione: ſed ſacramentum Euchariſtiæ, ut docet D. Thomas, propter ſuam ſummam excellentiam hoc habet, quòd ſi aliquis bona fide fictus accedat ad ipſum, in eodem inſtanti, quo recipit Euchariſtiam, tollitur huiuſmodi fictio, & ipſe iuſtificatur: quæ doctrina eſt maximæ conſolationis, & fuit magis explicata ſupra agendo de ſacramentis in communi, & de ipſo Euchariſtiæ ſacramento in particulari.

II. Concluſio: Quamvis ſacrificium Miſſæ nullum habeat effectum reſpectu Sacerdotis, quando ſciens, & volens celebrat in ſtatu peccati mortalis, non deſinit tamen ſuos habere effectus, reſpectu aliorum, pro quibus offertur. Ita omnes Theologi, nullo prorsùs excepto.

Probatur, & ſimul explicatur: Sacrificium Miſſæ dupliciter ſuos effectus habere poteſt, vel ex opere operato ipſiuſmet ſacrificii, vel ex opere operantis ipſius ſacrificantis, ſivè ex ipſius devotione: verum quidem eſt, quòd quando Sacerdos celebrat in ſtatu peccati mortalis, & eſt ſacrilegus, ſacrificium illud nullum effectum habet ex devotione ipſius ſacrificantis, ſivè ex opere operantis eius, quia ſacrificandis ſcienter in tali ſtatu, nullam veram devotionem habere poteſt: ſed nihilominùs ſemper manet, quòd ex opere operato, ſivè ex ipſo ſacrificio confertur effectus illis, pro quibus offertur. Et ratio eſt, quia effectus, quem habet ſacrificium Miſſæ ex opere operato, procedit ex ipſa veritate ſacrificii, & ex valore Hoſtiæ, quæ offertur, quæ eſt Chriſtus Dominus, & ex dignitate principalis offerentis, qui eſt idem Chriſtus Dominus: cum igitur certum ſit, immò de fide, quòd malus Sacerdos, quantùmvis celebret in ſtatu mortalis peccati, dummodò intentionem habeat, verum offert ſacrificium, & conficit Euchariſtiæ Sacramentum: cum etiam non ſit minùs certum, quod malitia Sacerdotis nullum

potest præjudicium afferre sanctitati Hostiæ in hoc Sacrificio oblatæ, neque dignitati principalis offerentis, sequitur esse etiam de fide, quòd quantacumque sit malitia Sacerdotis, effectus correspondens Sacrificio ex opere operato ipsius confertur illis, pro quibus offertur, si ex parte sua nullum ponant impedimentum.

Quod explicat D Thomas duplici exemplo: altero aquæ, quæ sivè currat per canalem argenteum, sivè per plumbeum, non desinit suum habere effectum: altero medici, qui sivè fuerit sanus, sivè ægrotus, potest ratione suæ artis conferre sanitatem alijs: & quòd canalis non est nisi medium deferens aquam, & corpus medici non est nisi instrumentum artis: Ita quia Sacerdos se habet ut medium veluti deferens, vel ad summum ut instrumentum respectu sacrificij, & Sacramenti, quamvis ipse sit in statu peccati, potest tamen & sacrificium, & Sacramentum: respectu aliorum habere suum effectum.

III. Conclusio: Sacrificium Missæ prout distinguitur à sacramento Eucharistiæ; sivè respectu illorum, pro quibus offertur, & qui non communicant, causat remissionem peccatorum nedùm venialium, sed etiam mortalium non quidem immediatè, sed mediatè.

Probatur simul & explicatur: Causare immediatè remissionem peccatorum mortalium, sivè primam gratiam sanctificantem, pertinet ad sacramenta secundùm omnes Theologos, & ideò non potest tribui sacrificio Missæ, pro ut distinguitur à sacramento Eucharistiæ: sed causare gratiam, & remissionem peccatorum mortalium mediatè, nihil aliud est, quam causare auxilium excitans hominem ad pœnitentiam, ita ut si homo benè utatur tali auxilio, gratiam sanctificantem obtineat, & peccatorum mortalium remissionem: & hæc causaliter tribui debet sacrificio Missæ ex opere operato; tum quia hujusmodi sacrificio tribuenda est causalitas perfectissima, quantùm fieri potest; cum igitur non possit ipsi tribui causalitas immediata gratiæ remissivæ peccatorum mortalium, debet saltem tribui causalitas mediata hujusmodi gratiæ: Tum quia Concilium Tridentinum sessione 22. capite

2. ait, *Docet sancta Synodus sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reverẽtia, contriti, & pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiã consequamur & gratiam inveniamus in auxilio opportuno; Hujus quippè oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Quibus verbis Concilium satis insinuat, quòd hoc sacrificium ex opere operato habet placare Deum erga peccatores, & ipsis impetrare auxilium excitativum ad pœnitentiam, ratione cujus crimina, ingentia, proindéque peccata mortalia remittantur.

Quantùm ad remissionem peccatorum venialium, minor est difficultas: nam si sacramentalia, ut aqua benedicta, panis benedictus, & alia hujusmodi causant remissionem saltem mediatè peccatorum venialium, quatenùs causant auxilium excitativum ad majorem fervorem, ratione cujus peccata venialia remittuntur, à fortiori sacrificium Missæ causat saltem mediatè eamdem remissionem peccatorum venialium. Propterea in canone utrùm de consecratione, distinctione 2. dicitur quòd *Missæ sacrificium quotidie iteratur, quia quotidie peccamus illis peccatis, sine quibus mortalis infirmitas vivere non potest, qualia sunt venialia:* Immò probabilis est aliquorum tum Thomistarum, tum aliorum sententia, qui dicunt, quod etiam aliquo modo sacrificium Missæ causat immediatè remissionem peccatorum venialium in illis, pro quibus offertur; quatenùs sicut dum aliquis est solummodò attritus attritione supernaturali, quamvis talis dispositio non sufficiat ad remissionem peccatorum mortalium, nihilominùs si cùm ipsa recipiat sacramentum Pœnitentiæ, delentur omnia peccata mortalia: ita quando aliquis postulat pro se offerri sacrificium Missæ, & habet aliquam de ipsis displicentiam, quæ tamen non sufficit ad remissionem eorum, tunc hujusmodi sacrificium causat remissionem venialium peccatorum, dando huic dispositioni suum ultimum complementum.

IV. Conclusio: Hoc sacrificium ex opere operato,

immediatè remittit pœnas correſpondentes peccatis mortalibus, vel venialibus jam remiſſis. Ita omnes Theologi.

Probatur, & explicatur: Quia ſacrificio Miſſæ tribuere debemus totum effectum, quem poſſumus, ſi nullum indè ſequatur inconveniens: ſed cum ſacramenta immediatè cauſent gratiam ſivè primam, ſivè ſecundam, & remiſſionem peccatorum ſivè mortalium, ſivè venialium, tanquàm proprium effectum ſuum, ſupereſt ut ſacrificio Miſſæ tribuamus pro effectu proprio remiſſionem pœnæ correſpondentis hujuſmodi peccatis jam remiſſis: ita ut dum aliquis v.g. per contritionem, vel per attritionem cum Sacramento, juſtificatur, ita ut ejus vel contritio, vel attritio totam quidem culpam tollat, loquendo de mortalibus, ſed non totam pœnam, ita ut pœna æterna; quæ debebatur mortalibus peccatis, antequam remiſſa forent, commutetur in pœna temporalem poſt eorum remiſſionem, ſicut dicemus in tractatu de Pœnitentia; tunc ſacrificium Miſſæ pro hujuſmodi pœnitente oblatum, infallibiliter remittat ex ipſo opere operato aliquid de hujuſmodi pœna temporali plus, vel minùs, juxta majorem, vel minorem ipſius diſpoſitionem: Et ſimiliter quandò aliquis fervorem concipit, per quem remittitur ipſi aliquod veniale peccatum, ſi fervor non ſit talis, ac tantus, ut ſufficiat etiam ad remiſſionem totius pœnæ correſpondentis huic veniali peccato; tunc ſi Miſſam audiat, vel pro ipſo ſacrificium offeratur vel tota pœna remittitur, vel ſaltem aliquid de ipſa.

Hoc etiam probatur ex Concilio Tridentino, loco jam citato, ubi docet, hoc ſacrificium valere ad remiſſionem pœnæ tam *pro vivis, quàm pro Defunctis in Purgatorio exiſtentibus*: Cum igitur in Purgatorio animæ non ſint capaces recipiendi auxilium, per quod eliciant actum ſatisfactorium, quia non ſunt capaces ſatisfactionis, ſed tantùm ſatiſpaſſionis, ut ſuo loco dicemus, idcircò ex Tridentino colligitur, quòd ſacrificium Miſſæ cauſat remiſſionem pœnæ non mediatè per aliqua auxilia, quæ conferat, & quibus mediantibus hujuſmodi pœna remittatur,

sed immediatè causando talem remissionem, sine ulla dispositione ex parte illius, cui pœna remittitur, dummodò aliundè nullum sit etiam ex parte ipsius obstaculum. Et hæc est differentia, quam attulimus in tractatu de justificatione, quòd culpa remitti non potest sine intrinseca mutatione illius, cui remittitur, sed potest remitti pœna sine intrinseca mutatione ipsius, per solam condonationem extrinsecam.

Ait etiam D. Thomas 3. parte, quæstione 79. articulo 5. quòd Eucharistia ut habet rationem sacramenti, non est instituta ad satisfaciendum: sed ad spiritualiter nutriendum: sed ut habet rationem sacrificij est instituta ad satisfaciendum. Ex quibus verbis satis habetur, quòd sacramentum Eucharistiæ immediatè ordinatur ad productionem gratiæ; sacrificium verò Missæ immediatè ordinatur ad remissionem pœnæ,

Objectiones quæ fieri possent contra præfixas conclusiones præventæ fuerunt per earum explicationem.

ARTICULUS V.

Utrùm valor Sacrificij Missæ, sit infinitus intensivè, & extensivè, ita ut oblatum pro pluribus, tantum prosit ipsis, quam si offerretur pro uno solo.

Advertendum est, quòd sacrificium Missæ quoad valorem suum dupliciter considerari potest, vel quantùm ad efficaciam, vel quantùm ad sufficientiam: fatentur omnes Theologi, hujusmodi sacrificium non habere valorem infinitum nec intensivè, nec extensivè quoad efficaciam, quia certum est non producere effectivè aliquid infinitum, nec applicari de facto infinitis hominibus; immò ipsum etiam sacrificium Crucis non habet hujusmodi valorem efficaciter, quia de facto non applicatur infinito numero personarum. Tota igitur difficultas est, an sicut sacrificium Crucis habet valorem infinitum quoad sufficientiam, ita etiam sacrificium Altaris.

Conclusio: Sacrificium altaris sicut sacrificium Crucis, est valoris infiniti tum intensivè, tum extensivè; & ita quamvis sit oblatum pro pluribus, tantum omni-

bus prodest, quantùm si foret oblatum pro uno solùm.

Probatur prima pars, & infertur ex dictis supra: Valor sacrificij Missæ sumi debet ex valore Hostiæ, quæ offertur, & ex dignitate principalis offerentis: sed illa hostia, quæ offertur in sacrificio Missæ, est infiniti valoris intensivè, & extensivè, & similiter principalis offerens est infinitæ dignitatis: Ergo sacrificium Missæ est infiniti valoris tum intensivè, tum extensivè. Major constat: nam sacrificium Missæ tria importat, scilicèt illum qui offert, id quod offertur, & eum cui fit oblatio: Hæc autem oblatio fieri debet ipsi Deo, ut constat ex definitione Sacrificij, & ex hac parte non est dubium, quin Sacrificium habeat infinitatem: Undé si etiam illam habeat ex parte rei oblatæ, & ipsius offerentis, non poterit non esse valoris infiniti. Minor probatur: Hostia, quæ offertur in sacrificio Missæ est ipse Christus Dominus cum omnibus meritis suis realiter existens sub speciebus Eucharisticis: principalis offerens est idem Christus Dominus tanquam summus Sacerdos; undè Concilium Tridentinum sessione 22. capite 1. ait, *idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversa:* Sed Christus, quovis modo consideretur, infinitam virtutem habet tum intensivê, tum extensivè; & sicut Sacrificium, quod obtulit in ara Crucis semetipsum offerendo, tantæ virtutis fuit, ut fit sufficiens quantùm est ex parte sua, nedùm ad salvandos omnes homines, sed etiam ad salvandos infinitos, immò infinitiès infinitos, si darentur, ut explicatur fusè in Tractu de Incarnatione: ita Sacrificium, quod ipsemet offert in Altari, eamdem virtutem infinitam habet & intensivè, & extensivè, præsertim quia ut ait Concilium, & explicuimus supra, idem est quoad substantiam Sacrificium Crucis, & Altaris, quamvis differant in modo, quia illud cruentum fuit, istud verò est incruentum.

Dices, quòd quamvis Christus sit principalis offerens, nihilominùs quia Sacerdos est minister ipsius, limitatur ex hac parte valor sacrificij, quia causa

universalis modificatur per particularem causam : & ideò communiter dicitur, quod effectus sicut conclusio, sequitur debiliorem partem : Quia ergo Sacerdos habet virtutem finitam, & limitatam, ideò quamvis Christus eam habeat infinitam, & illimitatam, nihilominùs sacrificium Missæ valorem habet finitum, & limitatum.

Sed contra : Quantùm ad valorem moralem, non attenditur minister, sed dominus, nec instrumentum, sed causa principalis : Ergo sufficit quòd Christus, qui est principalis offerens, & summus Sacerdos, sit infinitæ virtutis, ad hoc ut sacrificium Altaris sit infiniti valoris, quamvis Sacerdos minister ipsius ordinarius, sit virtutis finitæ. Probatur antecedens : nam quando Dominus præcipit servo suo, ut det eleemosynam, dummodò talis eleemosyna fiat ex bonis ipsius Domini, opus illud non est minùs meritorium, quàm si dominus ipse faceret per se ipsum eleemosynam. Similiter dum Rex mittit aliquod munus ad principem, quamvis illud mittat mediantibus ministris suis, nihilominùs existimatur munus regium, tantique valoris, ac si Rex ipse illud per se ipsum offeret : Ergo cum Christus Dominus mediante sacerdote, tamquàm ministro, & famulo suo, Missæ sacrificium offerat, hujusmodi Sacrificium tanti valoris est ac dignitatis, non obstante virtute finita Sacerdotis ordinarij, quàm si ipsemet Christus per se ipsum solùm immediatè Sacrificium illud offerret in Altari, sicut obtulit in Cruce : Præsertim quia dominus ad famulum, & Rex ad ministrum se habent moraliter tantum ; sed Christus ad Sacerdotem se habet & moraliter, & physicè, quia Christus utroque modo offert sacrificium Missæ mediante Sacerdote, tanquam famulo, & ministro, & instrumento.

Ad illud autem, quod subditur : Dicendum est, quod causa universalis modificatur per particularem, & per ipsam limitatur, quando se se accomodat ipsi sicut fit in rebus physicis : Sed quando è contra causa, universalis sibi accomodat particularem, ipsam elevando, tunc virtus causæ universalis non modificatur, nec limitatur per virtutem causæ particularis, sed

potiùs virtus causæ particularis elevatur per virtutem universalis: Et hoc patet in omnibus rebus moralibus, præsertim in exemplis jam allatis. Christus igitur quatenus est causa universalis in offerendo Missæ sacrificio, non se accommodat Sacerdoti ordinario, sed potiùs hujusmodi instrumentum sibi subordinat, & elevat, ita ut Sacrificium Missæ non habeat valorem finitum ex parte Sacerdotis ordinarij, sed infinitum ex parte summi Sacerdotis Christi Domini.

Secunda pars infertur ex præcedenti: Nam si sacrificium Missæ est infiniti valoris intensivè, ita ut sufficiat pro omnibus omninò hominibus, immò sufficeret pro infinitis, & infinities infinitis, si darentur; evidens est, quòd oblatum pro multis, tantum prodest omnibus, & singulis, quantum prodest uni, si pro illo solo fuerit oblatum. Undè considerari debet Missæ sacrificium veluti Mare magnum, in quo numquàm deficit aqua, quantumvis plures ipsam hauriant. Sicut igitur devotio unius non impedit devotionem alterius, immò quantum est de se, ipsam adjuvat: Ita quòd sacrificium Missæ offeratur pro pluribus, non impedit, quin totum, ac tantum effectum habeat, qualem, & quantum haberet, si pro uno tantùm foret oblatum: Immò potiùs ex hoc majorem quantùm est de se, effectum habet in quolibet ex illis, pro quibus offertur.


Objicitur 1. Sequeretur ex nostra Conclusione, quòd liceret pro eadem Missa recipere plura stipendia: Sed hoc fuit condemnatum à summo Pontifice Alexandro VII. inter plures propositiones ex modernis Casuistis desumptas: Ergo. Probatur sequela: quia si unicum Missæ sacrificium tantùm valet oblatum pro pluribus, & tantùm ipsis prodest, quàm si foret oblatum pro uno solo, non est cur non possint plura sumi stipendia.

Respondeo, negando sequelam: quia stipendium Missæ non sumitur tamquam pretium valoris Missæ: sic enim esset manifesta simonia: sed tanquàm eleemosyna ad vitam sustentandam, vel tanquam pretium ministerij, quod sacerdos exhibet, cui non debetur tanta compensatio, quantus est valor

Missæ, sed ea solùm, quæ taxatur per legem, vel per consuetudinem.

Objicitur 1. si quodlibet sacrificium Missæ foret infiniti valoris, non esset dicenda nisi unica Missa pro qualibet anima existente in purgatorio: sed hoc est contra piam consuetudinem fidelium: Ergo. Probatur sequela: quia anima existens in purgatorio nullum ponit obstaculum, sed potiùs omnem affert dispositionem ad hoc ut recipiat totum fructum, & effectum sacrificij Missæ: Ergo cum proprius effectus sacrificij Missæ sit remissio pœnæ, sequitur, quòd per unicam Missam animæ in purgatorio existenti applicatam, remittitur tota ipsius pœna, & sic statim à purgatorio liberatur, & sic inutile est plures ipsi Missas applicare.

Respondeo, negando sequelam: quia vt supra dicebamus, animæ in purgatorio non sunt in statu satisfaciendi, sed satispatiendi: Et ideò fructus, & effectus sacrificij Missæ non applicatur illis, nisi per eos qui sunt in hoc mundo. Et cum Missæ sacrificium non operetur, nisi juxta proportionem devotionis eorum qui ipsum applicant animabus in purgatorio existentibus, ideò non statim per quamlibet Missam remittitur tota pœna animæ quæ est in purgatorio; sed plus, vel minùs juxta devotionem eorum, qui talem applicationem faciunt: Et ideò conveniens est plures animabus Missas applicare, ut si non fiat integra remissio pœnæ per unam, vel alias, fiat per plures multiplicatas. Sed hoc magis explicabitur, quando agemus de Indulgentijs. Interim hæc dicta sufficiant pro Missæ sacrificio, & Augustissimo EUCHARISTIÆ Sacramento.



TERTIÆ

TERTIÆ PARTIS
THEOLOGIÆ THOMISTICÆ
TRACTATVS IV.
De Pœnitentia, & reliquis Sacramentis.

DIXIMUS initio tractatus de sacramentis in communi, quòd omnes tractatus de Sacramentis & utilissimi sunt, & jucundissimi: utilissimi quidem, quia nihil est in Ecclesia frequentius, quàm receptio, vel administratio sacramentorum, ideóque nihil etiam utilius esse potest, quàm habere notitiam eorum, quæ requiruntur, ad hoc ut benè suscipiantur, & ritè administrentur: jucundissimi etiam, quia nihil esse potest jucundius, quàm explicare difficultates, quæ simul ac semel concernunt fidem, & mores, Theologiam Scholasticam, & moralem; & aliundè nec sunt ita parvæ, ut non aliquod exercitium præbeant ingeniis, nec rursùs ita magnæ, ut cum aliquo labore percipi non possint; atque ita medium veluti locum tenent inter Theologicas difficultates. Sed quamvis hoc dici possit de omnibus, quæ concernunt sacramenta tum in communi, tum in particulari, potiori tamen jure dici debet de omnibus concernentibus Pœnitentiæ sacramentum; nihil enim hoc sacramento utilius, & magis necessarium, cum praxis ejus quotidiana sit, & omnibus necessaria; immò hujus sacramenti susceptio, post sacramentum Baptismi, est dispositio requisita ad receptionem omnium aliorum sacramentorum. Nihil etiam jucundius, quàm resolutio difficultatum, quæ in hoc tractatu agitantur,

omnes enim ita fidem, & mores respiciunt, ut tam inter Catholicos, & Hæreticos, quàm inter Catholicos ad invicem controvertantur, & omnes ita Theologiam Scholasticam, & moralem concernunt, ut æqualiter ad utramque spectare videantur: omnes etiam licèt satis difficiles, exemplis tamen rerum sensibilium faciles reddi possunt, ut constabit ex decursu totius tractatus.

Quatuor veluti prima principia, quæ nobis pro aliis sacramentis deservierunt, sivè in communi, sivè in particulari, supponi etiam debent pro sacramento Pœnitentiæ. nimirum quòd & de ipso loqui debemus, prout expedit ad gloriam Dei, & Christi maiorem, & maius bonum totius Ecclesiæ, & cuiuslibet fidelis. Quæ principia satis explicata sunt initio tractatus de sacramentis in communi.

Præter autem quatuor illa principia generalia pro sacramentis, duo sunt specialia pro sacramento Pœnitentiæ: alterum est, quòd hoc sacramentum institutum est per modum iudicii; & alterum, quòd institutum fuit etiam per modum remedii. Ex hoc duplici principio, quòd Pœnitentia simul ac semel sit iudicium, & remedium, inferemus omnes, quas in hoc tractatu explicabimus, conclusiones.

Connexio huius tractatus cum aliis satis patet ex iis quæ diximus de numero sacramentorum, in quo Pœnitentia ponitur post Eucharistiam, propter nempè rationem ibidem explicatam: undè absoluto tractatu de Eucharistia, explicandus est tractatus de Pœnitentia. Primò autem agemus de sacramento Pœnitentiæ in communi; deindè in particulari de omnibus ipsius partibus, quarum prima est contritio sivè perfecta, quæ simpliciter contritio dicitur, sivè imperfecta, quæ dicitur attritio: secunda est confessio: Tertia absolutio: & quarta satisfactio: ultimò tandem agemus de ipsa virtute Pœnitentiæ, cuius notitia non parùm conducit ad intelligenda ea, quæ traduntur de ipso Pœnitentiæ sacramento.

QUÆSTIO I.

De Sacramento Pœnitentiæ.

POEnitentia dicitur quasi *pœna tenentia*, ut notat D. Augustinus in libro de vera, & falsa pœnitentia, capite 19. quia qui pœnitet, culpam veluti reiicit, eam detestando, & pœnam retinet satisfaciendo. Sicut autem duplex est pœna, altera interior, & altera exterior: ita duplex est Pœnitentia; altera interior, quæ est ipsa virtus Pœnitentiæ; & altera exterior, quæ est ipsum Pœnitentiæ sacramentum, de quo agimus in hac quæstione: quamvis etiam, ut constabit ex dicendis, sacramentum Pœnitentiæ interiorem pœnam importet, & supponat.

ARTICULUS I.

An Pœnitentia sit speciale sacramentum ab aliis omnibus distinctum.

Circa Pœnitentiæ sacramentum duæ sunt principales Hæreses: altera antiquorum Hæreticorum, & præsertim Novatianorum: altera Hæreticorum huius temporis. Antiqui Hæretici dicebant non esse in Ecclesia sacramentum Pœnitentiæ, quia existimabant, quòd quando aliquis post susceptum Baptismum peccaverat, non poterat ampliùs obtinere remissionem peccatorum; & ita fuisset inutile sacramentum Pœnitentiæ distinctum à Sacramento Baptismi. Hæretici autem nostrates, quamvis existiment, eos, qui post Baptismum peccant, posse obtinere veniam peccatorum, dicunt tamen ad hoc sufficere rememorationem Baptismi; undè existimant non dari speciale sacramentum Pœnitentiæ distinctum à Baptismo. Contra quos Concilium Tridentinum

canone 14. & ſeſſione 4. canone 1. ſic definit, *Si quis dixerit in Catholica Eccleſia Pœnitentiam non eſſe verè, & propriè ſacramentum, anathema ſit.*

Concluſio: Datur in Eccleſia ſacramentum Pœnitentiæ ab aliis novæ legis ſacramentis diſtinctum, & præſertim à ſacramento Baptiſmi.

Probatur 1. Ratione fundamentali contra Hæreticos, ſivè authoritate Scripturæ Sacræ. Joann. 20. Chriſtus ait Apoſtolis, & in eorum perſona ſucceſſoribus ipſorum, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* Et Matth. 18. *Quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cælis, &c.* Ex quibus, & aliis locis ſimilibus formatur hoc argumentum. Ex eo quod Chriſtus dixit diſcipulis ſuis, *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, rectè colligitur dari ſacramentum Baptiſmi, in quo baptizatus abluitur ab omnibus peccati ſordibus, & ſpiritualiter regeneratur: ergo etiam ex illis verbis, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, rectè inferunt Catholici, & debent Hæretici inferre, dari ſacramentum Pœnitentiæ, in quo fit remiſſio peccatorum, & in quo ſanctificantur fideles. Probatur conſequentia Ideò ipſi etiam Hæretici admittunt ſacramentum Baptiſmi, quia exiſtimant non ſufficere interiorem ablutionem, quæ fiat per Spiritum Sanctum, ſed neceſſariam eſſe ablutionem exteriorem, & ſenſibilem quæ fiat mediantibus ipſius Dei miniſtris: ſignum autem exterius, & ſenſibile interioris, & inviſibilis gratiæ eſt verum ſacramentum. Sed ſimiliter ex aliis verbis colligitur quòd Pœnitentia non debet eſſe interior tantùm, ſed etiam exterior, & quòd non ſufficit, remiſſionem peccatorum fieri immediatè ab ipſo Deo, ſed quod fieri etiam debet modo aliquo viſibili, & ſenſibili mediantibus ipſius miniſtris: ergo etiam admittendum eſt, ſignum illud viſibile, & ſenſibile, per quod fit remiſſio peccatorum, eſſe verum ſacramentum diſtinctum à [illegible]iſmo, & ab alijs ſacramentis, quandoquidem, ut jam [illegible] ex D. Auguſtino, & D. Thoma ſacramentum illud [illegible] per modum judicij, & re-

medii, quod non convenit Baptiſmo, neque aliis ſacramentis.

Reſpondent Hæretici, verum eſſe, quòd peccata remittuntur per pœnitentiam, ſed ad hoc ſufficere ſolam memoriam, vel rememorationem Baptiſmi, cum fide ſivè fiducia ad paſſionem, & merita Chriſti.

Sed contra 1. Ex prædictis verbis infertur, quòd ad ſanctificationem hominis non ſufficit ſola fides, vel fiducia erga paſſionem, & merita Chriſti, ſed præter ipſam requiritur ablutio exterior, in qua conſiſtit ſacramentum Baptiſmi: ergo ex ſimilibus verbis inferri debet non ſufficere hujuſmodi fidem, vel fiduciam ad remiſſionem peccatorum, quæ committuntur poſt Baptiſmum, ſed neceſſariam eſſe exteriorem ablutionem, in qua conſiſtit ſacramentum Pœnitentiæ.

Contra 2. Si remiſſio peccatorum poſt Baptiſmum commiſſorum fieret per ſolam rememorationem Baptiſmi, & fidem in Chriſtum, ſequeretur, quòd Sacerdotes recepiſſent à Chriſto Domino ad ſummum ipſam poteſtatem abſolvendi, ſed non poteſtatem ligandi: nam quamvis per exhortationem ſuam alios excitare poſſint ad hujuſmodi rememorationem, & fidem, attamen eos impedire non poſſunt, ne, ſi velint, revocent in memoriam Baptiſmum, vel fidem habeant in Chriſtum, ut per ſe patet; & ita non poſſent Sacerdotes ligare peccatores, & eorum peccata retinere: ergo dicendum eſt, præter hanc rememorationem, & fidem, eſſe neceſſariam viſibilem abſolutionem Sacerdotum, qui quando ſuppoſitis debitis diſpoſitionibus eam conferunt, remittuntur peccata, & homines abſoluuntur: ſed quando juſta ex cauſa eam denegant, retinent peccata, & homines ligant.

Probatur 2. & infertur ex principiis hujus tractatus. Major gloria Dei. & Chriſti, & majus bonum Eccleſiæ, & cujuſlibet fidelis exigunt, quòd detur ſacramentum in Eccleſia per modum judicij, & per modum remedij: ſed hoc convenit ſacramento Pœnitentiæ, non autem Sacramento Baptiſmi, vel aliis ſacramentis: ergo. Major probatur. in omni Republica benè ordinata ſtabilitum eſt aliquod judicium, ad hoc ut puniantur crimina, & per debitam ſatisfactionem reparentur;

Præparata ſunt etiam remedia pro omnibus morbis corporis, qui poſſunt contingere: ergo major gloria Dei, & Chriſti, à quibus Eccleſia fundata fuit, tanquàm Reſpublica omnium perfectiſſima, majus etiam bonum Eccleſiæ, & fidelium exigit dari aliquod ſacramentum, in quo exerceatur judicium de peccatis, & inveniatur remedium contra ipſa, tanquàm contra ſpirituales morbos. Minor ſatis patet ex dictis de numero ſacramentorum, præſertim de Baptiſmo, quia certum eſt Baptiſmum conferri per modum ſpiritualis regenerationis, non autem ſpiritualis ſanationis: certum eſt etiam in ipſo non exerceri judicium de peccatis, ſed fieri gratuitam ipſorum remiſſionem quoad totam culpam, & quoad totam pœnam: alia etiam ſacramenta ad alios fines inſtituta ſunt: undè ſoli ſacramento Pœnitentiæ utraque ratio convenit, judicij ſcilicet, & remedij.

Propterea D. Auguſtinus lib. 2. de civitate Dei, cap. 9. explicans illud Apocalypſis, *Vide ſedes, & ſedentes ſuper eas, & iudicium datum eſt*, ſic loquitur, *Nec hoc putandùm eſt de ultimo iudicio, ſed per ſedentes ſuper ſedes Præpoſiti ſunt intelligendi, per quos nunc Eccleſia gubernatur. Iudicium autem datum nullum meliùs accipiendum videtur, quàm id quod dictum eſt, quæ ligaveritis in terra, erunt ligata & in Cælo.* Et D. Thomas 3. parte, quæſtione 65. articulo primo, hanc ſtatuit differentiam inter Baptiſmum, & Pœnitentiam, quòd Baptiſmus *Eſt ſpiritualis regeneratio, ſecundùm illud ad Titum 3. per lavacrum regenerationis. Pœnitentia verò eſt ſpiritualis ſanatio ſecundùm illud Pſalm. 40. Sana animam meam, quia peccavi tibi.*

Obijcitur 1. cum antiquis Hæreticis illud Apoſtoli ad Hebræos 6. *Impoſſibile eſt, eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti, guſtaverunt nihilominùs bonum Dei Verbum, virtuteſque ſæculi venturi, & prolapſi ſunt, rursùs renovari ad pœnitentiam rursùm crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes:* Ergo ex Apoſtolo, quando aliquis ſemel baptizatus mortaliter peccat, non-

datur ipsi ampliùs Pœnitentiæ locus; & ita non datur in Ecclesia sacramentum pœnitentiæ.

Respondet D. Thomas 3. parte, quæstione 84. art. 10. ad primum, *Dicendum quòd quia apud Iudæos erant secundùm legem quædam lavacra instituta, in quibus pluriès se ab immunditiis purgabant, credebant aliqui Iudæorum, quòd etiam per lavacrum Baptismi posset aliquis purificari pluries, ad quod excludendum Apostolus scribit ad Hebræos 6. quòd impoßibile est eos, qui semel sunt illuminati, scilicet per Baptismum, rursùm renovari ad pœnitentiam, scilicèt per Baptismum, qui est lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, ut dicitur ad Titum 3. & rationem aßignat ex hoc, quòd per Baptismum homo commoritur Christo unde subdit, rursùm crucifigentes sibimetipsis Filium Dei*: Hæc D. Thomas, cujus expositio videtur solidior, & magis conformis menti Apostoli, quàm expositio communis, quæ Apostolum intelligit non de impossibilitate physica, sed de impossibilitate morali, sivè magna difficultate, eo quòd valdè difficile est, quòd illi, qui semel illuminati sunt, & gustaverunt dulcedinem vitæ spiritualis, si contingat eos in peccata mortalia incidere, rursùm veram agere pœnitentiam.

Objiciebat 2. Si Deus paratus esset facere misericordiam peccatoribus veniam petentibus toties, quoties ad Pœnitentiæ sacramentum accedunt: videretur Deus sibi complacere in peccatis, & velle dare occasionem peccatoribus faciliùs, & sæpiùs reiterandi peccata; nam ut ait D. Ambrosius, sarmone 8. super psalmum 118. *Facilitas veniæ incentivum præbet delinquendi.* Sed istud est medium indignum Divinâ sapientiâ: Ergo & illud.

Respondet D. Augustinus in libro 50. Homiliarum, homilia 27. his verbis, *Dicunt nos dare peccatis licentiam, quia portum pœnitentiæ pollicemur: Si clauderetur aditus pœnitentiæ, nonne ille peccator tantò magis adderet peccata peccatis, quantò magis sibi desperaret ignosci?* Et post pauca subdit: *Ergo si tuleris portum pœnitentiæ, augebuntur peccata.*

Et alibi ait: ex hoc quòd Deus semper est paratus facere misericordiam, nedùm inferri non potest ipsi placere peccata, sed potiùs ex hoc maximè patet, quòd omnia peccata valdè detestatur, non enim concipi potest maior inimicitia, quàm si aliquis die, & nocte, qualibet hora, & quolibet momento paratus sit interficere inimicum suum. Cum igitur inimicus Dei non sit ipse homo peccator, sed ipsius peccatum, & Deus misericordiam faciens, remittat peccata, ipsaque destruat, salvando ipsum hominem; ex hoc quòd semper paratus est ad huiusmodi misericordiam, & remissionem, sequitur quòd maximè detestatur peccatum, quia semper est paratus ad eius destructionem, nisi homo ex parte sua ponat impedimentum.

Objiciunt 3. duo loca scripturæ, quorum primum est Lucæ 24. ubi dicitur *Oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis, ut prædicaretur in nomine eius pœnitentia, & remissio peccatorum in omnes gentes*: alterum verò est Actorum 2. ubi habetur quòd Petrus Apostolus ait, *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum*. Ex quibus duobus locis colligunt, vel quòd potestas administrandi beneficium pœnitentiæ nihil est aliud, quàm potestas prædicandi Evangelium: vel quòd si sit potestas administrandi aliquod sacramentum, non est potestas nisi administrandi sacramentum Baptismi.

Respondeo 1. retorquendo argumentum: Habemus enim alia Scripturæ loca iam citata pro nostra conclusione, in quibus datur authoritas administrandi pœnitentiam per modum iudicii: & cum prædicator non sit iudex, ut per se constat, nec in Baptismo exerceatur iudicium, ut certum est apud omnes, necesse est ex Scriptura Sacra inferre sacramentum Pœnitentiæ, præter Evangelii prædicationem, & præter Baptismum.

Respondeo 2. & est Regula generalis, quòd hæc loca, & alia similia intelligi debent de Pœnitentia ut virtute, & non de Pœnitentia ut Sacramento; & sic conciliantur loca Scripturæ Sacræ, quia concionatores prædicando Evangelium excitant in auditoribus virtutem Pœnitentiæ, sed Sacerdotes tanquàm iudi-

ces administrant eisdem fidelibus Sacramentum Pœnitentiæ. Similiter Pœnitentia ut virtus præcedit Sacramentum Baptismi saltem in adultis, qui ad minùs debent habere attritionem de peccatis suis, ut fructuosè Baptismum recipiant: Sed Pœnitentia ut Sacramentum subsequitur Baptismum, quia cum sacramentum Baptismi sit janua Sacramentorum, necesse est prius recipere Baptismum, quàm possit aliquis recipere pœnitentiæ Sacramentum.

Objicitur 4. cum Hæreticis hujus temporis: Non debemus facere nisi quod Christus fecit: Sed non legimus in Scriptura Sacra, quòd Christus administraverit sacramentum Pœnitentiæ: Ergo non debent Sacerdotes hoc Sacramentum administrare.

Respondeo 1. retorquendo argumentum: nam habemus in Evangelio Joannis 5. quòd Jesus non baptizabat: Ergo neque ministri Christi deberent baptizare, quod tamen faciunt ipsi Hæretici.

Respondeo 2. quòd sicut ibidem dicitur, quamvis ipse Jesus non baptizaret, discipuli tamen ejus baptizabant: Et ita noluit per se ipsum immediatè conferre sacramentum Baptismi, sed per suos discipulos: Ita etiam noluit immediatè per se ipsum conferre sacramentum Pœnitentiæ, & nihilominùs voluit, quòd discipuli sui, & eorum successores, nempè *Sacerdotes* hoc Sacramentum conferrent. Et hoc conveniens erat, ut ostenderet Christus se habere plenissimam potestatem remittendi peccata, & sanctificandi homines independenter ab ipsis Sacramentis, cum tamen nos neutrum possimus facere nisi dependenter ab illis.

Objicitur 7. Divus Augustinus in libro de nuptijs, & concupiscentia, capite 33. ait quòd *lavacro regenerationis non tantum peccata præterita, sed etiam posteriùs admissa remittuntur*: Ergo ex mente D. Augustini ad remissionem peccatorum, etiam illorum, quæ committuntur post Baptismum, non requiritur sacramentum Pœnitentiæ à Baptismo distinctum, sed sufficit hujusmodi sacramentum Baptismi in memoriam revocari.

Respondeo 1. retorquendo argumentum; nam idem

Divus Augustinus, Epistolâ 23. ait *Si parvulus baptizatus, grandævus factus propria incæperit habere peccata per quam gratiam remittentur? non regeneratione, sed alia curatione resarciri possunt.* Ubi expressè Doctor sanctus asserit, per Baptismum remitti non posse peccata post ipsum commissa. Et Epistolâ 180. loquens de casibus, in quibus omnes cives periclitantur, ait: *An non cogitamus cum ad istorum periculorum pervenitur extrema, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu concursus, alijs Baptismum flagitantibus, ali s reconciliationem, alijs etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem, & erogationem.* Ubi etiam sanctus Doctor manifestè distinguit Sacramentum reconciliationis, sivè Pœnitentiæ, à sacramento Baptismi.

Respondeo 2. & est Regula generalis pro his, & similibus testimonijs; quòd Baptismus peccata subsequentia delet radicaliter, & inchoativè; non autem formaliter, & completivè: quatenùs scilicèt Baptismus est janua sacramentorum, sine qua nullum aliud Sacramentum validè suscipi potest: Undè ad hoc ut aliquis sacramentum Pœnitentiæ suscipiat, requiritur quòd Baptizatus fuerit, & habeat ipsius Baptismi charactêrem: Igitur per hujusmodi charactêrem veluti per fundamentum omnium Sacramentorum inchoatur remissio omnium peccatorum, sed completur hæc remissio per alia Sacramenta superaddita, & præsertim per sacramentum Pœnitentiæ. Et quód hæc sit vera mens divi Augustini, patet ex eo quod ibidem subdit sic, *Quid enim prodesset vel ante Baptismum pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur, vel postea, nisi præcederet?* quasi diceret, quòd Sacramentum Pœnitentiæ nihil operari potest, nisi præcesserit Sacramentum Baptismi; & ita per Baptismum præsuppositivè, per Pœnitentiam verò formaliter remittuntur peccata.

Obijcitur 6. Idem Divus Augustinus tractatu 80. in Ioannem ait, *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Et D. Thomas 3. parte, quæstione 84. articulo primo, refert authoritatem Divi

Gregorij dicentis, *ſacramenta ſunt Baptiſmus, Chriſma, Corpus, & Sanguis Chriſti, quæ ob id Sacramenta dicuntur, quia ſub tegumento corporalium rerum divina virtus ſecretius operatur ſalutem.* Sed in pœnitentia nullum eſt elementum, nulla res corporalis, ſub cujus tegumento lateat virtus Dei, Ergo non eſt Sacramentum.

Reſpondeo ex D. Thoma ibidem, quòd divus Gregorius exemplificavit hæc tria Sacramenta, eo q od in alijs Sacramentis omnia fiunt cum proportione ad hæc tria; & in ipſo ſacramento Pœnitentiæ actus pœnitẽtis illud præſtant, quod præſtat aqua in Baptiſmo, & Chryſma in Confirmatione, ſunt enim materia proxima hujus Sacramenti, ut videbimus in Articulo ſequenti. Virtus autem divina operatur ſub tegumento verborum abſolutionis, quæ corporea ſunt. Deinque D. Auguſtinus ſumit elementum non ſtrictè, & propriè pro aliquo ex quatuor elementis, ſic enim elementum in ſolo Baptiſmo interveniret, ſed latè, & minùs propriè pro aliqua re ſenſibili, & viſibili; & ſic in ſacramento Pœnitentiæ actus pœnitentis habent rationem elementi, ut etiam magis dicemus in ſequenti Articulo.

Objectiones aliæ, quæ contra Concluſionem vel ex ipſa Scriptura, vel ex ſanctis Patribus fieri poſſunt, militant in particulari contra peccatorum confeſſionem, & facultatem abſolvendi; undè proponentur, & ſolventur infra, quãdo agemus de Confeſſione, & Abſolutione.

ARTICULUS II.

De materia, & forma, eſſentia, & natura Sacramenti Pœnitentiæ.

Advertendum eſt quòd ſecundùm Philoſophos triplex eſt materia, ſcilicet materia in qua, ex qua, & circa quam. Materia in qua aliquid recipitur, ſicut ſubjectum, eſt materia in qua recipiuntur accidentia; & ſic conſtat ipſum pœnitentem eſſe materiam, in qua, ſivè ſujectum, in quo recipitur, & cui applicatur ſacramentum Pœnitentiæ. Materia ex qua aliquid componitur, eſt materia ſimpliciter dicta, ex qua ſimul

& ex forma resultat totum compositum, sicut ex corpore, & anima componitur homo: Materia autem circa quam versatur aliquid, est objectum ad quod vel considerandum, vel destruendum aliud ordinatur. Dubitatur, quænam sit materia ex qua, & circa quam, respectu sacramenti Pœnitentiæ, sivè ut loquitur D. Thomas, & videri potest in morali Theologia verbo *Pœnitentia*, quæstione 3. alia est materia remota non acceptanda, sed destruenda; alia materia proxima & acceptanda, & conservanda hujus Sacramenti.

Advertendum est 2. ex eodem D. Thoma ibidem, quæstione 4. quòd pœnitentia ut virtus, non se extendit propriè ad originale peccatum destruendum, sed tantùm latè, & minùs propriè: sed ordinatur ad destruendum propriè peccatum personale sivè mortale, sivè veniale: quia propriè non pœnitemus de peccato ab alijs commisso, & ad nos transfuso, sicut est originale peccatum, sed de peccato à nobis commisso, sicut est peccatum personale: Pœnitentia verò ut Sacramentum non ordinatur directè contra originale peccatum, quia subsequitur sacramentum Baptismi, quòd est institutum contra hujusmodi peccatum: nec etiam ordinatur de necessitate contra peccatum personale veniale, quia peccata venialia non sunt necessariò exprimenda in sacramento Pœnitentiæ, sed ordinatur contra peccatum personale mortale commissum post Baptismum: Undè sit.

Conclusio: Peccata mortalia post Baptismum commissa, sunt materia remota sacramenti Pœnitentiæ: actus verò pœnitentis, ut Contritio, & Confessio sunt materia proxima: Absolutio est forma essentialis: Satisfactio verò integralis. Ita Divus Thomas loco citato, quæstione 3. & sequentibus, & communiter Theologi.

Probatur, & infertur ex prædictis principijs: Sacramentum Poenitentiæ habet rationem judicii, & remedij: sed de ratione judicij est, quòd versetur circa crimina, tanquàm circa materiam remotam, in judicio destruenda; sicut est de ratione remedij, quòd versetur circa morbum tanquàm materiam ab eo expellendam: Ergo est etiam de ratione Sacramenti Poenitentiæ,

quòd versetur circa crimina, & circa morbos spirituales, sivè peccata, tamquàm materiam ab ipso destruendam. Similiter judicium exigit tanquàm materiam proximam, ex qua componi debet, dolorem, & ipsam rei confessionem, præsertim quando hujusmodi judicium ordinatur ad bonum illius, qui judicatur: Exigitur etiam adhoc ut remedium prosit ægroto, quòd sanari velit, & suum morbum exponat medico: Ergo in sacramento Poenitentiæ tãquàm in judicio, & remedio spirituali exigitur quòd poenitens doleat de peccatis, quòd velit sanari à suis morbis spiritualibus, & quòd omnia manifestet Sacerdoti, tanquàm judici, & medico spirituali: atque ita actus poenitentis, nempè contritio, & Confessio, immò etiam satisfactio, saltem in animi præparatione, sivè propositum satisfaciendi, sunt materia ex qua cõponitur hujusmodi sacramentum, & sunt materia conservanda, & perficienda per sacramentũ Poenitẽtiæ quia per ipsum elevãtur, eo modo, quo explicabimus posteà: sunt materia proxima; & immediatè super illos actus applicatur ipsa forma.

Similiter in judicio: forma, quæ constituit essentiam judicij, est ipsa absolutio: Et forma constituens essentiam remedii, est ipsa sanatio. Igitur in sacramento Poenitentiæ, absolutio Sacerdotis tanquàm Judicis, & tamquàm medici, se habet ut forma applicata super actus poenitentis, & constituens essentiam, & naturam hujus Sacramenti. Et quia forma, quæ advenit post ipsam essentiam, est accidentalis, & pertinet ad integritatem rei, ideò satisfactio subsequens absolutionem non est nisi de integritate hujus Sacramenti, ut suo loco fusè explicabimus.

Ex his autem omnibus habetur definitio sacramenti Poenitentiæ, quòd nempè est Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum contra peccata post Baptismum commissa, ad eorum absolutionem, & in eorum remedium. Ubi priores particulæ tenent locum generis; in hoc enim sacramentum Poenitentiæ convenit cum alijs, quòd sit Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum; posteriores verò tenent locum differentiæ; in hoc enim differt ab alijs & hoc est ipsi proprium, quòd sit institutum in absolutionem, & remedium peccatorum post Baptismum cõmissorũ.

Objicitur 1. authoritas Concilij Tridentini, sessione 14. capite 3. & Canone 4. dicentis, actus poenitentis esse *quasi materiam* sacramenti Poenitentiæ: Quo loquendi modo ante Concilium usus est D. Thomas, opusculo 5. sed particula, *quasi*, est diminutiva, & denotat hujusmodi actus non esse materiam hujus Sacramenti, propriè, & simpliciter loquendo: Quod etiam probatur ratione; quia materia ex qua aliquid componitur, debet subsistere simul cum forma; quomodo enim ex materia, & forma posset conflari unum compositum, si non existerent simul ac semel? Sed actus poenitentis non existunt simul cum absolutione sacerdotis, sed se habent ad ipsam præsuppositivè, oportet enim præsupponere, quòd poenitens sit contritus de suis peccatis, & quòd ea confessus sit, antequàm possit Sacerdos ipsum absolvere: Ergo fieri non potest, quòd ex actibus poenitentis tanquàm ex materia, & absolutione Sacerdotis tanquam formâ, resultet, & componatur Sacramentum Poenitentiæ.

Respodeo ex nostro Dominico Soto, qui interfuit Concilio Tridentino, quòd illa particula *quasi*, non fuit addita loquendo de Sacramento Poenitentiæ absolutè, sed loquendo de ipso respectivè ad alia Sacramenta, ita ut sensus sit, quòd licèt absolutè actus pænitentis sint materia hujus Sacramenti, non est tamen hæc materia similis materiæ aliorum Sacramentorum, sed se habet *quasi* materia aliorum, eo quòd in aliis materia est tota corporea, sensibilis, & visibilis, ut aqua in Baptismo, Chrysma in Confirmatione, & sic de aliis: actus verò poenitentis, qui sunt materia Sacramenti Poenitentiæ, sunt partim interiores, spirituales, & invisibiles, partim exteriores, sensibiles, & visibiles: poenitentia quidem exterior ingreditur Sacramentum Poenitentiæ tanquàm ipsius materia, sed poenitentia interior non est materia ejus, quia Ecclesia non judicat de internis.

Ad rationem subjunctam, dico eâdem proportione materiam, & formam debere esse simul, quâ totum componunt: Si componant physicè, sicut corpus, & anima componunt hominem, debent esse simul physicè: Si verò componant moralitèr tantùm, sicut materia, & forma cujuslibet Sacramenti, sufficit quòd sint si-

mul moraliter: Et sic quamvis præcesserint contritio, & confessio pœnitentis, si tamen non præcesserunt per longum tempus, censentur adhùc moraliter loquendo remanere, & præsentes esse, quando datur absolutio. Vel etiam dici debet, quòd contritio, & Cōfessio remanent si non formaliter, & in se, saltem virtualiter, & in effectu suo, quatenus licèt in se transierint, reliquerunt tamen poenitentem determinatum, & dispositum ad absolutionem: utrumque sufficit ad hoc ut fiat moralis compositio ex actibus poenitentis tanquàm materia, & absolutione tanquàm forma.

Objicitur 2. Totum Sacramentum tam quoad materiam, quàm quoad formam producit gratiam sanctificantem: Ergo materia ipsius non possunt esse actus poenitentis. Antecedens constat ex dictis de Sacramentis in communi, ubi obstendimus quòd non tantùm parti, sed etiam toti Sacramento tribuitur causalitas gratiæ; sic in Sacramento Baptismi causatur gratia nedùm per ipsa verba, quæ sunt forma, sed etiam per aquam, quæ est materia. Consequentia probatur: quia poenitens se ipsum justificaret, si actus ipsius tanquàm materia Sacramenti Poenitentiæ producerent gratiam ipsius sanctificantem: Sed absurdum videtur, quòd poenitens sanctificet semetipsum: Ergo.

Respondeo, distinguendo illam propositionem: poenitens seipsum justificaret, cooperando ad productionem gratiæ justificantis, concedo; principaliter ipsam producendo, nego: nullum autem est absurdum, quòd poenitens per suos actus cooperetur ad productionem gratiæ, dummodò tales actus poenitentis ita dependeant ab absolutione Sacerdotis, quòd sine ipsa nihil facerent: sicut autem in compositis physicis, quamvis totum compositum producat effectum, nihilominùs ipsum producit ratione formæ, & non ratione materiæ; v. g. ignis quamvis prout componitur ex materia, & forma, producat calorem, attamen ipsum producit ratione formæ: Ita in Sacramentis quamvis totum Sacramentum prout importat materiam, & formam, producat effectum Sacramentalem, sivè gratiam, ipsum tamen non producit ratione materiæ, sed ratione formæ; & ita Sacramentum Poeni-

tentiæ quamvis producat gratiam, quatenus componitur ex actibus pœnitentis simul & actu Sacerdotis, ipsam tamen non producit ratione actuum Pœnitentis, sivè ratione contritionis, & Confessionis, sed ratione actus Sacerdotis, sivè absolutionis Sacramentalis.

Obiicitur 3. Materia debet præcedere formam, ut docent Philosophi: sed satisfactio non præcedit absolutionem, quæ est forma hujus sacramenti: Ergo falsum est quod diximus ex Concilio Tridentino, quòd satisfactio est materia hujus Sacramenti.

Respondeo, satisfactionem dupliciter sumi posse; vel in intentione sivè proposito, vel in executione: Si sumatur primo modo, præcedit absolutionem, quando enim aliquis potest satisfacere, non debet absolvi nisi proponat, & promittat se satisfacturum: Sed si sumatur 2. modo, sequitur post absolutionem: Et nihilominùs adhùc isto secundo modo potest habere rationem materiæ; quia in Sacramento materia sumitur non Physicè sed moraliter, idest quatenùs est aliquid determinabile per ipsam formam Sacramenti Pœnitentiæ: Et quia Sacerdos, qui habet potestatem absolvendi, determinat satisfactionem, quæ in executione poni debet, ideo quamvis talis executio subsequatur absolutionem, se habet tamen moraliter loquendo ad ipsam, tamquàm materia ad formam, quamvis verum sit quòd quia supponit ipsam formam essentialem, non sit materia essentialis, sed integralis tantùm, ut explicabitur magis, quando agemus de hujusmodi satisfactione.

ARTICULUS III.

Vtrùm Sacramentum Pœnitentiæ rectè vocetur, Secunda post naufragium tabula?

D. Hieronymus super caput 3. Isaiæ, & plures alij sancti Patres dicunt, quòd sacramentum Pœnitentiæ est *Secunda post naufragium tabula.* Hæretici hujus temporis, præsertim Calvinus dicunt hunc loquendi modum esse ineptum: & quamvis sit quæstio de nomine, attamen propter reverentiam erga Sanctos Pa-

res Concilium Tridentinum, sessione 6. capite 14. asserit hunc loquendi modum Sanctorum Patrum esse convenientissimum: Et sessione 14. Canone 2. sic habet, *Si quis dixerit Pœnitentiam non rectè dici secundam post naufragium tabulam, anathema sit.*

Conclusio: Convenientissima est Sanctorum Patrum sententia, quòd Pœnitentia est secunda post naufragium tabula.

Probatur ex D. Thoma, quæstione 84. articulo 6. & ex aliis Sanctis Patribus, & Doctoribus. Debemus considerare, hominem in statu innocentiæ creatum fecisse naufragium per originale peccatum, in cujus reparationem Divina Bonitas ipsi offert sacramentum Baptismi directè institutum contra hujusmodi peccatum originale ut supra diximus: undè Baptismus vocari potest prima post naufragium tabula. Quòd si contingat hominem perdere gratiam Baptismi, & iterum pati naufragium per peccatum personale, Divina Bonitas iterùm ipsi offert sacramentum Pœnitentiæ, quod directè fuit institutum contra peccatum personale, ut patet ex dictis in articulo præcedenti. undè sacramentum Pœnitentiæ aptissimè dicitur *Secunda post naufragium tabula.* Vel etiam si velimus loqui de homine per Christum Salvatorem reparato, debemus ipsum considerare in hoc mundo, quasi in mari magno: ex Sacramentis autem Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ resultat Navis integra, & absoluta, in qua homo suam gratiam conservat, & naufragium vitat. Quòd si contingat propter mortale peccatum frangi Navim, superest sacramentum Pœnitentiæ tanquàm tabula post naufragium, quæ dicitur secunda non in rigore, sed per metaphoram, quatenùs est secundum remedium ad obtinendam, & conservandam sanctitatem, & gratiam.

Objici potest 1. quòd secunda tabula dicitur per ordinem ad primam, ut constat ex ipsis terminis: Si autem sacramentum Pœnitentiæ comparetur ad alia sacramenta, non comparabitur ad priorem tabulam, sed ad Navim integram, & sic non erit secunda tabula: si verò comparetur ad quodlibet ex his tribus sacramen-

tis tanquàm ad tabulam, jam non erit ſecunda, ſed quarta tabula.

Secundò: quamvis dum aliquis prima vice ſuſcipit Sacramentum Pœnitentiæ, poſſet vocari ſecunda tabula, attamen quando poſtea redit ad hoc Sacramentum, deberet dici tertia, & quarta, & quinta tabula; & ſic deinceps, quia toties de novo liberatur à naufragio ille, qui hoc ſacramentum iteratis vicibus ſuſcipit.

Reſpondeo facilè cum duabus regulis generalibus: prima eſt quòd ſi loqui velimus de Pœnitentia tanquàm de ſecunda tabula per comparationem ad primam tabulam, debemus eam comparare ad ſolum ſacramentum Baptiſmi, quia per ſolum Baptiſmum homo primitùs liberatur à naufragio originalis peccati: per Confirmationem verò, & Euchariſtiam non liberatur ab aliquo naufragio, ſed jam liberatus per Baptiſmum, in gratia, quam recepit conſervatur, & confirmatur: undè Baptiſmus eſt prima poſt naufragium tabula; Confirmatio verò, & Euchariſtia non ſunt tabulæ liberantes à naufragio, ſed ſemel liberatos conſervantes: ſolum autem ſacramentum Pœnitentiæ licèt ſit quartum inter Sacramenta, quatenùs liberat à naufragio peccati perſonalis rectè dicitur *Secunda poſt naufragium tabula.* Altera verò regula eſt, quòd non loquimur de Sacramento Pœnitentiæ quantùm ad individua, ſed quantùm ad ſpeciem: & quia licet ſacramentum iſtud millies reiteretur, omnia tamen hæc individua ſunt unius, ejuſdemque ſpeciei in ratione ſacramenti, ideò quantumcumque reiteretur ſacramentum Pœnitentiæ, ſemper ex propria, & ſpecifica ratione ſua habet, quòd ſit ſecunda poſt naufragium tabula.

ARTICULUS IV.

Vtrùm poſſit dari aliquis peccator ita excæcatus, & obduratus, ut ſit incapax pœnitentiæ ſivè ut eſt ſacramentum, ſivè ut eſt virtus.

Circa hanc difficultatem duplex eſt ſententia: altera quorumdam catholicorum inter antiquos Theologos

existimantium dari mensuram peccatorum, quâ semel completâ Deus deneget auxilia nedùm efficacia, sed etiam sufficientia ad pœnitentiam, & salutem. Quam opinionem jam eliminatam à Scholis Jansenius his temporibus suscitavit, & eam persuadere conatus est tomo 3. libro 3. de gratia Christi Salvatoris, capite 10. ubi in particulari loquens de hominibus excæcatis, & obduratis in peccato, docet illis denegari omnia prorsùs auxilia sufficientia ad salutem. Altera est communis inter Doctores Catholicos tum antiquos, tum modernos, quòd licèt peccatoribus excæcatis, & obduratis sit valdè difficilis pœnitentia, immò impossibilis moraliter loquendo, attamen physicè loquendo habent auxilia verè sufficientia ad agendam pœnitentiam, ita ut absolutè & pœnitere possint, & salvari: & est sententia ita communis inter Thomistas, ut Didacus Nugno inter ipsos celebris valdè, qui ante Jansenium scripsit, dicat in suis commentariis super 3 partem D. Thomæ, quæstione 86. articulo dubio 1. quòd opinio opposita nedùm est erronea, sed etiam Hæresis manifesta, nec potest sibi persuadere quòd aliquis Doctor Catholicus illam opinionem oppositam docuerit, & eos qui pro ipsa citantur, intelligit de maxima difficultate, quam habent hujusmodi peccatores, agendi pœnitentiam; non verò de absoluta impossibilitate.

Conclusio. Nullus est peccator ita excæcatus, & obduratus, qui quamdiu vivit, non habeat auxilium verè sufficiens ad pœnitentiam.

Probatur 1. authoritate Scripturæ Sacræ: omissis autem pluribus aliis testimoniis, duo sufficiant; alterum Divi Petri; & alterum Divi Pauli. Igitur D. Petrus Epistolâ 2. cap. 3. alloquens fideles ait, *Non tardat Dominus promissionem, sicut quidam existimant, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*; Ubi Apostolus docet, quòd propter fideles salvandos, Deus patienter tolerat infideles damnandos, ita tamen ut nolit aliquem ex ipsis reprobis perire, sed cupiat quod omnes pœnitentiam agant, & salventur: si autem foret aliquis etiam unicus tantùm inter reprobos, & infideles, cui Deus vellet denegare omne prorsùs

auxilium sufficiens ad pœnitentiam, constat quòd vellet aliquem ex ipsis perire, saltem illum cui denegaret omne auxilium, cum certum sit, quòd omninò necesse est illum perire, qui nullum habet auxilium sufficiens ad salutem: ergo ut verificetur sententia D. Petri, necesse est, quòd Deus omnibus, nullo prorsùs excepto tribuat auxilia ad salutem sufficientia, sicut & ad pœnitentiam,

Divus Paulus ad Romanos 2. alloquens peccatores ait, *An divitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis iusti iudicii Dei qui reddet unicuique secundùm opera eius.* Ubi constat Apostolum non alloqui quemcumque peccatorem, sed etiam excæcatum, & obduratum, & prorsùs impœnitentem, & alloqui unumquemque ex hujusmodi peccatoribus obduratis, & asserit quòd non obstante ipsius duritia, & impœnitentia Deus ipsum invitat, & attrahit ad pœnitentiam: sed constat quòd non attraheret ipsum ad pœnitentiam, sed potius ab ipsa retraheret, & non adduceret, sed elongaret, si ipsi denegaret omne prorsùs auxilium sufficiens ad pœnitentiam: ergo ut verificetur Apostoli sententia, dicendum est, quòd non obstante quacumque duritia cujuscumque peccatoris Deus ipsi dat auxilium sufficiens ad pœnitentiam.

Probatur 2. authoritate D. Augustini, sermone 1. de verbis Domini, capite 13. ubi loquens de impœnitentia finali ait, *Ista impœnitentia, vel cor impœnitens quamdiu quisque in hac carne vivit, non potest iudicari; de nullo autem desperandum est, quamdiu patientia Dei ad pœnitentiam adducit, nec de hac vita rapit impium, qui non mortem vult impii, quantùm ut revertatur, & vivat.* Et postmodùm ibidem loquens de paganis, Hæreticis, & schismaticis, subdit: *Quid si isti, quos in quocumque genere erroris notas, & tanquàm desperatissimos damnas, antequàm finiant vitam, agant pœnitentiam?* Quasi diceret de nullo prorsùs esse des-

perandum, quia nullus est, quem misericordia Dei non attrahat ad pœnitentiam, & quamdiu vivit peccator, Deus magis vult quòd convertatur, quàm quòd in suo peccato remaneat: atque ita nullus est quantùmvis desperatissimus videatur, qui non possit agere pœnitentiam. Certè Deus non adduceret peccatores ad pœnitentiam, si denegaret ipsis omne prorsus auxilium nedum efficax sed etiam sufficiens ut poeniterent; & procul dubio vellet mortem hujusmodi peccatorum potius quàm eorum conversionem, si subtrahendo omne prorsùs auxilium, redderet eorum conversionem absolutè impossibilem.

Idem D. Augustinus in libro de prædestinatione, & gratia, cap. 1. ait, *Si piè de Deo sentiamus, etiam Pharaoni non denegavit Misericordiam suam.* Sed si de aliquo dubitari posset, an Deus ipsi misericordiam suam denegasset, maximè de Pharaone, cujus maxima excæcatio, & obduratio insinuatur in Scriptura Sacra: si nihilominùs ex mente D. Augustini Deus non subtraxit à Pharaone omnem prorsùs misericordiam suam, meritó inferimus ex mente ejusdem Sancti Doctoris nulli prorsùs peccatori quantùmvis excæcato, & obdurato totaliter subtrahi Divinam misericordiam, sed omnibus, nullo prorsus excepto dari auxilium saltem sufficiens ad poenitentiam, & salutem.

Probatur 3. authoritate D. Thomæ, qui 3. parte, quæstione 86. articulo 1. fusè docet, & explicat quomodo nullum sit peccatum, quod per veram poenitentiam tolli non possit, quamdiu peccator vivit, & inter alia, hæc habet. *Dicendum, quòd aliquod peccatum per pœnitentiam tolli non possit; posse contingere dupliciter: uno modo, quia aliquis de peccato pœnitere non posset: alio modo, quia pœnitentia non posset delere peccatum. Primo quidem modo deleri non possunt peccata dæmonum, & etiam hominum damnatorum, &c. tale autem non potest esse aliquod peccatum hominis viatoris, cujus liberum arbitrium flexibile est ad bonum, & malum: undè dicere quod aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis pœnitere non possit, erroneum est.* Ubi clarè D. Thomas contraponit homines viatores cum

Dæmonibus, & hominibus damnatis, & ait inter ipsos esse discrimen, quòd Dæmones, & homines damnati sunt confirmati in malo,& non possunt veram agere pœnitentiam;sed homines viatores quamdiu vivunt, & nondùm sunt in statu damnationis veram pœnitentiam de quolibet peccato agere possunt. Sed constat, quòd non possent veram pœnitentiam agere, nisi haberent auxilium saltem sufficiens ad ipsam peragendam: ergo ex mente D. Thomæ nullus est peccator ita excæcatus, & obstinatus, qui quamdiu vivit, non habeat auxilium sufficiens ad pœnitentiam. Videri potest integra authoritas in Morali Theologia verbo, *Pœnitentia*, quæstione 20. cum aliis testimoniis ibidem, quæstione 1. & 3. in hac enim Doctrina perpetvus est D. Thomas.

Probatur 4.& infertur ex quatuor nostris principiis. Major enim gloria Dei,& Christi Domini exigit,quòd nullus peccator adhuc in via existens,destituatur auxilio sufficienti ad salutem: cum enim ut ait Psalmista, *Misericordia eius super omnia opera eius*, sivè magis Deus glorificetur per manifestationem suæ Misericordiæ, quàm cujusvis alterius attributi, & ad Misericordiam spectet dare auxilia sufficientia ad salutem, sicut ad Iustitiam pertinet ea denegare: debemus pro majori manifestatione Divinæ Misericordiæ, & pro majori gloria Dei dicere, quòd nullus est peccator quantùmvis excæcatus, & obduratus, qui quamdiu vivit, non habeat hæc auxilia ad salutem suam, & proindè sufficientia ad pœnitentiam.Cum etiam Christus Dominus venerit ad salutem omnium peccatorum, & cum mortuus sit pro omnibus, nullo prorsùs excepto, ut suo loco fusissimè explicatum est, conveniens est pro majori ipsius gloria, quòd intuitu meritorum eius dentur omnibus, nullo prorsùs excepto, hujusmodi auxilia ad pœnitentiam, & salutem sufficientia. Dubium etiam esse non potest, quin hoc sit majus bonum Ecclesiæ, & cujuslibet fidelis, nam Ecclesia de aliquibus, & ipsimet de se ipsis desperare possent, si in ipsius gremio darentur aliqui carentes omni auxilio sufficienti ad salutem: si autem nullus sit, quantuscumque peccator esse possit, qui tali auxilio careat, ipsa

Ecclesia omnes exhortari potest cum fiducia salutis eorũ,& quilibet homo quamdiu vivit,salutem suam sperare potest:ergo ex his quatuor principiis infertur convenientia nostræ conclusionis.

Objicitur 1. Dicitur 2. Machabæorum capite 9. de Rege Antiocho, *Orabat scelestus Dominum, a quo non erat misericordiam consecuturus*: Et tamen Scriptura Sacra ibidem testatur, quòd Antiochus dedit incredibilia pœnitentiæ signa, ita ut si aliquis modò in morte sua daret similia, existimaretur mori ut Sanctus. Igitur dicendum est quòd sunt aliqui peccatores ita excæcati, & obdurati, ut sint incapaces obtinendi veniam, & remissionem suorum peccatorum. Et quod dicitur de Antiocho in scriptura, asseritur etiam de Esaü, quòd scilicèt misericordiam obtinere non potuit, quamvis *eam cum lachrymis postulasset.*

Respondet D. Thomas 4. sententiarum, distinctione 20. quæstione prima, articulo primo ad primum: *Dicendum, quòd Antiochus veniam consecutus fuisset, si verè pœnituisset, sed non habuit veram pœnitentiam, quia non ex amore iustitiæ dolebat de peccatis commissis, sed timore pœnæ, quam expectabat, vel dolore pœnæ, quam sustinebat. Et hoc etiam contingit malis in fine pœnitentibus, quia non est facilè ut affectus, quem homo toto tempore vitæ suæ inclinavit in aliquid, subitò ad contrarium retrahatur: nec tamen est impossibile, quia liberum arbitrium non cogitur ex habitu acquisito, nec Providentiæ Dei potest terminus præfigi, per quam etiam in extremo veræ pœnitentiæ motus inspiratur quandoque.* Ex quibus Doctoris Angelici verbis habemus regulam generalem pro omnibus huiusmodi testimoniis, quòd nempè pœnitentia eorum,qui differunt pœnitere usque ad finem vitæ,non est vera, sed apparens, quia ex solo instinctu naturæ procedit, & non ex aliquo supernaturali motivo. Dicemus autem infra, quòd quamvis dolor de peccatis propter pœnas inferni, sivè sola attritio sufficiat simul cum sacramento Pœnitentiæ ad obtinendam gratiam, dummodò sit dolor supernaturalis; si tamen est dolor

naturalis tantùm, est omninò insufficiens etiam cum sacramento Pœnitentiæ ad gratiam obtinendam. Sed habemus etiam alteram generalem regulam ex eadem authoritate D. Thomæ, quòd scilicet quamvis paucissimi ex hujusmodi peccatoribus, qui differunt pœnitentiam usque ad finem vitæ, re vera convertantur, & veram pœnitentiam agant, immò sit ipsis moraliter impossibile, seu valdè difficile agere pœnitentiam, non est tamen impossibile physicè, sivè simpliciter, & absolutè, sed habent saltem auxilium ad hoc sufficiens.

Objicitur 2. authoritas D. Augustini, quam refert Magister sententiarum loco jam citato ex libro 50. Homiliarum, homilia 41. ubi Divus Augustinus sic loquitur: *Si quis positus in ultima necessitate voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus, quod petit, sed non præsumimus, quia benè hinc exit: Si securus hinc exit, ego nescio: pœnitentiam dare possumus, securitatem verò non: nunquid dico damnabitur? sed nec dico salvabitur. Vis ergo à dubio liberari? age pœnitentiam, dum sanus es: Si sic agis, dico tibi, quia securus es, quia pœnitentiam egisti eo tempore, quo & peccare potuisti: Si vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.* Et ibidem infra subdit, *duæ res sunt, aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur: quid horum tibi futurum sit, nescio: Ergo tene certum, & dimitte incertum.* Ex quibus verbis, & ex aliis similibus Divi Augustini autoritatibus videtur inferri quòd est valdè incertum dari omnibus in hora mortis auxilium sufficiens ad pœnitentiam, & salutem. Undè ex eodem sancto Doctore, & ex aliis Sanctis Patribus sumuntur hæc communia axiomata, *pœnitentia sera raro vera, pœnitentia infirmi infirma est, pœnitentia moribundi penè dixerim mortua est.*

Respondet D. Thomas loco jam citato ex 4. sententiarum, quòd D. Augustinus in verbis illis ostendit, quòd pœnitentia, quam aliquis in fine vitæ agit, non

est certum signum salutis, & non quòd non possit etiam tunc esse efficax ad salutem: Idemque Angelicus Doctor 3. parte, quæstione 86. articulo 1. ad secundum, explicans aliam similem D. Augustini authoritatem ait, quòd vult Augustinus esse aliqua peccata, quæ remitti non possunt, scilicèt de facili, quamvis absolutè remitti possint per Divinæ gratiæ virtutem, quæ etiam ut ait Psalmista, interdum conuertit usque in profundum maris, idest, abyssi peccatorum: sicut dicitur quòd ille non potest sanari, qui non potest facile sanari, quamvis absolutè possit. Habemus igitur duplicem Regulam generalem pro explicandis hujusmodi authoritatibus; alteram quidem jam insinuatam, scilicet non posse excæcatos, & obduratos, & alios similes agere pœnitentiam loquendo de potentia morali, benè tamem posse de potentia physica, quia licèt pœnitentia sit illis valdè difficilis, non est tamen simpliciter impossibilis; Alteram, quòd status peccatorum qui sunt excæcati, & obdurati, vel qui pœnitentiam remiserunt usque ad finem vitæ, est valdè periculosus, quamvis absolutè loquendo adhùc salvari possint.

Obijcitur 3. & instatur contra præcedentes solutiones: Negari non potest, quin dentur peccatores excæcati, & obdurati, cum de ipsis frequenter fiat mentio in Scriptura Sacra, & sanctis Patribus: sed non dicuntur excæcati, & obdurati propter solam privationem auxilij efficacis ad pœnitentiam, & salutem, quandoquidem commune est omnibus peccatoribus privari auxilio efficaci: ergo sunt, & dicuntur tales, quia privantur etiam auxilio sufficienti, ita ut ex parte intellectus careant omni lumine sufficienti ad pœnitentiam, & salutem, & ex parte voluntatis careant sufficienti motione Divinæ gratiæ: undè Jansenius loco supra citato refert quòd D. Augustinus in libro de perfectione justitiæ, capite 19. asserit *Huiusmodi peccatores esse destitutos omni lumine veritatis.*

Respondeo, & est regula generalissima, & notatu dignissima, distinguendo hujusmodi propositiones, peccatores excæcati, & obdurati, destituuntur auxilio sufficienti, non minùs quàm efficaci, & omni lu-

mine veritatis , ordinis supernaturalis , concedo ; vel potiùs transeat ; ordinis naturalis , nego. Possumus igitur concedere esse aliquos peccatores , quibus omne prorsùs auxilium sufficiens , & lumen supernaturale denegatur in pœnam præcedentium peccatorum, quamvis nullus sit , qui quamdiu vivit , non habeat aliquod lumen veritatis , & aliquod auxilium sufficiens circa bonum naturale. Dixit transeat , quia inter peccatores excæcatos , & obduratos dantur plures , qui habent auxilia supernaturalia , eo quòd in hujusmodi auxiliis sufficientibus supernaturalibus datur latitudo , ita ut aliquis privari possit aliquibus, sed non omnibus , & ita sit obstinatus ex parte , sed non ex toto : illis autem qui totaliter obstinati sunt,totaliter etiam hæc auxilia denegantur.

Replicabis. Quidquid pertinet ad ordinem naturalem , est insufficiens ad veram pœnitentiam , & salutem ut supra diximus , & etiam suo loco magis explicabimus ; immò est articulus Fidei : ergo si dantur aliquid peccatores , in quibus nihil superest , nisi quod concernit verùm , & bonum ordinis solummodò naturalis , non habent re vera auxilia sufficientia ad pœnitentiam & salutem.

Respondeo , & est altera regula generalis : auxilia naturalia non sunt sufficientia ad pœnitentiam , & salutem , remotè , & mediatè , nego ; proximè , & immediatè , concedo ; quamvis enim certum sit, quòd sola auxilia supernaturalia possunt proximè, & immediatè cooperari ad obtinendam gratiam in sacramento Pœnitentiæ , & ad salutem : attamen auxilia naturalia cooperantur remotè , & mediatè ad utrumque effectum,quatenùs ut suo loco fusè dicetur ex Divo Thoma , si peccatores benè uterentur auxiliis naturalibus , quæ in ipsis supersunt , non obstante quacumque obstinatione Deus illis conferret ulteriora auxilia supernaturalia ad salutem , & pœnitentiam ; & sic naturalia mediantibus supernaturalibus possunt cooperari ad pœnitentiam , & ad salutem.

Urgebis : Nulla dispositio naturalis sufficere potest

ad poenitentiam ſupernaturalem, & ad gratiam, ac ſalutem: Ergo non obſtante quacumque notitia veritatis naturalis, vel quacumque affectione circa bonum morale ordinis naturalis non habetur auxilium ſufficiens ſivè proximè, ſivè remote ad poenitentiam, gratiam, & ſalutem.

Reſpondeo, & eſt altera Regula generalis: quidquid eſt naturale, non poteſt diſponere ad ſupernaturale, diſtinguo, non poteſt diſponere poſitivè, concedo; non poteſt diſponere, negativè, nego: ideſt quidquid pertinet ad ordinem naturalem, non dicit poſitivam habitudinem ad ea que ſunt ordinis ſupernaturalis, & ideò non poteſt poſitivè diſponere ad gratiam, & ſalutem: tamen poteſt quilibet peccator abſtinere à peccato, & ita removere obſtaculum gratiæ, & ſic ſe ſe diſponere negativè ad gratiam, & ſalutem per modum removentis prohibens ulteriora auxilia, quibus poſſet veram agere poenitentiam, & obtinere gratiam, & conſequi ſalutem. Quæ omnia explicata ſunt cum ageretur de auxiliis Divinæ gratiæ.

Adhùc dici poſſet, quòd Janſenius, aliique authores oppoſitæ ſententiæ, non negabunt omnibus peccatoribus quantumvis excæcatis, & obduratis conferri auxilium ſufficiens ad poenitentiam, & ſalutem, in hoc ſenſu, ut poſſint remotè, ſed non proximè agere poenitentiam, & conſequi ſalutem.

Reſpondeo, & eſt ultima Regula; diſtinguo duplicem potentiam remotam; alteram quæ reduceretur ad potentiam proximam, ſi peccata hominum non impedirent; alteram quæ non eſt reducibilis ad potentiam proximam, quia Deus non vult dare ulteriora auxilia: fateor quòd Janſenius, & alii concedunt omnes peccatores habere potentiam remotam ad poenitentiam, & ſalutem: in hoc ſenſu, quòd ſi Deus vellet, daret omnibus auxilia nedum ſufficientia ſed etiam efficacia ad ſalutem: Dicunt tamen quòd Deus non vult dare hujuſmodi auxilia ſed ipſa potius denegat in poenam præcedentium peccatorum. Nos autem cum ſententia communi Doctorum Catholicorum dicimus quòd non obſtante

quocumque præcedenti peccato, adhuc quilibet peccator habet remotam, quam si ipse peccator vellet, faceret proximam, ad pœnitentiam, & salutem: idest, si per aliquod subsequens peccatum non impediret auxilia Dei, semper Deus ipsi ulteriora conferret, quousque proximam, & expeditam potentiam haberet ad pœnitentiam, & salutem. Quod etiam totum magis explicatum est, cum sermo esset de morte Christi Domini pro salute omnium tam reproborum, quàm prædestinatorum.

Iterùm replicari potest: Nullum datur auxilium sufficiens ad gratiam, & salutem nec naturale, nec supernaturale, nec proximum, nec remotum sine aliqua reflexione supra malum statum suum: sed experientia constat esse aliquos peccatores ità excæcatos, & obstinatos, ut nullam prorsùs reflexionem faciant supra suum malum statum, nequidem in ipsa ultima vitæ suæ periodo: ergo non est credibile, nec imaginabile, quòd ullum habeant auxilium sufficiens ad salutem, quovis tandem modo explicari possit hujusmodi auxilium.

Respondeo, quòd ut plenè solvatur hæc instantia, notandum est primò, vitam peccatorum in præsenti non considerari physicè, sed moraliter: & ideò sensus est, quòd quamdiù vivunt, & sunt compotes rationis habent prædictum auxilium sufficiens: si verò usum rationis non habeant, quamvis adhuc vivant, non censentur vivere moraliter, sed tantùm physicè. 2. Notandum est, quòd non est necesse, imnò nec credibile, quòd pro quolibet instanti usus rationis peccatores excæcati, & obdurati habeant aliquod auxilium sufficiens ad pœnitentiam, & salutem, sed satis est quòd illud habeant in ultimo instanti usus rationis, & suæ vitæ moralis. 3. etiam Notandum est, quòd sicut primum instans usus rationis, in quo tenetur puer se se converrere in Deum, non est instans physicum sed morale, ita ut sufficiat quòd paulo post primum instans usus rationis puer se se convertat in Deum: ita illud ultimum instans non sumitur physicè, sed moraliter, ita ut sufficiat quòd cuilibet peccatori pauló antequàm privetur usu rationis,

conferatur istud auxilium. Quibus omnibus diligenter prænotatis.

Respondeo, & dico talem, ac tantam esse Bonitatem, & Misericordiam Dei erga omnes peccatores quantumvis excæcatos, & obduratos ut nullus eorum sit, qui per auxilium sibi collatum in fine vitæ suæ, moraliter loquendo, ut jam diximus, non possit facere reflexionem supra vitæ suæ pravitatem, ita ut si talem reflexionem faceret, prout facere potest, Deus illi auxilia semper ulteriora conferret, quousque tandem fieret proximè capax pœnitentiæ, gratiæ, & salutis. Quorum omnium locus proprius est is quem iam citavimus sæpiùs.

ARTICULUS. V.

An, & quando Christus instituerit Sacramentum Pœnitentiæ.

Conclusio: Christus instituit Sacramentum Pœnitentiæ, quando post resurrectionem suam dixit discipulis suis, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*, ut habetur Joannis 20. Ita communiter Thomistæ, & alii etiam Theologi.

Probatur 1. Conveniens est, quòd Christus instituerit Sacramentum Pœnitentiæ post resurrectionem suam, propter significationem dispositionum, quæ requiruntur in hoc Sacramento: Nam ex parte pœnitentis debet esse propositum resurgendi à peccatis, & nunquam amplius ipsa committendi, sicut Apostolus de Christo ait, quòd *resurgens a mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Sacramentum etiam poenitentiæ ordinatur ad nostram justificationem, & similiter Christi resurrectio juxta etiam illud Apostoli ad Romanos 4. *traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Ex parte verò Sacerdotis convenientia est, quòd remissio peccatorum fit ex Bonitate, & Misericordia Dei; & quia Bonitas, & Misericordia specialiter attribuitur Spiritui sancto,

ideò tunc debuit Christus instituere Sacramentum Poenitentiæ, quando dixit discipulis suis, *Accipite Spiritum Sanctum.* Tandem flatus ex intimis visceribus procedit, & nebulas dispergit; ideò quando Christus insufflavit in discipulos, sicut diximus in testimonio jam relato, debuit instituere Sacramentum Poenitentiæ, in quo suum ipsis spiritum communicat, & in quo remittuntur peccata, quæ nebulis comparantur in Scriptura sacra; & sicut nebulæ per ventum dissipantur, ita per absolutionem peccata remittuntur.

Probatur secundò authoritate Concilii Tridentini, sessione 14. cap 1. & Canone 1. ubi sic dicitur. *Si quis dixerit in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse verè, & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum, anathema sit.* Et in eodem capite 1. sic habetur *Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cum à mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos dicens, Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Nec refert quòd in primo testimonio Concilium non ait, quod Sacramentum Poenitentiæ fuerit immediatè ab ipso Christo institutum, quia hoc satis insinuat nullum alium agnoscendo authorem hujus Sacramenti, & præsertim quia Confessionem, de qua præcipuè est difficultas, dicit institutam à Christo, ut postea videbimus, cum de Confessione. Nec etiam refert, quòd in secundo testimonio dicit, *præcipuè* institutum fuisse tali tempore, quia vult solummodò insinuare, quòd antea fuerat promissum, licèt tunc tantùm fuerit institutum.

Objicitur, quòd Christus Matthæi 18. dixit discipulis suis: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo.* Ergo tunc Christus instituit Sacramentum Poenitentiæ conferendo discipulis suis potestatem ligandi, atque solvendi.

Respondeo ex D. Thoma in expositione ejusdem loci, quòd tunc Christus tradidit potestatem ligandi, & sol-

vendi in foro externo per excommunicationem; non autem in foro interno per absolutionem sacramentalem. Et hoc infertur ex ipso textu Scripturæ; nam in eodem capite 18. Matthæi, immediatè ante verba in objectione relata, Christus tradit modum faciendi correctionem fraternam, & postea subdit, quòd si ille qui corrigitur, non vult desistere à peccato, denunciari debet Ecclesiæ: *si autem*, inquit Christus, *Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*, idest, inquit D. Thomas, *separatus, & excommunicatus per sententiam excommunicationis latam ab Ecclesia*: Ut autem appareat efficacia potestatis Ecclesiasticæ ad hujusmodi pœnam inferendam, immediatè subjungit Christus, *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, &c.* ita ut, inquit D. Thomas, *Ecclesia dicatur alligare, quia non solvit, vel quia excommunicat.*

Regula igitur generalis est, duplicem esse potestatem in Ecclesia; alteram pro foro externo, scilicèt potestatem excommunicandi, & alteram pro foro interno, scilicet potestatem sacramentaliter absolvendi. Fatemur primam potestatem fuisse collatam à Christo Ecclesiæ suæ ante Resurrectionem, ut habetur loco citato Divi Matthæi: sed secunda potestas non fuit ab ipso collata, nisi post Resurrectionem, ut habetur loco citato Divi Joannis. Et quia in secunda potestate consistit sacramentum Pœnitentiæ, & non in prima, ideò semper manet hujusmodi sacramentum non fuisse à Christo Domino nisi post Resurrectionem, institutum.

ARTICULUS VI.

Insinuantur convenientiæ huius Sacramenti quoad omnes circumstantias.

Infertur primò ex dictis fuisse conveniens quòd ipsemet Christus Dominus hoc sacramentum sicut alia instituerét: quia stabilire tribunal Justitiæ spectat ad Judicem supremum, præscribere medicinam pertinet

ad medicum, qui cognoſcit morbum: cum ergo hoc ſacramentum Pœnitentiæ ſit judicium, & remedium, debuit inſtitui à Chriſto Domino, qui ſolus eſt ſupremus Judex, & Cœleſtis Medicus.

Infertur 2. ex noſtris principiis hoc ſacramentum convenientiſſimum eſſe quoad omnes inſtitutionis circumſtantias: pro cujus intelligentia notandum eſt, quòd ut colligitur ex quatuor Evangeliſtis in variis locis Chriſtus hoc ſacramentum volens inſtituere, primò dixit Apoſtolis, *Sicut miſit me Pater, ego mitto vos*. 2. inſufflavit in eos. 3. dixit, *Accipite Spiritum Sanctum* 4. promiſit Claves Regni cœlorum. Tandem dixit *quorum remiſeritis peccata*, &c. Quæ omnia magnis abundant myſteriis. Chriſtus enim omnia operabatur ad majorem gloriam ſui Patris; undè conveniens erat, quòd inſinuaret totam poteſtatem, quam in hoc judicio Sacerdotibus tribuebat, à Patre ſuo provenire, juxta primum principium multoties explicatum. Et ſanè tanta eſt poteſtas quam habent ex hoc ſacramento ſacerdotes, ut poſſit aliquo modo comparari cum illa poteſtate, quam ipſe Chriſtus accepit à Patre ſuo, relucet enim maximè in hoc ſacramento Divina omnipotentia, cum majus ſit juſtificare impium, quàm creare cœlum, & terram, ut ex SS. Auguſtino, & Thoma dictum eſt in tractatu de juſtificatione.

Flatus eſt ſignum ſenſibile vitæ, quàm reſpiramus; & inſufflando Chriſtus innuebat talem ſe donare Sacerdotibus poteſtatem, quâ vitam gratiæ conferrent: Et ſicut cum Deus inſpiravit ab initio ſpiraculum vitæ in faciem limi, quem finxerat, factus eſt homo in animam viventem, ita qui per abſolutionem Sacerdotum recipiunt vitam gratiæ, in novam tranſeunt creaturam.

Spiritus Sanctus principaliter huic ſacramento præſidet, quia remiſſio peccatorum eſt propriiſſimus effectus miſericordiæ, quæ attribuitur Spiritui Sancto: Undè etiam peccatum impœnitentiæ finalis, quod directè huic ſacramento opponitur, dicitur peccatum in Spiritum Sanctum: Igitur conveniens erat, quòd daretur Spiritus Sanctus in inſtitutione hujus ſacramenti,

& quòd eum Apostoli à Christo reciperent, & in eorum persona omnes Sacerdotes, ut dignè possent tale ministerium exercere.

Similiter conveniens fuit quòd darentur Claves; tum quia apud omnes authores sacros, & prophanos, Claves sunt signum potestatis, ac jurisdictionis, quam in hoc sacramento Sacerdotes exercent: tum quia Claves inserviunt ad aperiendum, & claudendum, sicut Sacerdotes in hoc sacramento aperiunt, vel claudunt januam cœlorum, dando, vel denegando absolutionem peccatorum.

Tandem dicitur in particulari *quorum remiseritis peccata*, ut insinuaretur necessarium esse quòd Sacerdotes habeant distinctam, & particularem notitiam peccatorum, atque ita requisitam esse confessionem ex parte pœnitentium, ut suo loco dicetur. Subditur autem, *remittuntur eis*, ut clarè denotetur, quòd per absolutionem Sacerdotum non solùm declaratur peccata esse remissa, quia sola pœna remittitur, sed etiam quia ipso facto remittitur culpa.

Sed quia Hæretici clamant contra rigorem hujus sacramenti, prout observatur in Ecclesia Romana, ideò notatu dignissimum est id, quod Christus permisit ad imminuendum hunc rigorem: permisit enim, quòd primus hujus sacramenti minister, à quo omnes alij potestatem suam receperunt, qui proindè debet esse eorum exemplar, nempè Divus Petrus, ut propriâ experientiâ cognosceret fragilitatem hominum, & pœnitentes benignè reciperet, permisit, inquam, quòd incideret in peccatum, non qualecumque, sed gravissimum, scilicet infidelitatis, non semel tantùm, sed bis, & ter, non intra longum tempus, sed brevi tempore, non in gravi tentatione, sed in occasione levissima. non obstante quòd esset ad supremam Ecclesiæ dignitatem evectus, & continuum cum Christo consortium habuisset; ad hoc ut postea peccatores non abhorreret, sed eos cujuscumque conditionis, quantùmcumque gravia essent eorum peccata, quacumque occasione commissa, reciperet ad pœnitentiam, modò afferrent conditiones aliundè requisitas.

Conveniens etiam fuit, quòd ad disponendos homines ad hoc pœnitentiæ sacramentum, præcederent nonnullæ ipsius figuræ: undè etiam ab initio mundi statim atque, Adam peccavit Angelus repræsentans personam Dei excitavit Adamum ad dolorem, & confessionem peccati sui, & parcendo ipsi pœnitentiam injunxit; ut ex eo tempore præfiguraretur quòd Sacerdotes, qui in Scriptura Sacra dicuntur angeli, & vices Dei gerunt, debebant aliquando, scilicèt in lege perfecta, pœnitentes excitare ad contritionem, & confessionem peccatorum, ipsisque impertiri absolutionem, & injungere satisfactionem. Hæc fuit figura hujus sacramenti in lege naturæ.

Alia fuit in lege scripta, Levitici 13. & 14. & Numerorum 5. ubi judicium lepræ committitur Sacerdotibus, & obligantur omnes sivè mulieres, quodcumque peccatum commisissent, illud confiteri coram Sacerdotibus, quorum jussu certa quædam sacrificia offerebantur à peccatoribus in expiationem peccatorum. Nec refert quòd illa confessio foret tantum in communi, nunc autem fiat in particulari, quia lex illa erat imperfecta, nostra verò perfecta est.

Regula generalis ad præveniendas objectiones Hæreticorum sumi debet ex Concilio Tridentino sessione 14. capite 5. cujus verba notatu digna sunt; *Ipsa verò*, inquit, *hujusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia gravis quidem videri posset, nisi tot, tantisque commodis, & consolationibus levaretur, quæ omnibus ad hoc sacramentum dignè accedentibus per absolutionem certissimè conferuntur.* Hæc est ergo regula generalis quòd omnis difficultas sivè ex parte sacerdotis, sivè ex parte pœnitentis, aut omninò tollitur, aut maximè diminuitur per Divinam gratiam.

Dum ergo objicitur 1. Quòd lex nova est lex gratiæ, & benignitatis, sicut lex antiqua erat lex rigoris: sed si in nova lege necessaria foret confessio peccatorum in particulari, esset rigorosior lege antiqua, in qua hæc confessio erat necessaria in communi tantùm.

Respondetur, distinguendo majorem : lex nova est lex gratiæ, & benignitatis, quasi in ipsa non dentur aliqua præcepta magis difficilia, nego; quia datur abundantior gratia ad hujusmodi præcepta servanda, concedo; Et sic quamvis confessio peccatorum fiat in nova lege difficiliori modo, quàm in antiqua, datur tamen copiosior gratia ad eam faciendam, cum qua gratia redditur facilior. Hanc autem solutionem coguntur admittere ipsi Hæretici, negare enim non possunt uxorum pluralitatem non esse permissam in nova lege, quamvis in antiqua permitteretur; similiter non esse nunc sicut tunc permissum libellum repudij; præceptum ergo castitatis conjugalis secundùm se difficilius est in lege nova, quàm in antiqua, sed per Divinam gratiam redditur facilius.

Dum objicitur 2. Quòd pœnitentia prout observatur in Ecclesia Romana, causat plura inconvenientia, ipsi enim Sacerdotes, qui confessiones audiunt, exponuntur pluribus tentationibus, ipsi verò pœnitentes quandoque reticendo peccata committunt sacrilegia. Hæc & alia inconvenientia fusè exponunt Hæretici contra sacramentum Pœnitentiæ.

Respondetur ad hæc omnia, nihil ita sacrum, quod ex malitia hominum non possit converti in sacrilegium; omnibus etiam sacramentis abuti possunt, nec propterea omnia sacramenta rejiciuntur, quia hæc omnia inconvenientia præcaveri facilè possunt cum adjutorio Divinæ gratiæ. Quamvis igitur ex sacramento Pœnitentiæ, prout observatur in Ecclesia Romana, nonnulla suboriri possint inconvenientia, attamen & Sacerdotes, & pœnitentes ea omnia vitare possunt cum auxiliis Divinæ gratiæ sibi in hoc sacramento etiam collatis. Hanc quoque solutionem admittere coguntur Hæretici, negare enim non possunt, quin plura inconvenientia suboriri possint ex eo quòd prohibeatur pluralitas uxorum, nec permittatur libellus repudij, sic enim datur occasio adulterij, uxoricidij aliorumque similium

peccatorum: undè dicendum est quòd datur Divina gratia ad hæc inconvenientia præcavenda.

Quantùm ad circumstantias temporis pro institutione sacramenti Pœnitentiæ, in superiori Articulo fuerunt examinatæ convenientiæ. Hanc solam nunc adijcimus, quòd non debuit instituere Christus hoc sacramentum nisi post resurrectionem suam, quia cum in Cœna, quam ultimam habuit cum discipulis suis, instituisset eosdem discipulos in Sacerdotes; debuit postea in aliud tempus instituere sacramentum Pœnitentiæ, ut indicaret administrationem ejus competere Sacerdotibus.

Inferes ex dictis, quæ sit essentia. natura, & quidditas Sacramenti Poenitentiæ: Diximus enim initio tractatus de sacramentis in communi, quòd una, eademque res dicitur essentia, quidditas, & natura secundùm diversam considerationem: Dicitur enim essentia, quatenùs respicit existentiam, & consideratur à metaphysicis, ac importat gradum genericum, & differentialem: Dicitur natura quatenùs respicit operationem, & consideratur à physicis, ac importat materiam, & formam: & dicitur quidditas quatenùs consideratur à Logicis. & ab ipsis per definitionem explicatur, quid sit, sivè quænam sit ejus essentia, & natura. Igitur sacramentum Poenitentiæ definiri potest definitione metaphysica, sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum ad significandam, & conferendam gratiam remissivam peccatorum post Baptismum commissorum: vel definitione physica, sacramentum constans contritione, & confessione poenitentis tanquàm materia, & absolutione Sacerdotis tanquàm forma.

Aliæ difficultates, quæ circa sacramentum Poenitentiæ in communi agitari possunt, explicabuntur agendo de partibus ejus in sequentibus quæstionibus.

QUÆSTIO II.

De Pœnitentia, ut est virtus sivè de virtute Pœnitentiæ.

OMnia, quæ concernunt virtutem Poenitentiæ, explicabuntur in hac quæstione, exceptis ipsius effectibus, quorum alter est remissio peccatorum, sivè justificatio; alter est reviviscentia meritorum, quia de hujusmodi effectibus agitur in tractatu de justificatione, & de merito.

ARTICULUS I.

Vtrum Pœnitentia sit virtus ab omnibus aliis virtutibus distincta.

Circa imminentem difficultatem plures sunt sententiæ. Una est Cajetani existimantis Poenitentiam non distingui à virtute Religionis: altera Durandi qui dixit Poenitentiam non distingui à Justitia. Quidam etiam ex antiquis dicebant Charitatem habere rationem Poenitentiæ: alij autem asserunt ipsam consistere in collectione omnium virtutum: sed sententia communis inter antiquos, & modernos Theologos traditur in conclusione sequenti.

Conclusio. Poenitentia est virtus specialis distincta ab omnibus alijs, & præsertim à Charitate, Religione, & Justitia.

Probatur, & infertur ex duplici nostro principio. Poenitentia procedit per modum judicij, & per modum remedij contra omne peccatum, ut patet ex dictis in superiori quæstione: ergo est virtus specialis distincta ab omnibus alijs virtutibus. Probatur consequentia: quia juxta regulam generalem quæ suo loco explicatur, omnes virtutes diversificantur juxta diver-

suum modum procedendi circa objectum suum, sivè juxta diversum objectum, non materiale, sed formale, idest, prout dicit diversam rationem formalem, sub qua attingitur: sed versari directè circa peccatum destruendum per modum judicij, & remedij est proprium, & speciale virtuti Pœnitentiæ, nec ulli alteri convenit; Charitas enim per se primò ordinatur ad diligendum Deum, & Religio ad ipsum colendum, neutra verò ordinatur directè ad destruendum peccatum: Iustitia ordinatur ad reparandam offensam alteri factam, sed hoc facit per modum puri judicij, nec respicit ad rationem remedij: denique omnes aliæ virtutes simul sumptæ habent respicere, & conservare omne bonum hominis, ita ut quælibet respiciat, & conservet in homine illud quod sibi correspondet; sed non ordinantur primariò sed tantùm secundariò ad destructionem mali oppositi, sivè peccati. Conveniens igitur est, quòd detur specialis virtus Pœnitentiæ, quæ primariò ordinetur ad destructionem cujuscumque peccati & per modum judicij, reparando injuriam, quam peccator fecerat Deo, & per modum remedij, reparando omnia mala, quæ ipse peccator patitur propter sua peccata.

Obiicitur 1. Virtus regulatur iuxta actum primarium, & principalem: sed actus primarius, & principalis virtutis Pœnitentiæ procedit à Charitate: ergo virtus Pœnitentiæ non distinguitur à virtute Charitatis. Maior certa est, & constat in ipsa charitate, nam una est, eademque charitas, quâ diligimus Deum: & proximum, quia primariò, & principaliter respicit ipsum Deum, & secundariò tantùm, & minùs principaliter proximum. Minor autem probatur: Primarius, & principalis actus pœnitentiæ est contritio, ut dicemus in sequenti quæstione: sed actus contritionis est à charitate: ergo. Probatur minor: Contritio est dolor de peccatis propter Deum summè dilectum: sed quidquid concernit Deum summè dilectum, provenit à charitate, cum hoc sit proprium ipsius obiectum: ergo.

Respondeo, negando minorem: ad cuius probationem, negatur etiam minor, vel maioris claritatis gratiâ distinguitur, & est regula generalis pro actibus poenitentiæ, aliarumque virtutum: Contritio procedit à charitate, distinguo, imperativè, concedo; elicitivè, nego: idemque dici debet ad rationem subiunctam, quòd quidquid concernit Deum summè dilectum, totum hoc est à charitate saltem imperativè, sed non semper elicitivè: nam quamvis diligere Deum ut summum bonum sit proprius actus à charitate elicitus, attamen facere aliquid propter Deum summè dilectum est actus ab altera virtute elicitus, & ab ipsa charitate imperatus; sicut v.g. dare eleemosynam propter Deum summè dilectum, est actus elicitus à misericordia, licèt sit imperatus à charitate: ita similiter detestari peccatum propter Deum summè dilectum, duo dicit, aliud est quòd Deus summè diligatur, & hoc pertinet ad charitatem, & aliud quòd peccator detestetur peccatum, & hoc pertinet ad poenitentiam. Cum igitur charitas sit Regina virtutum, ut dictum est suo loco, imperat omnibus aliis virtutibus, quæ ipsius imperium exequuntur: imperat igitur ipsi poenitentiæ actum contritionis, & poenitentia illum actum elicit; undè sicut aliæ, ita & poenitentia, hoc non obstante, distinguitur à charitate.

Obiicitur 2. Proprium est religionis offerre sacrificia: sed actus contritionis est sacrificium spirituale, iuxta illud psalmi 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*: Ergo actus contritionis est proprius actus Religionis; & sic saltem poenitentia non erit virtus à Religione distincta.

Respondeo, & est regula generalis pro his, & similibus Scripturæ testimoniis: Contritio est Sacrificium, propriè, & simpliciter dictum, nego; metaphoricè, & secundùm quid tantùm, concedo: & ita pœnitentia propriè, & simpliciter remanet virtus distincta à Religione, quamvis per metaphoram, & secundùm quid possit dici Religio: quia sacrificium

propriè dictum debet physicè immutare naturam, & speciem rei quæ sacrificatur, ut diximus agendo de sacrificio Missæ; contritio autem non immutat physicè naturam, aut speciem peccatoris, sed moraliter tantùm, vel etiam metaphoricè, quatenùs per metaphoram homo dici potest diversæ naturæ quando est in statu peccati, & quando est in statu gratiæ.

Objicitur 3. Justitia per se primò ordinatur ad satisfactionem, quæ debet fieri alteri ab offendente: sed hæc est tota ratio Poenitentiæ, ut peccator satisfaciat Deo pro offensa: ergo debet poenitentia confundi cum virtute justitiæ, & non ab ipsa distingui.

Respondeo, & est regula generalis: Justitia ad hoc ordinatur, per modum puri judicij, concedo; per modum etiam remedij, nego: igitur justitia purè, & præcisé intendit, quòd in virtute judicij offendens faciat satisfactionem personæ offensæ; nec curat, utrùm hoc fiat cum detrimento, vel cum utilitate ipsius satisfacientis: at verò poenitentia intendit æqualiter rationem remedii, ac iudicii, ut peccator satisfaciens Deo nedùm reparet, quantum in se est, gloriam Dei, sed etiam detrimentum, quod patitur propter peccatum: ita ut ex una parte poenitentia exerceat judicium, & exigat satisfactionem à peccatore pro reparanda injuria facta Deo; & ex alia parte afferat remedium, & reparet totum detrimentum, quod peccatum causavit in peccatore.

Obiicitur 4. Ea proportione, qua intendimus aliquod bonum, refugimus malum ipsi oppositum: sed omnes virtutes simul sumptæ respiciunt totum bonum morale: ergo refugiunt omne malum morale, sivè peccatum, & ad ipsum destruendum ordinantur: Igitur poenitentia, quæ ordinatur ad destruendum peccatum, nihil aliud esse debet quàm collectio omnium virtutum.

Respondeo, & est regula generalis, distinguendo primam propositionem, dum intendimus bonum, refugimus malum oppositum, primariò, nego; secun-

dariò tantùm, concedo: quia per se, primariò, & directè intendimus assequi bonum, & per accidens, secundariò, ac indirectè refugimus malum, quatenùs consideramus ipsum ut impeditivum consecutionis boni: poenitentia autem non secundariò tantùm, sed primariò, nec per accidens, & indirectè, sed per se, & directè fertur ad destructionem peccati; undè semper remanet, quòd sit virtus à collectione omnium aliarum virtutum distincta.

Obiicitur ultimó argumentum Caietani, quo vult probare poenitentiam non mereri nomen virtutis, nec habere ipsius rationem: Virtus nunquàm exigit, quòd subiectum sit aliquando sub opposito virtutis; & aliundè natura; & gratia fecerunt nos capaces acquirendi omnes virtutes, absque eo quód necesse sit, quód propterea peccemus: sed poenitentia exigit, quòd subiectum ipsius sit capax peccati, cum tamen peccatum opponatur virtuti; & aliundè necesse est, quod aliquis peccare possit, ut postea possit habere poenitentiam; undè infra etiam dicemus, in Christo non fuisse peonitentiam, quia erat impeccabilis: ergo pœnitentia non meretur nomen virtutis.

Respondet venerandæ semper memoriæ Dominicus de Marinis, cuius anima vivat in sæculum sanctum, sicut commentaria eius gloriosé vivunt in sæculo nostro: Igitur in suis commentariis negat maiorem: sicut enim secundùm omnes Theologos iustitia vindicativa est vera virtus, & tamen necessariò supponit crimen, quod vindicari possit, quamvis crimen opponatur virtuti: similiter medicina est perfecta scientia hominis, quem tamen necessariò supponit obnoxium morbo, quamvis morbus sit imperfectio hominis. Ita poenitentia non desinit esse vera, & perfecta virtus, licèt necessariò exigat præsupponi peccatum, vel saltem peccandi potentiā, quia non ordinatur ad fovendum peccatum, sed ad ipsum destrueudum, & ad reparandum omne malum, quod causavit in homine.

ARTICULUS II.

Vtrùm virtus Pœnitentiæ subiectetur in voluntate.

Advertendum est primò, quòd pœnitentia sumi potest vel ut virtus: vel ut passio. Certum est quòd passio pœnitentiæ subjectatur in appetitu sensitivo, qui est subjectum omnium passionum, ut dicitur suo loco. Sed remanet difficultas hic explicanda de subjecto virtutis Pœnitentiæ.

Advertendum est 2. duplex distingui subjectum respectu cujuslibet virtutis: aliud est subjectum remotum, & mediatum, & quod ipsam virtutem recipit, & hoc subjectum est persona virtuosa: aliud proximum, & immediatum, sivè subjectum quo mediante virtus in persona virtuosa recipitur, & hoc est ipsa potentia, quam virtus afficit. Explicabimus in hoc articulo subjectum, quo, ipsius virtutis pœnitentiæ, sivè in qua potentia recipiatur, in sequentibus verò articulis subiectum quod, sivè in quibus personis subiectetur.

Conclusio: Virtus pœnitentiæ subiectatur in voluntate. Ita communiter Doctores.

Probatur, & infertur ex dictis: Pœnitentiæ virtus directè, & per se ordinatur ad dolendum de peccatis, & detestandum ipsa: ergo subiectari debet in voluntate. Antecedens demonstratum fuit supra: Consequentia probatur: Virtus residere debet in ea potentia, quæ elicit actus huiusmodi virtutis, debet etiam residere ubi vincenda est difficultas, ad quam superandam ordinatur: sed dolor, & detestatio sunt proprii actus voluntatis: peccatum etiam quod per pœnitentiam deleri debet, in voluntate primariò residet; undè commune est axioma, nullum peccatum nisi voluntarium. Maior est communis inter Theologos, sicut Minor inter philosophos.

Obiicitur. Difficultas superanda pœnitentia non est

in voluntate sola, sed etiam immò magis in appetitu sensitivo: ergo si ibi ponenda est virtus, ubi est difficultas vincenda, debebit pœnitentia collocari potiùs in appetitu sensitivo, quàm in appetitu rationali, seu voluntate. Consequentia patet: Antecedens probatur; nam Christus ait, *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*: & experientiâ constat, quòd plures pœnitentes promptam habent voluntatem liberandi se à peccatis, sed postea superantur à difficultatibus, quas ex parte sensuum patiuntur, cum enim ad pœnitentiam exigatur aliquod opus arduum, & pœnale, & sit etiam ut plurimum necessarium ad præcavenda peccata abstinere ab aliquibus delectationibus; indè fit quòd sentiatur magna difficultas agendi pœnitentiam ex parte appetitus sensitivi irascibilis, ad quem pertinet aggredi ardua, & ex parte appetitus sensitivi concupiscibilis, cuius munus est moderari delectationes. Et sanè si ex D. Thoma, virtus fortitudinis subiectatur in appetitu irascibili, & virtus temperantiæ in appetitu concupiscibili, quia ibi sunt difficultates ab huiusmodi virtutibus superandæ, nulla est ratio denegandi virtutem poenitentiæ utrique appetitui sensitivo, cum in utroque reperiatur aliqua difficultas per virtutem poenitentiæ superanda.

Respondeo, & est regula generalis, quòd si in appetitu sensitivo non essent aliæ virtutes, quæ superarent huiusmodi difficultates, deberet ibi collocari virtus poenitentiæ: sed quia fortitudo, & temperantia, quarum altera in appetitu irascibili, altera verò in appetitu concupiscibili subiectatur, ordinantur directè, primariò, & per se ad superandas omnes huiusmodi difficultates, ideò non est necesse quòd in appetitu sensitivo detur virtus poenitentiæ; sed sufficit quòd ipsi subordinentur fortitudo, & temperantia, ita ut virtute poenitentiæ existente in voluntate, & imperante quidquid necesse est ad condignam peccatorum satisfactionem, & reparationem, virtutes fortitudinis, & temperantiæ ex parte sua

existentes in appetitu sensitivo irascibili, & concupiscibili, in ipso exequantur id totum, quod pœnitentia præcipit, & necesse est ad ipsius complementum. Adde, quòd pœnitentia quatenus passio in eodem appetitu sensitivo subjectata, eidemque virtuti pœnitentiæ subordinata facit quidquid faceret ipsa virtus pœnitentiæ, si in hujusmodi appetitu sensitivo collocaretur.

ARTICULUS III.

Vtrùm virtus pœnitentiæ fuerit in Christo & in Beatissima Virgine.

Advertendum est non esse dubium in doctrina D. Thomæ, quòd angeli sint incapaces pœnitentiæ, quandoquidem immobiliter adhærent objecto semel plenè electo; & ita illi qui peccaverunt, fuerunt ita inflexibiles in suo peccato, ut non potuerint ipsum retractare, nec proindè de ipso pœnitere, ut fusiùs ostensum est in tractatu de Angelis. Superest igitur difficultas de hominibus, & in primis de homine Deo, sivè Christo, ac de Beatissima Virgine, de quibus agemus in hoc articulo, acturi de aliis in sequentibus.

Circa Christum Dominum duplex est sententia; altera Suarez, & quorumdam recentiorum existimantium fuisse pœnitentiam in Christo, non quidem ut persona particulari, sed ut capite totius generis humani, quatenùs peccata nostra sibimetipsi imponere voluit, ut pro nobis pœniteret; & satisfaceret: altera est communis inter Thomistas, & alios etiam Theologos, nullo modo fuisse in Christo virtutem pœnitentiæ.

Circa Beatissimam Virginem duplex etiam est sententia, & utraque valdè probabilis tam inter Thomistas, quàm inter alios Theologos: altera virtutem pœnitentiæ ipsi attribuit, altera denegat.

Conclusio. Virtus Poenitentiæ nec fuit in Christo Domino nec in Beatissima virgine.

Probatur de Christo, & infertur ex dictis: Christus est impeccabilis ex natura sua: Ergo est incapax virtutis poenitentiæ. Antecedens supponitur ex tractatu de Incarnatione: Consequentia probatur. Poenitentia instituta est ad destruendum peccatum: Ergo ubi non est, nec esse potest aliquod peccatum, ibi reperiri nequit virtus poenitentiæ.

Dices, hanc rationem convincere quidem, quòd virtus poenitentiæ non est in Christo ut persona particulari, sed semper manet quòd sit in ipso ut capite generis humani; quia licet poenitere non possit de peccatis propriis, poenitere tamen potest de peccatis alienis.

Sed contra: quia Poenitentia ordinatur tantùm ad destructionem, & reparationem peccati commissi à subjecto sibi proprio. Quòd autem velit aliquis imponere sibi pondus alienorum peccatorum, & pro ipsis satisfacere, hoc pertinet ad abundantissimam Charitatem. vndè sicut virtus Charitatis sufficiebat in Christo Domino, vt ipsum moveret ad passionem, & mortem pro salute nostra; ita plusquàm sufficiens erat hæc eadem perfectissima Christi charitas, ut ipsum moveret ad dolendum de peccatis nostris, & satisfaciendum pro ipsis: Quod igitur poenitentia facit in nobis pro nobis, hoc fecit charitas in Christo pro aliis; atque ita nullo modo fuit ipsi necessaria virtus poenitentiæ.

Probatur etiam de beatissima Virgine: Sicut Christus est impeccabilis per naturam, ita beatissima Virgo per gratiam: Ergo sicut in Christo non fuit virtus Poenitentiæ, ita nec in Virgine beatissima. Antecedens supponitur ex tractatu de gratia, ubi ostendimus beatissimam Virginem semper fuisse in gratia confirmatam ita ut nunquam peccare potuerit: Consequentia verò probatur: Gratia deberet esse principium virtutis poenitentiæ sicut & aliarum virtutum: Si igitur ipsa gratia Beatissimæ Virginis affert illi, & donat impeccabilitatem incompatibilem cum

poenitentia, nequit esse principium poenitentiæ in Beatissima Virgine.

Dices Beatissimam Virginem non esse impeccabilem secundùm se, sed solummodò ex suppositione Divinæ gratiæ; atque ita absolutè loquendo esse capacem poenitentiæ.

Sed contra: quia sicut licet Beatissima Virgo non sit impeccabilis secundùm se, sed solummodò pro ut est confirmata in gratia, ita licet fateamur quòd secundum se est capax poenitentiæ, & quòd si illi collata fuisset gratia, in qua non fuisset confirmata, habuisset virtutem poenitentiæ: nihilominus fateri etiam debemus, quòd ex suppositione confirmationis ejus in gratia, sicut impeccabilis est, ita & incapax pœnitentiæ.

Objicitur primò. Ubicumque reperitur essentia, ibi reperiri debent ipsius proprietates: sed gratia habituans, & sanctificans est ejusdem essentiæ in Christo, in Beatissima Virgine, & in omnibus Angelis, & hominibus, ipsiusque proprietas est virtus pœnitentiæ, sicut & quælibet alia virtus: ergo virtus pœnitentiæ reperiri debet in Christo, & in Beatissima Virgine.

Respondeo, & est Regula generalis, distinguendo majorem: Si loquamur de proprietatibus absolutis, concedo; si loquamur de respectivis, nego: & similiter distinguenda est minor. Virtus enim pœnitentiæ non est proprietas absoluta divinæ gratiæ, sivè proprietas, quæ absolutè loquendo consequatur ipsam gratiam, ubicumque reperitur, sed est proprietas respectiva, sivè consequens gratiam respectivè ad subjectum in quo gratia reperitur, nempè si subjectum fuerit capax pœnitentiæ; eo prorsus modo quo virtus temperantiæ est proprietas respectiva gratiæ, sivè habito respectu ad subjectum ejus; undè non reperitur in Angelis, quia sunt puri spiritus, quamvis reperiatur in hominibus, qui habent corpus, & possunt hujusmodi virtutem exercere: Ita similiter virtus poenitentiæ in hominibus dimanat ex gratia, quia sicut sunt capaces peccati, ita & poenitentiæ: Sed in

Christo, & in Beatissima Virgine, in quibus nequit esse peccatum, nequit etiam reperiri pœnitentia, immò nec in Angelis, in quibus licèt peccatum esse possit, non tamen retractatio peccati.

Objicitur 2. Actus conditionatus alicujus virtutis sufficit, ut aliquis possideat illam virtutem: Sed in Beatissima Virgine, immò & in Christo Domino fuit actus conditionatus pœnitentiæ, vel saltem esse potuit: ergo vel fuit in ipsis, vel saltem esse potuit virtus pœnitentiæ. Major probatur ex communi doctrina Theologorum qui docent, quòd pauper potest habere virtutem liberalitatis, & misericordiæ, quia potest exercere hunc actum conditionatum: Si pecuniam haberem, darem eleemosynam: Minor etiam probatur: potuit enim Beatissima Virgo, immò & Christus Dominus exercere hunc actum, si peccarem, pœnitentiam agerem: Ergo tam Christus, quàm Beatissima Virgo potuit habere actum conditionatum virtutis pœnitentiæ.

Respondeo, & est altera Regula generalis, cum distinctione majoris: Sufficit actus conditionatus ad habendam virtutem, si conditio se teneat solummodò ex parte materiæ extrinsecæ talis virtutis, concedo; si se teneat ex parte principii intrinseci, nego. Videamus hoc in exemplo allato, pauper habet virtutem liberalitatis, & misericordiæ, quando habet gratiam, quæ est principium hujus virtutis, & plenam voluntatem exercendi eamdem virtutem, ipsique solummodò deficit materia extrinseca, circa quam virtus illa exercetur. Sed si quis dicat, vellem habere tantam gratiam, & charitatem, quantam habet Virgo Beatissima, & si tantam haberem, quantam ipsa habet, tantùm diligerem Deum, quantùm ipsa eum diligit; non propterea is tantum habebit meritum, quantum habet Virgo Beatissima, quia defectus non provenit solummodò ex aliqua materia extrinseca, sed ex principio intrinseco, quia ipsi deficit tam intensa gratia, & Charitas, sicut illa, quam habet Beatissima Virgo. Et ratio radicalis hujus egregiæ, & notabilis doctrinæ est, quia voluit

Deus quòd tota ratio virtutis, & meriti dependeret ex voluntate nostra ut elevata per gratiam, & non ex aliquo extrinseco, ad hoc ut nec virtus, nec meritum forent obnoxia fortunæ, aut ullo agenti extrinseco, quòd per violentiam vel auferre potest quidquid extrinsecum est, vel saltem impedire exercitium actionis extrinsecæ, sed dependeret à solo Deo, qui gratiam confert, & à voluntate nostra, quæ à nemine cogi, vel impediri potest. Solus igitur defectus gratiæ, aut voluntatis potest impedire virtutem, & meritum, sed non defectus materiæ extrinsecæ. Quæ omnia ut applicentur ad propositum, dicendum est, quòd cum impeccabilitas in Christo, & Beatissima Virgine proveniat nõ solùm ab aliqua materia extrinseca, sed ab ipso intrinseco principio, scilicèt in Beatissima Virgine à gratia ipsi intrinseca, & in Christo insuper à natura ipsi etiam maximè intrinseca, idcircò quantumcumque Christus, & Beatissima Virgo potuerint elicere prædictum actum conditionatum, non potuerunt propterea esse capaces virtutis poenitentiæ.

Dices, hujusmodi actus conditionatus, si peccarem, poeniterem; debet in Christo, & Virgine Sacratissima reduci ad aliquam virtutem: Sed non videtur reduci posse ad aliam, præter virtutem poenitentiæ: Ergo in ipsis est admittenda.

Respondeo quòd in Christo, & Beatissima Virgine hujusmodi actus conditionatus proveniebat ex Charitate, quæ per se primò ferebatur ad diligendum Deum intensissimè, & secundariò ad summam detestationem peccati, & ad illum actum conditionatum: si peccarem, poeniterem. Quia tamen virtus non specificatur ab actu secundario, sed tantùm à primario, idcircò non potest propterea in Christo, & beatissima Virgine virtus Charitatis vocari virtus Poenitentiæ.

ARTICULUS IV.

Utrùm virtus Pœnitentiæ fuerit in Adamo in statu innocentiæ, & sit in parvulis innocentibus.

Conclusio : Virtus Poenitentiæ fuit in Adamo quoad habitum , & non quoad actum , pro statu Innocentiæ : Et simili modo reperitur in parvulis innocentibus. Ita expressè quantùm ad Adamum Divus Thomas 1. p. quæstione 95. articulo 3. & est valdè communis inter Theologos. Quantum verò ad parvulos ita docent omnes Theologi , nullo excepto.

Probatur , & infertur ex dictis : Quotiescumque gratia invenit subjectum capax peccati , toties ex ipsa dimanat virtus poenitentiæ , tanquàm remedium præparatum contra morbum spiritualem peccati , de quo metuitur : Sed gratia collata Adamo innocenti , sicut & parvulis baptizatis , invenit subjectum capax peccati , potuit enim Adamus per peccatum perdere gratiam , & innocentiam , sicut de facto perdidit : & similiter possunt parvuli innocentes peccare , & gratiam perdere , statim atque pertingunt ad usum rationis : Ergo & in Adamo , & in parvulis debet gratia esse radix virtutis poenitentiæ non minùs quàm aliarum virtutum. Et sane si Divina providentia exigebat , quòd statim ad initio mundi producerentur herbæ medicinales , quamvis homo innocens eis non indigeret , eo quod nec morti , nec morbo erat obnoxius , ut his non obstantibus haberet remedium præparatum , quo uti posset , statim atque immortalitatem & impassibilitatem peccando perdidisset. Et similiter si Divina Justitia exigebat quòd statim ab initio mundi creatus esset ignis inferni , ut sciret homo paratum sibi esse supplicium , si peccaret ; à fortiori statim atque homo creatus fuit , exigebat Divina Misericordia , quòd ipsi gratia conferret virtutem poenitentiæ tamquam remedium præparatum contra peccatum quod poterat com-

mittere. Et sicut herbæ medicinales virtutem quidem habebant, sed non exercitium pro statu innocentiæ, ita pro eodem statu debuit quidem esse habitus pœnitentiæ, seu virtus ejus, non autem actus sivè exercitium.

Objicitur 1. Frustra est potentia, quæ nec reducitur ad actum, nec reduci potest: Sed virtus pœnitentiæ in Adamo pro statu innocentiæ, & in parvulis pro toto illo tempore, quòd antecedit usum rationis, nec reducitur ad actum, nec reduci potest: Ergo est omninò frustranea. Major est axioma commune: Minor, quantùm ad parvulos, constat, quia sine usu rationis nullum potest esse exercitium virtutis: Quantum verò ad Adamum, probatur; quia Adamus quamdiu innocens erat, non poterat peccare venialiter, ut diximus suo loco ex communi doctrina Thomistarum, quando verò peccavit mortaliter, tunc innocentiam perdidit. Igitur ex suppositione quòd innocens remaneret, erat impeccabilis, ac proindè exercere non poterat actum virtutis pœnitentiæ.

Respondeo, & est regula generalis, distinguendo illud axioma: Frustra est potentia, quæ non potest reduci ad actum pro omni tempore, concedo, si non possit reduci pro aliquo tantùm tempore, nego, dummodò pro alio tempore sit reducibilis. Exemplum est manifestum in parvulis, qui nec possunt exercere actum intellectus, nec voluntatis ante usum rationis, & nihilhominùs hujusmodi potentiæ non sunt in ipsis frustraneæ, quia licet nequeant reduci ad actum pro aliquo tempore, benè tamen pro alio, & ita non sunt pro omni tempore irreducibiles ad actum. Similiter dicimus in præsenti virtutem penitentiæ, aliasque virtutes non esse inutiles in parvulis, quia licèt ad actum reduci nequeant ante usum rationis, benè tamen statim atque usus rationis habetur. Et similiter licet pœnitentia actum suum non habuerit in Adamo, quamdiu innocens fuit, benè tamen statim atque innocentiam perdidit.

Replicabis primo: Ergò etiam in Beatissima

Virgine debuit esse virtus pœnitentiæ si non quoad actum, saltem quoad habitum. Probatur consequentia: quia sicut Adamus non fuit absolutè impeccabilis, sed tantùm ex suppositione innocentiæ, ita Beatissima Virgo non fuit impeccabilis absolutè, sed tantùm ex suppositione gratiæ: Ergo sicut hoc non obstante, quamdiu fuit gratia in Virgine, tamdiu fuit incapax pœnitentiæ: Similiter quamdiu fuit in Adamo innocentia, tamdiu debuit ab ipso excludi pœnitentia.

Respondeo, negando consequentiam, & paritatem: quia innocentia in Adamo amissibilis erat, sed innocentia in Beatissima Virgine erat inamissibilis; undè in Beatissima Virgine erat suppositio gratiæ, & innocentiæ pro omni statu, & pro omni tempore, ideò non debuit in ipsa esse virtus pœnitentiæ nec quoad actum, nec quoad habitum; quia nunquàm reduci potuisset ad exercitivum. Sed in Adamo, & similiter in parvulis suppositio gratiæ non est pro omni statu, & omni tempore, cum Adamus semper eam perdere potuerit, & de facto aliquando perdiderit, & parvuli eam perdere possint post usum rationis; undè aliquando exerceri potest in eis actus pœnitentiæ, & sic semper habitus ipsius debet esse cum gratia tanquàm proprietas.

Replicabis 2. Illa virtus pœnitentiæ, quæ fuit in Adamo pro statu innocentiæ, numquam potuit reduci ad actum: Ergo nulla solutio. Probatur antecedens: non enim potuit reduci ad actum pro ipso statu innocentiæ, quia pro tunc Adamus erat impeccabilis ut jam diximus: Sed nec etiam post deperditum innocentiæ statum per originale peccatum, quia simul cum gratia, & innocentia tanquam essentia, Adamus perdidit omnes virtutes supernaturales, & infusas, inter quas ponitur ipsa virtus pœnitentiæ, exceptis sola fide, & spe, de quibus est specialis ratio cur in peccatore remaneant post deperditam gratiam, ut suo loco jam vidimus: Et quamvis Adamus recuperaverit gratiam, & cum ipsa omnes virtutes,

proindeque etiam virtutem poenitentiæ, attamen hujusmodi virtus poenitentiæ recuperata non fuit eadem numero cum præcedenti virtute poenitentiæ: Ergo illa numero virtus poenitentiæ, quæ fuit in Adamo innocente, vel in ipso fuisset, nunquàm habuisset actum suum, nec ipsum habere potuisset.

Respondeo, omissis aliis solutionibus, quòd etiam in statu innocentiæ illa numero virtus pœnitentiæ, quæ fuit in Adamo, suum actum habuit, non quidem absolutum, sed conditionatum, sufficientem tamen ad virtutem ipsam: quia supra diximus, quòd tunc actus conditionatus sufficit ad virtutem, quando deficit solummodò materia, cujus aliundè subjectum est capax; v.g. quia pauper est capax habendi pecuniam, licèt per accidens ipsi deficiat, idcircò ad hoc ut habeat virtutem liberalitatis, & misericordiæ, sufficit quòd eliciat istum actum conditionatum: Si pecuniam haberem, eam in eleemosynam darem. Quia igitur Adamus fuit subjectum obnoxium peccato, & gratia in illo subjecto non afferebat secum impeccabilitatem, sicut in Beatissima Virgine, ideò licèt iste actus conditionatus, si peccarem, pœniterem, non fuerit sufficiens ad virtutem pœnitentiæ in Beatissima virgine, bene tamen in Adamo pro statu innocentiæ. Quando autem divus Thomas loco supra citato, & Nos etiam cum ipso diximus in Conclusione: Virtutem pœnitentiæ fuisse in Adamo, innocente quoad habitum; & non quoad actum, excluditur solummodò actus absolutus, non autem actus conditionatus.

ARTICULUS V.

Utrùm pœnitentia sit in justis, & peccatoribus, & remaneat in Beatis, & damnatis.

Conclusio: Virtus pœnitentiæ reperitur simul cum gratia in hominibus justis, & remanet etiam in

Beatis ad ornatum, & triumphum, immò etiam aliqualiter ad exercitium. Sed in peccatoribus, & damnatis non remanet poenitentia ut virtus, ſed tantùm ut paſſio. Ita communiter nedum Thomiſtæ, ſed etiam alii Theologi.

Probatur ex dictis prima pars Concluſionis: Omnes virtutes morales infuſæ, & ſupernaturales concomitantur gratiam, tanquam proprietates eſſentiam, ſi nullum aliundè ſit obſtaculum hujuſmodi virtutibus: ſed virtus pœnitentiæ annumeratur inter virtutes morales, quæ ſunt ſupernaturales, & infuſæ, ut diximus agendo de hujuſmodi virtutibus: aliundè ſi Chriſtum excipiamus, & Beatiſſimam virginem, nullus eſt alius juſtus, in quo ſit obſtaculum virtutis poenitentiæ: Ergo in quolibet juſto ſimul cum gratia reperitur virtus pœnitentiæ.

Probatur ſecunda pars: Virtutes, quæ ſunt in hominibus juſtis in via, remanent in ipſis etiam in patria, quando non habent ſpecialem quandam oppoſitionem, & incompatibilitatem cum Beatifica viſione, ita ut ſi non poſſint in Beatis habere exercitium, ſaltem remaneant ad ornatum, & triumphum: ſicut milites poſt victoriam de inimicis reportatam, quamvis non indigeant ampliùs armis ſuis, nec ea debeant exercere, ipſa tamen ſervant ad ornatum, & triumphum, & ad memoriam prӕteritæ victoriæ. Unde fatentur omnes, quòd quamvis homines Beati non debeant amplius exercere virtutem temperantiæ, aut fortitudinis, quia nulla prava voluptas ab illis refrenanda eſt, nec ulla difficultas ſuperanda, remanent tamen hujuſmodi virtutes ad ornatum, & triumphum, & ad memoriam victoriæ ſuæ. Igitur ſimili modo virtus poenitētiæ, per quam beati, dum erant in via, reportârunt victoriam de inimicis ſuis, ſivè de peccatis, debet in eis remanere ad memoriam hujus victoriæ, ad ornatum eorum, & perpetuum triumphum.

Immò conveniens eſt, quòd remaneat in ipſis aliquo modo ad exercitium, ut ait Divus Thomas 4. ſententiarum, diſtinctione 14. quæſt. 1. articulo

3. *quatenus*, inquit Sanctus Doctor, *virtus pœnitentia in beatis eos inclinabit ad agendum gratias Deo pro liberatione à peccatis eorum, & ab omnibus pœnis, quæ ipsis debebantur*. Immò etiam si rem istam benè consideremus, virtus poenitentiæ in beatis semper eliciet actum formalissimum, & perfectissimum primarium, & absolutum ipsius poenitentiæ vt enim dicemus in articulo sequenti, talis actus est detestatio peccatorum, omnes autem Beati sicut summè diligent Deum, ita summè detestabuntur omne peccatum; & licet iste actus beatorum sit imperandus ab eorum Charitate, erit tamen eliciendus à pœnitentia; sicut supra diximus, quòd dolere de peccatis propter Deum summè dilectum est à Charitate imperativè, & à poenitentia elicitivè.

Probatur pars tertia: Virtus poenitentiæ est incompatibilis cum peccato mortali: Ergo non remanet in pecatoribus, quales dicuntur illi, qui sunt in statu mortalis peccati, multòque minùs remanet in damnatis. Probatur antecedens: Virtus poenitentiæ non est apta remanere in aliquo subjecto, nisi sit nata producere in ipso actum sui perfectum, quia ad actum imperfectum non datur nisi imperfectum principium, quale est auxiliam transiens; sed ad actum perfectum datur etiam principium perfectum, qualis est virtus permanens: Undè virtus pœnitentiæ datur ad actum contritionis, qui est actus ejus perfectus; sed ad actum attritionis, qui est actus ejus imperfectus, sufficit auxilium transiens: Propterea concilium Tridentinum ait, quòd attritio est à Spiritu sancto *movente* quidem, sed *nondum inhabitante*, ut inferiùs magis explicabimus, ubi etiam ostendemus quòd licèt attritio sola, sine Sacramento in re, non justificet, attamen contritio, quæ involuit Sacramentum in voto tantùm, semper justificat peccatorem. Igitur si actus perfectus poenitentiæ, sivè contritio, justificat peccatorem, & sic est incompatibilis cum statu peccati mortalis; & aliundè virtus nequeat in illo subiecto reperiri, in quo reperiri nequit actus ejus perfectus, sequitur virtutem poenitentiæ simul cum ipsa gratia perire, nec

remanere in peccatoribus, multóque minùs in damnatis, cum sit multò magis incompatibilis cum statu damnationis, quam cum solo statu peccati mortalis.

Remanet tamen in peccatoribus pœnitentia ut passio; immò etiam in damnatis remanet eadem passio pœnitentiæ ad eorum confusionem, & cruciatum, juxta illud sapientiæ 5. ubi de damnatis dicitur, *gementes præ angustia spiritus, & intra se pœnitentiam agentes.* Sed ut ait Divus Thomas: Hæc poenitentia est infructuosa, quia damnati sunt confirmati in malo, ita quòd non potest eis displicere peccatum, sed solummodò displicet eis poena, quam patiuntur. Et hæc est differentia inter dæmones, & homines damnatos ex una parte, & peccatores adhùc viatores ex alia, quòd damnati non possunt dolere de culpa, sed tantum de poena: sed peccatores quamdiu sunt in via, possunt dolere etiam de culpa per attritionem, vel etiam per contritionem: Undè diximus in aliquo præcedentium Articulorum, nullum esse peccatorem ita excæcatum, & obduratum, qui quamdiu manet in via, non possit poenitentiam agere de peccatis suis.

Objicitur I. Fides, & spes non remanent in Beatis nec ad exercitium, nec ad ornatum, ut docent Thomistæ in tractatu de virtutibus Theologicis: Ergo etiam neutro modo debet in eis remanere virtus pœnitentiæ. Probatur consequentia: quia sicut visio Beatifica importat claritatem, quæ opponitur obscuritati fidei, & possessionem quæ opponitur tendentiæ Spei, ita importat absolutam impeccabilitatem, quæ opponitur virtuti poenitentiæ: Ergo.

Respondeo, negando consequentiam, & paritatem: quia fides est credere, quæ non vides, ita ut virtus fidei exigat, quòd objectum creditum non videatur. Similiter spes tendit ad possessionem Dei; undè exigit, quòd nondum possideatur Deus: atque ita non est mirum, si statim atque videtur, & possidetur Deus, cessent fides, & spes. Sed illud quod præcipuè importatur per virtutem poenitentiæ, est detestatio peccatorum anteà commissorum; quæ detestatio est in Beatis sine dolore, in viatoribus autem cum dolore.

Undè non est mirum, si non obstante Beatifica visione, & non obstante etiam impeccabilitate, quæ est Beatificæ visionis proprietas, Beati sicut semper detestantur peccata, quæ commiserunt in via, ita etiam semper retineant virtutem poenitentiæ.

Objicitur 2. virtus fidei, & virtus spei remanent in peccatoribus, ut docent omnes Theologi in eodem tractatu de virtutibus Theologicis, nisi peccator commiserit aliquod peccatum directè oppositum hujusmodi virtutibus, sivè peccatum infidelitatis, & desperationis: Ergo similiter debet remanere virtus poenitentiæ, nisi peccator commiserit peccatum directè ipsi oppositum, sivè peccatum impoenitentiæ. Probatur consequentia: Ideò remanent fides, & spes, quia sunt dispositiones necessariæ ad recuperandam gratiam ut jam diximus in citato tractatu: Sed etiam poenitentia est dispositio omninò necessaria ad eamdem gratiam recuperandam, ut patet ex jam dictis, & patebit ampliùs ex dicendis: Ergo.

Respondeo, negando consequentiam, & paritatem: Quia fides, & spes possunt esse perfectæ saltem in sua specie, non obstante statu peccati mortalis: potest enim peccator perfectè credere omnia Fidei mysteria, & similiter sperare: Undè remanere possunt hujusmodi virtutes in peccatore. Sed perfecta poenitentia est incompatibilis cum peccato mortali; nam ut jam ostendimus, si quem perfectè poeniteat eliciendo actum contritionis, hoc ipso justificabitur: Undè principium perfectum pœnitentiæ remanere nequit in peccatore, sivè ipsa virtus pœnitentiæ, sed solummodò ipsi dari potest auxilium transiens ad producendum actum imperfectum, sivè ad eliciendam attritionem, per quam disponatur peccator ad recuperandam gratiam.

Objicitur 3. Character remanet in damnatis: Ergo etiam virtus Pœnitentiæ: Cum enim Character sit entitas supernaturalis, non est potior ratio de ipso, quàm de virtute poenitentiæ.

Respondeo negando consequentiam, & paritatem: Ratio discriminis est, quia character non est virtus, sed potentia, ut supra ostendimus, agendo de Charactere. Et quia potentia de se est indifferens ad bonum, & malum.

& malum morale ideò Character non reddit subjectum suum moraliter bonum, sed virtus pœnitentiæ reddit subjectum suum moraliter bonum, ut jam vidimus: Et quia in statu damnationis nullus potest esse moraliter bonus, ideò nō potest in statu damnationis remanere virtus pœnitētiæ, sicut remanet character.

ARTICULUS VI.

Quot sint actus Virtutis Pœnitentiæ.

Conclusio: sicut sunt tres partes Sacramenti Pœnitentiæ; ita sunt tres actus virtutis Pœnitentiæ, ad quos reduci possunt omnes alij, scilicèt contritio, confessio, & satisfactio.

Probatur, vel potiùs explicatur. Contritio est dolor de peccatis: & si quidem doleat aliquis de peccatis suis propter Deum summè dilectum, est contritio perfecta, quæ simpliciter nomen contritionis retinet: si verò doleat de peccatis propter metum inferni, vel pœnarum temporalium, vel turpitudinem peccati, est contritio imperfecta, quæ attritio dicitur. Confessio verò vel fieri potest in sacramento, vel extra Sacramentum: Sola Confessio Sacramentalis est perfecta, & de se proximè dispositiva ad gratiam: Confessio verò extra Sacramentum, quæ fieri potest humilitatis causâ, vel etiam ad concipiendum majorem dolorem de peccatis, & subeundam majorem poenam, seu confusionem, est imperfecta, & remotè tantùm dispositiva ad gratiam ex Divina Bonitate, & Misericordia. Satisfactio importat propositum amplius non peccandi: non enim censeretur aliquis re vera dolere de peccatis, & velle Deo pro illis satisfacere, si non proponeret abstinere imposterùm ab ipsis: Undè satisfactio importat etiam aliquam pœnam, seu pœnalitatem, quæ communiter pœnitentia dicitur, nedùm in punitionem præteritorum peccatorum, sed etiam in præcautionem futurorum, ita ut poenitentia debeat simul ac semel esse punitio criminum, & remedium eorum. Quæ omnia luculentiùs aperientur in sequentibus Quæstionibus ut potè apprime necessaria, & utilia.



QUÆSTIO III.

De Contritione imperfecta, sivè de Attritione.

CONtritio ut supra diximus est duplex; altera perfecta, quæ simpliciter, & absolutè contritio dicitur, de qua agemus in sequenti Quæstione: altera imperfecta, quæ dicitur attritio, & est dolor de peccatis propter turpitudinem peccati, vel metum gehennæ inferni, & de hac agimus in Quæstione præsenti, quæ est tertia hujus Tractatus.

ARTICULUS I.
Utrum Attritio sit actus bonus, & laudabilis.

Hæretici labentium temporum negant Attritionem esse actum bonum, & laudabilem: immò asserunt quòd facit hominem hypocritam, & magis peccatorem; quia ille hypocrita est, qui exteriùs simulat sanctitatem, quam non habet interiùs: Existimant autem Hæretici, quòd peccator solummodò attritus quamvis simulet se non peccare, nec habere voluntatem peccandi, immô etiam detestari peccata, nihilominus retinet plenam voluntatem peccandi, & complacentiam in peccatis suis; & in eodem sensu existimant fieri majorem peccatorem, quia istud peccatum hypocrisis superaddit alijs præcedentibus peccatis, Contra quos est expressa definitio Concilii Tridentini sessione 14. de Poenitentia, capite 4. ubi sic dicitur: *Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quia vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehenna, & pœnæ metu concipitur, si voluntatē peccandi excludat cum spe veniæ, declarat non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam Dei donum esse, & spiritus Sancti impulsum nō adhùc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis,*

quo pœnitens adjutus viâ sibi ad justitiam parat.

Conclusio: Attritio est actus valdè bonus, & valde laudabilis.

Probatur 1. ratione fundamentali: Omnis actus, cujus objectum est bonum, & laudabile est etiam ipse bonus, & laudabilis: Sed objectum attritionis est bonum, & laudabile: Ergo ipsa etiam attritio est bona, & laudabilis. Major est communis doctrina Philosophorum; quia omnes actus specificantur ab objectis suis, & ideò fieri non potest, quin actus ille sit bonus, & laudabilis, cujus objectum est bonum, & laudabile: Minor probatur: Objectum attritionis est timor pœnarum inferni, ex quo provenit detestatio peccatorum: Sed hujusmodi timor est bonus, & laudabilis: Ergo. Minor probatur: Illud enim est bonum, & laudabile, ad quòd ipsemet Christus inducit cum Prophetis, & Apostolis, & totâ ferè Scripturâ Sacrâ: Sed Christus cum Apostolis, & Prophetis nos inducit ad hujusmodi timorem: nam Christus Matthæi 10. ait, *Timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* Isaias etiam capite 26. ait, *A timore tuo, Domine, concepimus, & quasi parturivimus, & peperimus spiritum salutis*, idest, poenæ salutaris Similiter Diuus Joannes Baptista, ut refertur Matthæi 3. Divus Paulus ad Romanos 2. aliique Prophetæ, & Apostoli motivo poenarum inducunt peccatores ad poenitentiam. Psalmista etiam de se ipso ait, *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem:* Ubi constat quòd præmium bonorum operum erat motivũ Prophetæ ad benè agendum: Cur ergo vitatio poenæ peccatis debitæ non poterit esse motivum & bonum, & laudabile ad dolendum de peccatis, & ad ipsa destanda.

Responderi potest duplicem esse timorem; alium servilem, & alium filialem: Timor quidem filialis est bonus, & laudabilis; sed timor servilis est malus, & vituperabilis: Cum igitur attritio procedat ex timore non filiali, sed servili, non est bona, sed mala, nec laudabilis, sed vituperabilis.

Sed contra: Timor filialis, non procedit ex consideratione poenæ, sed ex reverentia Divinæ Majestatis;

quia proprium est filiorum non attendere ad poenam, sed ad reverentiam parentibus debitam: timor autem servilis procedit ex consideratione poenæ; quia proprium est servorum intuitu poenæ moveri ad observanda præcepta dominorum: Cum ergo Christus, Prophetæ, & Apostoli inducant homines ad benè agendum, & ad detestanda peccata ex cōsideratione ipsius poenæ, & non tantùm ex reverentia Majestatis Divinæ, inducunt eos nedùm ad timorem filialem, sed etiam ad timorem seruilem; proindeque debet iste timor servilis, sicut ille filialis, esse bonus, & laudabilis. Et sanè sicut operari propter mercedem non est proprium filiorum, sed servorum, & mercenariorum, & tamen tota Scriptura nos inducit ad benè operandum etiam intuitu mercedis: ita quamvis desistere à peccatis propter metum inferni, non sit proprium filiorum, sed servorum, non desinit propterea Scriptura Sacra uti hoc motivo, ut inducat nos ad bona opera. Et hoc est maximum signum summæ Bonitatis Dei, secundùm quàm ita afficitur erga salutem nostram, ut omnibus omninò medijs utatur ad eam procurandam.

Hoc benè explicat D. Thomas 2. 2. quæstione 19. articulo 7. in corpore, ubi ait: *Timor servilis est sicut principium extra disponens ad sapientiam, inquantum aliquis timore pœnæ discedit à peccato, & habilitatur per hoc ad sapientiæ effectum, secundùm illud Ecclesiastici 1. Timor Domini expellit peccatum.* Et in eadem quæstione articulo 8. ait ex Divo Augustino, quòd *timor servilis introducit charitatem, sicut seta introducit linum.* Sed esse dispositionem ad sapientiam, & charitatem est bonum & laudabile, ut per se patet: Ergo timor seruilis est bonus, & laudabilis, proindeque etiam attritio, quæ ex ipso procedit.

Probatur 2. & infertur ex ordine stabilito à Divina Providentia: Deus enim nedùm produxit coelum, sed etiam infernum: producendo coelum intendebat nos per ipsum tanquàm per præmium, & mercedem excitare ad bona opera, talis præmii, & mercedis merito-r a: producendo verò infernum intendebat nos retrahere à peccatis, quæ demerentur hujusmodi punitionē,

& supplicium. Dum igitur aliquis ex consideratione talis pœnæ inferni peccatoribus præparatæ detestatur peccata sua, & cum hac detestatione, quæ est ipsa attritio, intendit se se disponere ad gratiam sanctificantem in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam, operatur juxta intentionem, & dispositionem Divinæ Providentiæ, & ita hujusmodi actus est bonus, & laudabilis.

Probatur 3. Si attritio non esset actus bonus, & laudabilis, sed malus, & vituperabilis, vel hoc proveniret ex illis, quæ importat, vel ex illis, quibus caret: Sed ex neutro capite: Ergo. Major patet ad oculum: Probatur minor: Attritio importat hæc tria, dolorem de peccatis, timorem pœnæ, & desiderium vitandi ipsam: Sed certum est quòd dolere de peccatis est valdè bonum, & valdè laudabile, timere poenam est etiam bonum, & laudabile; aliàs Christus, & tota ferè Scriptura non induceret nos ad hunc timorem, quòd tamen facit ut jam ostendimus: Quòd etiam aliquis desideret vitare poenam, est conforme Divinæ Providentiæ, & rectæ rationi, ac proindè bonum & laudabile. Igitur illa quæ importantur in Attritione, ipsam vitiare non possunt.

Probatur etiam quòd non vitietur ex altero capite: Si enim attritio mala foret, & vituperabilis ex parte eorum, quibus caret, maximè quia non refertur ad Deum tanquàm ad finem ultimum, sivè quia est attritio informis, idest, non formata per Charitatem: Sed propter hoc non redditur mala, aut vituperabilis; quia præceptum Charitatis, & præceptum referendi omnia opera nostra in Deum tanquàm finem ultimum est præceptum affirmativum, quod obligat quidem semper, sed non pro semper: Undè licèt non semper referamus opera nostra ad Deum, non sunt propterea mala, & vituperabilia: Si igitur actus attritionis eliciatur in illo tempore, in quo non currit obligatio hujus præcepti, non erit actus malus, & vituperabilis ex illa parte, & aliundè erit bonus, & laudabilis, ut jam ostendimus.

Objicitur 1. Illud quòd repugnat charitati, non potest esse bonum, & laudabile: Sed timor servilis repugnat charitati, & est incompatibilis cum ipsa: Ergo

nequit esse bonus, & laudabilis, nec proindè etiam attritio quæ in hoc timore fundatur. Major est evidens: quia charitas nequit esse incompatibilis cum ullo bono quandoquidem perficit omne opus bonum, & ipsum refert ad debitum finem ultimum; undè non potest majus esse signum quòd aliquid sit malum, quàm si fuerit incompatibile cum ipsa charitate. Minor autem probatur & ex Scriptura Sacra, & ex Divo Augustino, & ex D. Thoma: nam jam diximus ex Scriptura, quòd *charitas foras mittit timorem*: Sed si charitas timorem compati posset, illum non excluderet: Ergo timor, non quidem filialis, sed servilis est incompatibilis cum charitate. Idem etiam diximus ex D. Augustino explicante eumdem Scripturæ locum. Et D. Thomas 2. 2. quæstione 19. articulo 4. ex professo demonstrat in corpore articuli timorem servilem esse oppositum charitati, non quidem quoad substantiam timoris, sed quoad ipsam servilitatem, ita ut adveniente charitate servilitas timoris excludatur. Igitur ex Angelico Doctore servilis timor est malus, & vituperabilis, si non materialiter, & specificativè, ac secundùm se, saltem formaliter, & reduplicativè prout servilis est: Sed attritio provenit ex timore servili formaliter, & reduplicativè ut tali: Ergo mala est, ac vituperabilis.

Respondeo, & est Regula generalis pro intelligentia omnium hujus generis authoritatum, distinguendo duplicem timorem servilem, & duplicem etiam attritionem; alius est timor purè servilis nihil prorsùs habens admixtum de timore filiali; & alius timor servilis habens aliquid admixtum de timore filiali. Timor purè servilis facit, ut aliquis purè ac præcise timeat pœnam, & ad ipsam vitandam vel etiam vitare culpam sed nullo modo curet de diligendo Deo, nec de peccatorum detestatione propter ipsum Deum summè dilectum; & fateor quòd iste timor servilis est malus, & vituperabilis, & incompatibilis cum charitate. Sed timor servilis aliqualiter admixtus filiali ita facit quod timeamus pœnam, & ad ipsam evitandam abstineamus à culpa, ut simul ac semel intendamus si non efficaciter pro tunc, saltem inefficaciter obtinere gratiam, & charita-

tem , per quam Deum super omnia diligamus, & propter ipsum peccata detestemur, ita ut ista voluntas fiat etiam efficax per Sacramentum Pœnitentiæ in re susceptum , nam ut dicemus postea , Sacramentum Pœnitentiæ facit ex attrito contritum : & iste timor est bonus , & laudabilis , nec excluditur à charitate , sed per ipsam perficitur. Quando igitur Scriptura , Divus Augustinus , & Divus Thomas dicunt , quòd charitas excludit timorem servilem , loquuntur de timore purè servili, non autem de timore servili aliqualiter admixto filiali ; quòd optimè explicatur ab eodem angelico Doctore ibidem , ait enim in corpore articuli 4. jam citati , quòd se habet timor servilis ad charitatem, sicut fides informis : Undè sicut charitas superveniens non excludit ipsam fidem , sed eam potiùs perficit , & solummodò excludit informitatem fidei , ita non excludit timorem servilem , sed eum potiùs perficit , & solummodò excludit puram ipsius servilitatem , sivè facit quòd non sit ampliùs pura, ac præcisa servilitas, sed quòd associetur timori filiali.

Simili modo distingui debet duplex attritio ; alia quæ fundatur in timore purè servili , & intendit solummodò vitare pœnam, ita ut hæc evitatio pœnæ sit objectum ejus nedùm motivum , sed etiam terminativum , idest , nedùm moveatur ex desiderio vitandi pœnam , sed etiam totum ipsius desiderium ibi terminetur , & nullo modo intendat amorem aut virtutis , aut Dei : Et hæc attritio est mala ; & vituperabilis ; & à Caietano dicitur attritio latronum , qui nullo modo diligunt justitiam , sed solummodò reformidant poenam. Alia verò est attritio , quæ fundatur in timore servili admixto filiali vel efficaciter , vel saltem inefficaciter , & habet quidem considerationem pœnarum pro objecto motivo , sed non pro terminativo , quia licet ex tali consideratione moveatur , attamen ibi non sistit , sed ulteriùs tendit , ipsiusque desiderium tandem terminatur ad ipsam gratiam , & charitatem obtinendam quia taliter attritus intendit accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ , ut ibi justificetur : Et hæc attritio est valdè bona , & laudabilis , ac illa , de qua dicit Concilium Tridentinum esse donum

Spiritus S. moventis, licèt nondùm inhabitantis.

Objicitur 2. & instatur contra præcedentem solutionem. D. Thomas loco jam citato 1. 2. quæstione 19. articulo 4. sibi objicit glossam ex Augustino desumptã, in qua dicitur: *Qui timore aliquid facit, & si bonum sit quòd facit, non tamen benè facit.* Et idem sanctus Epistolâ 144. ait, *Inimicus justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat: amicus autem erit si ejus amore non peccat, tunc enim verè timebit peccare.* Et ibidem ait, *Qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere: ille autem peccare metuit, qui peccatũ ipsum sicut gehennas metuit.* Ubi Divus Augustinus loquitur de timore servili generaliter sũpto.

Respondet D. Thomas ibidem ad primum, *Dicendum quòd illud verbum Augustini intelligendum est, de eo qui facit aliquid timore servili, inquantum servilis est, ut scilicèt non amet justitiam, sed solùm pœnam timeat.* Ex quibus verbis Doctoris Angelici confirmatur præcedens Regula generalis, scilicèt attritionem ex timore purè servili esse malam, & vituperabilem: Et de ipsa loquitur Augustinus, quando timorem illum vituperat: Sed semper manet, quòd attritio proveniens ex timore servili aliqualiter admixto filiali, sivè cum aliquali amore efficaci, vel saltem inefficaci ipsius justitiæ, est bona, & laudabilis, ut ostendimus etiam ex eodem D. Augustino probando nostram conclusionem.

Objicitur 3. Attritio non est bona, neque laudabilis, sed potiùs hominem facit hypocritam, & pejorem, si exteriùs quidem videtur detestari peccata, sed tamen interiùs sibi complacet in eis: Sed sic est quòd peccator attritus, quantùmvis videatur detestari peccata, re ipsa tamen retinet complacentiam in ipsis, si non formaliter, & expressè, saltem virtualiter, & interpretativè: Ergo. Major constat: nam omnis actus includens complacentiam peccati, redditur malus ex illo malo objecto: Minor autem probatur: Illa quæ fiunt ex timore, sivè metu, secundùm philosophos præsertim Thomistas, & etiam Theologos in tractatu de actibus humanis, mixta sunt ex volũtario & involũtario, quia actus ex metu proveniẽs est volũtarius prout hìc &

nunc elicitur, sed involuntarius est, prout secundùm se consideratur, v. g. mercator, qui exorta tempestate ad vitandum periculum naufragii projicit merces suas in mare licèt hoc faciet voluntariè, prout hîc & nunc constitutus est in periculo, tamen facit involuntariè, considerando rem secundùm se: & ideò quamvis merces projiciat, nihilominùs retinet complacentiam ad ipsas secundùm se consideratas, & vellet eas conservare, nisi periculum naufragii aliud exigeret: ergo similiter attritio, quæ concipitur ex metu inferni, partim est voluntaria, partim involuntaria; & licèt peccator deserat ipsa peccata, retinet tamen complacentiam ad ea secundùm se considerata, & vellet peccare, nisi timor inferni cogeret ipsũ, & impelleret ad deserẽda peccata.

Respondeo quòd vera attritio non compatitur illam virtualem complacentiam in peccatis. Et ad rationem subjunctam, concedo antecedens de mercatore merces projiciente, & regulariter loquendo de omnibus, qui operantur ex metu: sed nego consequentiam de peccatore attrito, sicut & paritatem; nam ab hac generali Regula excipi debet actus attritionis; Ad probationem minoris.

Respondeo, in hac regula generali, & communi doctrina dari exceptionem pro vera attritione: Quòd enim Thomistæ, & alii Theologi post Aristotelem, & Divum Thomam, docent de metu, intelligi debet de metu naturali, sivè causarum naturalium, & ipsorum hominum, non autem de metu supernaturali proveniente ex causis supernaturalibus, & ex parte Dei: quia Aristoteles lumine fidei destitutus non cognovit hujusmodi causas supernaturales. Dicimus igitur quòd metus naturalis habet admixtum voluntarium, & involuntarium; & quando aliquis ex metu aliquid facit, simul habet voluntatem absolutam illud faciendi, & voluntatem conditionatam, seu velleitatem illud non faciendi: v. g. mercator, qui propter tempestatem cogitur projicere merces in mare ad vitandum naufragium, vel dare certam pecuniæ summam latronibus ad salvandam vitam, simul ac semel vult projicere merces, & dare pecuniam attentis hîc, & nunc circumstantiis; sed vellet etiam nec projicere merces, nec da-

re pecuniam abstrahendo ab hujusmodi circumstantiis. Attamen peccator attritus ex metu supernaturali, & vera attritione ita relinquit peccata, ut nec habeat circa ipsa voluntatem absolutam, nec conditionatam ea committendi, sive nec formet actum voluntatis perfectæ, hujusmodi peccatorum nec actum voluntatis imperfectè seu velleitatem ipsorum. Et ratio notabilis hujus discriminis est, quia metus movet ad agendum illud omne quod requiritur, & sufficit ad vitandum malum, quod timetur: Et quia respectu causarum naturalium, & ipsorum hominum sufficit actus exterior, quidquid postea sit de interna voluntate, ideò hujusmodi metus inducit tantùm ad actum exteriorem, & non curat de interiori; v.g. sufficit mercatori ut de facto merces projiciat in mare, quantùmvis retineat complacentiam ad ipsas, & voluntatem aut velleitatem eas conservandi, ideò metus movet ad istam projectionem mercatorem, sed permittit quòd retineat istam complacentiam, & velleitatem: Sed respectu Dei, qui scrutatur corda hominum, non sufficit exteriùs derelinquere peccata, sed etiam exigitur, ut peccator non retineat velleitatem circa ipsa.

Objicitur 4. & replicatur contra præcedentem solutionem: Peccator attritus est taliter dispositus, ut si non esset infernus, non doleret de peccatis: Ergo si non retinet voluntatem, saltem retinet velleitatem peccandi. Consequentia videtur evidens; quia peccator ita dispositus intra se virtualiter, & interpretativè dicit, vellem peccare, si infernum non timerem; immò videtur dicere, vellem infernum non esse, ut liberè peccarem: Ergo retinet saltem velleitatem peccandi. Antecedens probatur: Cessante motivo totali, vel saltem principali alicujus actus, statim cessat hujusmodi actus; undè omnes illi Theologi, qui dicunt remedium originalis peccati fuisse vel motivum totale, vel saltem principale adventûs Christi, consequenter docent quod Christus non venisset, si Adam non peccasset: Sed motivum totale, vel saltem principale attritionis est evitatio pœnarum inferni, ut patet ex jam dictis: Ergo si non essent hujusmodi pœnæ, peccator vellet in suis peccatis remanere.

Respondeo 1. & est altera Regula generalis, concedendo antecedens, & negando consequentiam: quia fateri possumus, quòd peccator solummodò attritus haberet voluntatem peccandi, si non esset infernus, sed negandum est quòd propterea nunc habeat aut voluntatem, aut velleitatem, alias non foret verè attritus, sicut non foret vera ipsius attritio, si vellet non dari infernum, ad hoc ut liberiùs peccare posset. Igitur dicendum est, quòd dummodò peccator attritus in hoc sibi complaceat quòd Divina Providentia statuit pœnas inferni contra peccatores, & voluit eas esse motivum ad retrahendum ipsos ab eorum peccatis, hoc sufficit ut bona sit, & laudabilis ipsius attritio, quia re vera divina Providentia voluit statuere poenas inferni, ut illi qui non retraherentur à suis peccatis per considerationem Divinæ Bonitatis, vel præmii bonis præparati, saltem retraherentur per considerationem supplicii præparati malis.

Respondeo 2. negando quòd peccator attritus sit ita dispositus, ut peccare vellet, si infernus non esset: Et ad rationem subjunctam dico, quòd licet verum sit cessare actionem, quando totale motivum agendi cessat; quia tamen consideratio inferni exigit quòd peccator dum est verè attritus, sit ita dispositus, ut nollet neque peccare, neque in peccato sibi complacere, nec in statu præsenti in quo reperitur, nec in alio statu in quo poneretur: Uno verbo exigitur ad hoc ut evitetur infernus quòd peccator non complaceat sibi in peccatis quomodocumque consideratis: & aliundè ut jam diximus, timor inducit ad faciendum id totum, quod requiritur ut vitemus malum, quod timemus; idcircò peccator verè attritus in virtute ipsius attritionis concipit dolorem de peccatis, & voluntatem non peccandi, nec sibi complacendi in peccatis, nec pro statu præsenti, nec pro quolibet alio statu: & si sublato inferno, contingeret ipsum peccare, hoc non faceret ex vi præsentis dispositionis, in qua reperitur dum est attritus.

Objicitur 5. & replicatur contra eamdem solutionẽ: Actus attritionis non excludit voluntatẽ peccãdi, si nõ

excludit statum peccati: Sed hujusmodi statum non excludit: Ergo nec hujusmodi voluntatem. Major probatur: Status peccati subsistere nequit nisi sit voluntarius; nam de peccato tam habituali, quàm actuali verificatur illud axioma commune, peccatum usque adeò est voluntarium, ut si non sit voluntarium non sit peccatum: Ergo status peccati esse nequit nisi voluntarius; ita ut intantùm remaneat hujusmodi status, in quantùm aliquis non retractat peccatum commissum, ideòque semper censetur ipsi voluntarium. Minor etiam probatur: quia attritio sine Sacramento Pœnitentiæ non justificat hominem, hoc enim proprium est solius contritionis, ut dicemus postea: Ergo relinquit peccatorem in statu peccati, quantùm est de se, sivè abstrahendo à Sacramento pœnitentiæ.

Respondeo, distinguendo majorem; non excludit voluntatem peccandi habitualem concedo; actualem nego: quamvis autem attritio relinquat peccatorem in statu peccati, sivè in ipso habituali peccato, quousque accedat ad Sacramentum pœnitentiæ, atque ita voluntatem peccati habitualem non tollat, sivè non faciat retractationem sufficientem ad ipsam tollendam, nihilominus habet voluntatem actualem contrariam ipsi peccato, & ipsius detestativam; undè actualiter ipsum detestatur, & excludit actualem voluntatem peccandi; immò etiam cum attritio vera ordinetur ad Sacramentum pœnitentiæ, & quando ipsi conjungitur, sanctificet peccatorem excludendo voluntatem peccandi tam habitualem, quàm actualem, idcircò semper manet, quòd attritio sit bona, & laudabilis, quia de se completivè importat exclusionem voluntatis actualis ipsius peccati, & inchoativè ac dispositivè exclusionem voluntatis etiam habitualis, sivè omnis prorsùs voluntatis, & complacentiæ in peccato.

Objicitur 6. & replicatur contra præcedentem solutionem: Non potest simul ac semel aliquis habere voluntatem habitualem peccati, & voluntatem actualem contrariam peccato: Ergo falsum est quòd peccator attritus ex una parte voluntatem habeat inhærentem peccato habitualiter, & ex altera parte voluntatem actualiter detestantē peccatū. Antecedens probatur: Nō potest homo simul ac semel habere plurimos

fines ultimos, ut docet Thomistæ in tractatu de actibus humanis: sed si peccator ita se haberet, plures haberet fines ultimos ergo. Probatur minor: quia propter habitualepeccatū haberet creaturā pro ultimo fine, quādiu enim peccator remanet in statu peccati, respicit creaturam ut finem ultimum: ratione verò attritionis suæ, si per ipsam verè detestaretur peccatum, averteret se ipsum à creatura tanquàm fine ultimo, & se converteret in Deum tanquàm in finem ultimum: ergo simul ac semel haberet duplicem finem ultimum, scilicet Deum, & creaturam.

Respondeo 1. quòd hæc objectio tangit difficultatem alibi fusiùs explicandam scilicet in tractatu de actibus humanis, ubi ostenditur quomodo possit peccator sivè fidelis, sivè infidelis remanere conversus habitualiter ad creaturam, & ad suum bonum proprium, tanquàm ad finem ultimum, & nihilominùs elicere opera moraliter bona, & laudabilia. Nunc breviter dico bonum proprium dupliciter sumi posse, vel absolutè, vel dissolutè: bonum proprium peccatoris absolutè sumptum, non excludit bonum Divinum, nec relationem ad ipsum, sed per se loquendo est referibile ad hujusmodi bonum Divinum, & per accidens est, quòd de facto propter statum peccati non referatur ad illud: bonum verò proprium dissolutè sumptum habet nedum per accidens, sed etiam per se loquendo quòd nec referatur, nec sit referibile ad bonum Divinum. Igitur peccator in actibus peccaminosis quærit bonum proprium dissolutè sumptum, & sic opus ejus est malum: sed in operibus moraliter bonis quærit bonum suum proprium absolutè sumptum, undè opus ejus non desinit esse moraliter bonum, & laudabile: talis est vera attritio elicita à peccatore, in ea enim non quærit bonum proprium dissolutè, sed absolutè, quod quamvis per accidens non referatur pro tunc in Deum tanquàm in finem ultimum, est tamen per se loquendo referibile, immò accedente sacramento pœnitentiæ refertur de facto per gratiam, & charitatem ad bonum Divinum tanquàm finem ultimum.

Respondeo 2. quòd ut etiam magis ibidem explicatur, peccator in tali casu habet simul ac semel duos ultimos fines; alterum efficacem, & habitualem, nem-

pe bonum proprium; alterum actualem, & inefficacem, nempè bonum Divinum, ita ut non obstante quòd habitualiter sit conversus ad bonum proprium, & ista conversio sit efficax, cum ipsum detineat in statu peccati, attamen in actibus moraliter bonis actualiter convertatur ad bonum Divinum tanquàm ad finem ultimum, & si talis conversio sit adhuc inefficax, eo modo quo justus peccans venialiter, ratione status gratiæ, est conversus habitualiter, & efficaciter ad Deum tanquàm finem ultimum, & ratione peccati venialis actualiter & inefficaciter est conversus ad creaturam tanquàm ad finem ultimum: igitur peccator attritus licet in quantum peccator sit efficaciter, & habitualiter conversus ad bonum proprium tanquàm finem ultimum, attamen inquantum attritus conversus est actualiter, & inefficaciter ad bonum Divinum tanquàm finem ultimum; ita ut accedente sacramento Pœnitentiæ ista conversio fiat efficax, & fit etiam habitualis, & peccator attritus cum tali sacramēto non respiciat ampliùs suum bonum proprium tanquàm finem ultimum, sed subordinet illud bono Divino tanquàm fini ultimo.

Objicitur 7. Ille actus est malus, in quo pervertitur ordo Divinæ providentiæ: sed in actu attritionis talis ordo pervertitur: ergo est malus. Major non habet difficultatem: Minor probatur: Ordo Divinæ Providentiæ pervertitur, quando maius malum minùs timetur, & è contra minus malum magis timetur: sed ita contingit in attritione: ergo. Maior videtur certa; nam Divina providentia exigit, ut quodlibet malum eadem proportione timeatur, qua malum est: ergo exigit quòd minus malum minùs timeatur, & maius malum magis timeatur; & talis ordo pervertitur quando fit oppositum. Minor probatur: Attritio magis detestatur pœnam quàm culpam, & magis timet illam quam istam: sed malum culpæ est longè maius, quàm malum pœnæ, ita ut ex communi Theologorum consensu non esset committendum minimum malum culpæ nequidem veniale peccatum, ad vitandum maximum malum pœnæ, etiam ipsius inferni: ergo attritio pervertit ordinem providentiæ: Maior probatur, quia iuxta commune philosophorum axioma, *Propter quodu-*

numquodque tale, & illud magis: Sed peccator solummodò attritus timet culpam, & eam detestatur, quia timet, & detestarur pœnam. ergo magis timet, & magis detestatur pœnam, quàm culpam.

Respondent variè Catholici Doctores: sed prætermissis aliis solutionibus, videtur ista & clarior, & solidior: fatemur igitur, quòd si peccator attritus existimaret per se loquendo esse magis timendum, & detestandum malum pœnæ, quàm malum culpæ, perverteret ordinem Divinæ Providentiæ; immò sentiret contra Fidem, quæ docet malum culpæ esse majus, proindèque magis timendum, ac detestandum, quàm malum pœnæ; sed si hoc fiat per accidens tantùm, quatenùs licèt benè cognoscat, & fateatur quòd per se loquendo deberet magis timere, & detestari culpam, quàm pœnam, nihilominùs fatetur se esse ita imperfectum, ut cum non possit moveri ad detestandam culpam considerando ipsam secundùm se, saltem moveatur ad ipsius detestationem considerando pœnam hujusmodi culpæ adjunctam: tunc nedum non pervertit ordinem Divinæ providentiæ, sed potiùs operatur juxta ipsam providentiam, quæ idcircò statuit pœnam, ut si quis non moveretur consideratione culpæ ad eam detestandam, saltem ad hujusmodi detestationem moveretur ex consideratione pœnæ

Exemplum ad faciliùs intelligendam solutionem est evidens in illis, qui observant præcepta Dei propter spem remunerationis, sivè Beatitudinis æternæ: si enim illi ex ſtimarent non esse observanda præcepta Divina propter amorem Dei ut summi boni, sed tantùm propter remunerationem, procul dubio eorum æstimatio foret mala, & vituperabilis: sed si fateantur Divinam bonitatem esse motivum longè excellentius ad observanda Dei mandata, quàm remunerationem, & quòd si essent perfecti, magis moverentur illo motivo, quàm isto; nihilominùs simul etiam fateantur se esse ita imperfectos, ut cum sola consideratione Divinæ Bonitatis moveri non possint, saltem moveantur ex consideratione remunerationis æternæ, nullus est qui non fateatur hujusmodi actum licèt imperfectum: tamen esse bonum, & laudabilem. Ita

dicimus quòd actus attritionis est quidem imperfectus, hoc ipso quòd peccator attritus movetur potiùs ex consideratione pœnæ, quàm culpæ : sed tamen dicimus quòd est actus bonus, & laudabilis, quia sicut Divina Providentia statuit mercedem æternam ad hoc ut illi, qui non moverentur ex consideratione bonitatis Dei ad observantiam mandatorum ejus, saltem moverentur ex consideratione mercedis : ita eadem providentia statuit pœnam æternam, ad hoc ut illi, qui non moverentur ex consideratione culpæ ad eam detestandam, saltem moverentur ex consideratione pœnæ.

Objicitur 8. Ille pervertit ordinem Divinæ providentiæ, qui aliquid magis perfectum ordinat ad aliud minùs perfectum, tanquàm medium ad finem : sed peccator attritus hoc facit : ergo. Major habetur evidens, quia providentia Dei exigit, ut minùs perfecta inserviant magis perfectis, sicut media inserviunt fini: ergo ille qui facit oppositum, pervertit hujusmodi ordinem. Minor probatur : Ille qui est solummodò attritus ordinat evitationem culpæ ad evitationem pœnæ tanquàm medium ad finem, nam eo fine culpam evitat, ut possit evitare pœnam : sed longè perfectius est evitare culpam, quàm pœnam, nam ut dicebamus in objectione præcedenti, deberemus potiùs eligere tolerantiam maximæ pœnæ, quàm commissionem minimæ culpæ : ergo homo attritus id quod est perfectius ordinat ad imperfectius tanquàm medium ad finem.

Respondeo primò, quòd hæc etiam objectio tangit aliam difficultatem fusiùs explicatam in tractatu de Incarnatione : nunc breviter dico quod referre perfectius ad imperfectius tanquam medium ad finem est pervertere ordinem Divinæ providentiæ, non autem si referatur tanquã causa ad effectum, quia medium quidem inservire debet ipsi fini, & sic est imperfectius ipso, sed causa vel est nobilior effectu suo, vel saltem æque nobilis : sic Incarnatio relata fuit ad remedium peccati tanquàm causa ad effectum, & simili modo refertur sacrificium Missæ ad salutem corporis, non obstante majori perfectione & Incarnationis, & hujus sacrificij : simili etiam modo attritus refert suam attritionem, & ipsum pœnitentiæ sacramentum tanquàm causam

causam ad producendum hunc effectum, qui est liberatio à peccatis.

Responderi potest 2. quòd referre magis perfectum ad minùs perfectum tanquàm ad finem ultimum esset pervertere ordinem Divinæ providentiæ, non autem referre tanquàm ad finem intermedium ulteriùs referibilem ad ultimum finem utroque perfectiorem: sic Incarnatio relata fuit ad remedium peccati tanquam finem intermedium, & ad gloriam Dei tanquàm finem ultimum; sic quotidie refertur sacrificium Missæ ad salutem corporis tanquàm finem intermedium, ad salutem verò animæ tanquàm finem ultimum: sic etiam attritio, & sacramentum pœnitentiæ referuntur ad liberationem à pœnis tanquàm ad finem intermedium, ad ipsam verò justificationem peccatoris tanquàm ad finem ultimum.

Objici posset ultimò, quòd D. Thomas in quæstione prima supplementi, articulo 2. ad secundum, videtur insinuare quòd actus attritionis non est actus virtutis, sicut actus contritionis; ex quo videtur sequi, quòd non est bonus, & laudabilis.

Sed Respondetur facilè, quòd attritio licèt non sit actus à virtute elicitus propter suam imperfectionem, est tamen actus bonus, & laudabilis, quia elicitur in virtute auxilij actualis, & transeuntis Divinæ gratiæ, sicut generaliter concluditur de omnibus actibus imperfectis in tractatu de auxiliis, & in tractatu etiam de justificatione.

ARTICULUS II.

Utrùm attritio sine aliquali amore Dei possit sufficere ad obtinendam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ.

Advertendum est primò, quòd sacramentum Pœnitentiæ dupliciter considerari potest, vel ut est validum, vel ut est formatum: tunc sumitur ut validum, quando subsistit & materia ejus, & forma essentialis & substantialis, ut ita loquar, sed nihilominùs non percipitur fructus, & effectus ipsius, sivè gratia sacramen-

talis. Tunc verò est nedum validum, sed etiam formatum, quando suscipitur fructuosè, sivè quando suscipienti confertur gratia sacramentalis, quæ est fructus, & effectus sacramenti Pœnitentiæ. Et quamvis gratia non sit forma essentialis hujus sacramenti, sed tantùm accidentalis, nihilominùs sacramentum dicitur per ipsam esse formatum, quia quando gratiam producit, suum ultimum complementum habet; est autem proprium formæ quòd det composito ultimum complementum.

Advertendum est 2. quòd attritio tripliciter considerari potest quoad propositum: vel prout est purè naturalis tam præsuppositivè, quàm formaliter; vel prout est supernaturalis præsuppositivè, & formaliter naturalis; vel tandem prout supernaturalis est tam formaliter, quàm præsuppositivè. Sumitur primo modo, quando aliquis lumine naturali cognoscit turpitudinem peccati, & pœnam ipsi debitam, & similiter affectu purè naturali detestatur ipsam culpam propter ejus turpitudinem, vel pœnam ipsi annexam. Sumitur secundo modo, quando aliquis lumine quidem fidei supernaturalis, & divinæ cognoscit peccati turpitudinem, & pœnam inferni peccatori præparatam; sed tamen supposito illo lumine supernaturali, movetur postea affectu purè naturali ad detestandam, & evitandam culpam, ut possit evadere hujusmodi pœnam, quemadmodum initio Theologiæ diximus quòd aliquis supposito semel lumine fidei supernaturalis, & divinæ, potest ex ejusdem fidei mysteriis naturali lumine inferre conclusiones, & ita Theologia est formaliter, & entitativè naturalis, quamvis originaliter, & præsuppositivè sit supernaturalis. Sumitur tandem attritio tertio modo, quando & lumine supernaturali cognoscitur illa turpitudo peccati, vel poena ipsi debita, & affectu etiam supernaturali fugitur culpa ut evitetur hujusmodi poena. De attritione hoc tertio modo sumpta currit difficultas in articulo præsenti an sufficiat ad sacramentum Poenitentiæ suscipiendum & validè, & fructuosé. De eadem attritione aliis modis considerata erit difficultas in sequentibus articulis.

His prænotatis.

Circa difficultatem propoſitam controverſia eſt his temporibus celeberrima. Exiſtimant enim Janſenius, Sylvius, & alij Doctores attritionem nunquàm ſufficere ad ſuſcipiendum ſacramentum Pœnitentiæ, & multò minùs fructum ipſius, ſivè gratiam, niſi importet aliqualem amorem Dei, imperfectum quidem, & remiſſum, ſed tamen verum, & ſimpliciter dictum: & hæc opinio dupliciter intelligi poteſt: primò ita ut attritio juncta vero amori Dei quamvis imperfecto juſtificet hominem peccatorem, antequàm ſuſcipiat de facto ſacramentum Pœnitentiæ ſuppoſito tamen ejus voto, ſicut omnes Theologi docent de contritione perfecta: & in hoc ſenſu pauci ex adverſariis tenent hujuſmodi opinionem. Secundò, ita ut amor ille Dei conjunctus attritioni, licèt ſit verus amor Dei, tamen extra ſacramentum Pœnitentiæ non ſufficiat ad juſtificandum peccatorem, eo quòd eſt imperfectus, ſed tantùm quando ſuſcipitur de facto ipſum ſacramentum: & in hoc ſenſu communiter defenditur hæc opinio ab adverſariis.

Dominicus Soto cum aliis diverſam tenet ſententiam: aſſerit enim diſpoſitionem ad hoc ſacramentum neceſſariam eſſe contritionem vel effectivam, vel ſaltem exiſtimatam, ita ut peccator non poſſit licitè accedere ad ſacramentum Pœnitentiæ, nec ſi accedat, in ipſo juſtificari, niſi ſaltem exiſtimet ſe eſſe contritum.

Tertia ſententia, quæ poſt Concilium Tridentinum jam facta erat communis inter Theologos tam Thomiſtas quàm alios, & iſtis temporibus communiter propter decretum ultimò emanatum à Sanctiſſimo Domino noſtro Alexandro VII. Pontifice Maximo poſtea referendum, tenet quòd non exigitur contritio nec effectiva, nec exiſtimata, & quòd ſolummodò requiritur attritio ſupernaturalis: undè pro iſta ſit.

Concluſio. Quamvis attritio, quæ requiritur, ut aliquis recipiat fructum ſacramenti Pœnitentiæ, ſivè gratiam ſacramentalem, debeat reſpicere amorem Dei ex parte objecti, finis, & termini; non eſt tamen neceſſe, quòd ipſum importet ex parte ſubjecti, & principij.

Probatur 1. & explicatur concluſio: amor Dei impor-

tatur in attritione ex parte objecti, finis, & termini, quatenùs ille qui est attritus, accedit ad sacramentum Pœnitentiæ eo fine, ut in ipso recipiat gratiam sanctificantem, & cum ea charitatem tanquàm proprietatem ejus inseparabilem, ita ut hæc sit objectum ejus, & terminus omnis desiderij ipsius: constat autem quòd amor Dei in hoc sensu exigitur in illo qui accedit ad sacramentum Pœnitentiæ, non est enim licitum accedere ad hoc sacramentum nisi ad percipiendum fructus ipsius, qui sunt gratia, & charitas. Sed dicimus quòd non requiritur amor Dei ex parte subjecti, & principij, quia non est necesse quód in illis qui accedunt ad sacramentum pœnitentiæ, detur charitas, vel etiam verus amor Dei quamvis remissus, & imperfectus, ex quo proveniat attritio, sivè dolor de peccatis, & ipsorum detestatio: sed potest, sine tali amore peccator attritus recipere fructum hujus sacramenti, dummodo attritio illa sit supernaturalis, & procedat à Spiritu Sancto nondùm quidem inhabitante, sed tamen movente, ut loquitur Concilium Tridentinum, & posteà magis explicabimus.

Explicatur adhuc magis ex D. Thoma, qui 2. 2. loquens de oratione asserit quód omnis homo nedùm justus, sed etiam peccator impetrat à Deo quidquid postulat, dummodo oret cum istis quatuor conditionibus, scilicèt piè, pro se, humiliter, & perseveranter. Et postquam sibi objecit quód peccator in statu peccati mortalis non potest piè orare, cum in tali statu nec donum, nec virtutem pietatis habeat, respondet quòd pietas dupliciter considerari potest, vel ex parte subjecti, quatenùs in ipso orante residet donum, aut virtus pietatis, à qua provenit ipsius oratio; vel ex parte objecti, quatenùs licèt ipse homo, qui orat, pietatem in se ipso non habeat, ejus tamen intentio, & desiderium in oratione fertur ad aliquod objectum pium, sivè ad obtinenda ea, quæ sibi sunt necessaria ad suam salutem: Et asserit quòd ad hoc ut oratio impetret quidquid homo postulat, non est necessaria conditio pietatis primo modo, sed tantùm secundo, ita ut licèt ex pietate homo non oret, ejus tamen oratio tendat ad pietatem. Ita in proposito dicimus de attritio,

ne, quód non est necesse eam procedere ex amore Dei existente in subjecto attrito, & huiusmodi attritionem causante, vel occasionante, aut etiam exequente, vel imperante: sed sufficit attritionem tendere ad ipsum amorem Dei vel actualem, vel saltem habitualem, sivè ad gratiam, & charitatem in ipso Pœnitentiæ sacramento recipiendam.

Probatur 2. ex Concilio Tridentino, sessione 14. cap. 4. ubi evidenter nostram conclusionem tradit: Nam postquam distinxit contritionem in eam quæ est perfecta, & alteram quæ est imperfecta, subdit; *Imperfectam autem contritionem, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, docet Sancta Synodus non solùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat, & quamvis sine sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Et ibidem subdit Concilium, *Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos scriptores, quasi tradiderint sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquàm Ecclesia Dei docuit, nec sensit.* Quibus verbis Concilium docet hujusmodi attritionem disponere ad suscipiendam gratiam iustificantem in sacramento Pœnitentiæ: Et in hoc differt ab ipsa contritione, quæ, etiamsi non suscipiatur actualiter sacramentum, dummodo habeatur propositum, seu votum suscipiendi ipsum, nihilominùs non desinit iustificare hominem, ut ibidem etiam asserit Concilium.

Respondent 1. Adversarij, duplicem esse amorem Dei, alium perfectum, & alium imperfectum: fatentur non esse prærequisitum perfectum amorem Dei ad hoc ut recipiatur sacramentum Poenitentiæ, sed tantùm dicunt prærequiri amorem imperfectum ipsius Dei; &

hunc amorem imperfectum vocari à Concilio Tridentino contritionem imperfectam, sivè attritionem.

Sed contra; quia Concilium Tridentinum statim atque dixit attritionem esse contritionem imperfectam, hanc rationem assignat, quia attritio concipitur ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex metu poenarum inferni, nulla prorsùs facta mentione amoris Dei siuè perfecti, sivè imperfecti: ergo signum est omnino evidens, quod Concilium non vocat attritionem imperfectam imperfectum amorem Dei, aliàs procul dubio mentionem fecisset illius imperfecti amoris: sed tamen .....imperfectum motivum, ex quo elicitur attritio, quia nullatenus ex amore Dei, sed vel ex considera-tione turpitudinis peccati, vel ex metu inferni producitur: dicemus autem solvendo obiectiones, cur attritio vocetur imperfecta contritio, quamvis non sit eiusdem speciei cum ipsa.

Respondent 2. quod concilium intelligi debet de dispositione remota ad recipiendam gratiam in sacramento Poenitentiæ, non autem de dispositione proxima, & immediata, ita ut talis attritio incipiat disponere peccatorem ad recipiendam gratiam: sed nihilominùs nisi accedat actus amoris Dei saltem imperfectus, non sit dispositio sufficiens, & completa, nec recipitur gratia in hoc sacramento: undè concilium non dicit, quód attritio disponat ad gratiam recipiendam, sed ad ipsam impetrandam, insinuans non esse dispositionem infallibiliter connexam cum gratia; proindèque aliquid insuper esse requisitum, ut gratia obtineatur infallibiliter. Et hæc est communis responsio pro sententia adversariorum.

Sed contra 1. Quia Concilium Tridentinum in ultimis verbis in authoritate relatis dicit aliquos, idest Hæreticos, falsò calumniari Catholicos, quasi dicant quód sacramentum Poenitentiæ conferat gratiam sine aliquo bono motu eorum, qui sacramentum suscipiunt: sed certum est quòd Hæretici dicentes Catholicos asserere quòd sacramentum Poenitentiæ confert gratiam sine aliquo bono motu suscipientium, non loquuntur de attritione, quæ importat verum amorem Dei licèt imperfectum, de hoc enim actu nullus neque Catholi-

licus, neque Hæreticus dubitat, quin sit bonus, sed loquuntur de attritione quæ provenit ex metu poenæ, sine ullo amore Dei: ergo concilium sentit, sacramentum poenitentiæ conferre gratiam cum tali attritione.

Contra 2. Quia concilium in eodem capite statuit differentiam inter contritionem, & attritionem in hoc, quòd contritio etiam extra sacramentum Poenitentiæ cum solo ipsius voto disponit ad gratiam, attritio verò non disponit ad ipsam, nisi quando recipitur de facto sacramentum Pœnitentiæ: sicut ergo concilium ex communi Theologorum consensu vult contritionem cum voto sacramenti esse dispositionem ad gratiam nedùm remotam, & insufficientem, sed etiam sufficientem, & proximam, ita etiam vult attritionem cum actuali sacramento esse proximam, & immediatam, ac sufficientem dispositionem ad gratiam recipiendam.

Præterea utraque responsio impugnari potest ex eo quòd Concilium Tridentinum in illo capite, ex una parte loquitur de illa attritione, quam Hæretici hujus temporis dicebant facere hominem magis hypocritam, & peccatorem; & ex altera parte contra eosdem Hæreticos probat concilium eamdem attritionem esse actum bonum, & laudabilem: ergo disponit ad gratiam in sacramento Pœnitentiæ suscipiendam; cum enim certum sit Hæreticos hujus temporis non asserere quòd illa attritio, quæ importat verum amorem Dei, faciat hominem hypocrytam, & magis peccatorem, sed tantùm illa quæ nullum amorem Dei verum importat, certum etiam esse debet quòd concilium loquitur de illa eadem attritione, quæ nullum verum Dei amorem importat: & cum aliundè argumentum concilij non foret convincens contra Hæreticos, si præter hujusmodi attritionem requireretur verus amor Dei ad obtinendam gratiam in sacramento Pœnitentiæ: ex hoc enim probaretur solummodò bonitas illius attritionis, quæ importaret verum amorem Dei, non autem illius, quæ hujusmodi amorem non importaret: sequitur concilium velle attritionem etiam sine vero amore Dei sufficere ad recipiendam gratiam in sacramento Pœnitentiæ; proindéque esse dispositionem proximam, & imme-

diatam ad huiusmodi gratiam in hoc sacramento obtinendam.

Nec dici potest, quod loquatur de attritione quæ existimatur contritio ut vult Sotus. Quia nullus est qui possit existimare quod attritio, quæ nascitur ex consideratione poenarum inferni, vel turpitudinis peccati, sit contritio: omnes enim sciunt quód contritio nascitur ex amore Dei, & consideratione bonitatis ipsius: ergo loquitur Concilium de attritione, quæ existimatur attritio: & sic manifestè intendit quód sine contritione vel effectiva, vel existimata, per solam attritionem disponimur ad gratiam in ipso sacramento recipiendam.

Probatur 3. Conclusio ex ultimo Decreto summi Pontificis Alexandri VII. die 5. Maii anno 1667. ubi sic dicitur. *Sanctissimus D.N. Alexander Papa VII. cùm acceperit non sine gravi animi mœrore scholasticos quosdam acrius, nec absque fidelium scandalo, inter se contendere, an illa attritio quæ concipitur ex metu gehennæ excludens voluntatem peccandi, cum spe veniæ ad impetrandam gratiam in sacramento pœnitentiæ, requirat insuper aliquem actum dilectionis Dei, asserentibus quibusdam, negantibus aliis, & invicem adversam sententiam censurantibus, præcipit cunctis & singulis fidelibus, quocumque gradu, ac dignitate etiam episcopali, & maiori, imò & Cardinalitia fulgentibus; ut si deinceps de materia attritionis præfatæ scribent, vel libros aut scripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes, aut scholares, cæterosve erudient, non audeant alicuius theologicæ censuræ, alteriusque iniuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei, quæ hodie inter scholasticos communior videtur; sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac sancta sede fuerit aliquid hac in re definitum.*

Ex quo decreto habemus primó hanc opinionem quam in Conclusione tenemus non esse contra Concilium Tridentinum, aliàs procul dubio fuisset condemnata.

nata. Secundò utramque sententiam esse probabilem, & tutam, & propterea à prædicto summo Pontifice permitti, & ab omni censura eximi.

Probatur 4. & infertur ex nostris principiis. Sacramentum Pœnitentiæ confertur per modum remedij, & per modum judicij: sed de ratione remedij non est quòd supponat sanitatem, sed potiùs quòd supponat morbum, & ipsum tollat: & similiter de ratione judicij non est quòd supponat hominem innocentem, sed potiùs quòd supponat ipsum reum, & à suo crimine absolvat: ergo cum contritio tollat mortale peccatum, & restituat sanitatem spiritualem, sivè gratiam, attritio verò relinquat hominem in statu peccati, & morbi spiritualis, sequitur quòd Pœnitentiæ sacramentum non exigit hominem contritum, sed solummodò attritum.

Confirmatur. Hæc est differentia inter Baptismum, & Pœnitentiam ex una parte, & alia sacramenta ex altera, quòd illa dicuntur sacramenta mortuorum, ista verò sacramenta vivorum ex communi Theologorum consensu: sed non alia ratione dicuntur ista sacramenta vivorum nisi quia exigunt subjectum habens vitam gratiæ, illa verò mortuorum, quia possunt applicari subjecto existenti in peccato mortali, quod est mors animæ: ergo tam Pœnitentia, quàm Baptismus non exigit contritionem vivificantem, sed tantùm attritionem compatientem statum peccati mortalis in illis, qui accedunt ad hujusmodi sacramenta.

Dices 1. hanc rationem convincere, quòd non requiritur contritio effectiva, sicut prima sententia dicebat, sed non convincit quòd non requiratur contritio existimata, sicut exigit secunda sententia cum Soto: Quamvis enim contritio effectiva justificet peccatorem, non tamen contritio solùm existimata: & sic peccator qui non est re vera contritus, quamvis existimet se esse talem, accedit ad hoc sacramentum & & reus, & infirmus, & sic in eo absolvitur & sanatur.

Sed contra; quia de natura judicii est, quòd nedùm non supponat reum iam absolutum, sed nec etiam quòd ipse se existimet iam absolutum, sed tantùm in ipso

iudicio absolvendum. Similiter de natura remedii est, quòd ille qui sumit remedium, nec sit sanatus, nec se iam sanum existimet, sed solummodò sanandum per huiusmodi remedium: ergo hoc ipso quòd sacramentum Pœnitentiæ exercetur per modum iudicii, & remedii, nec exigit contritionem effectivam, nec existimatam, sivè nec quòd aliquis sit re vera absolutus, & sanatus per contritionem, nec quòd se existimet talem.

Dices 2. Confirmationem etiam non convincere contra secundam sententiam, quamvis convincat contra primam: quia ille qui existimat se esse contritum, sed re vera non est contritus, est adhuc mortuus, sivè in statu peccati mortalis Undè accedens ad sacramentum Pœnitentiæ, in eo iustificatur, & sic verificatur, quod hoc sacramentum vivificat mortuos, & est sacramentum mortuorum.

Sed contra: Quia sacramentum mortuorum nedùm per accidens, sed etiam per se loquendo debet vivificare mortuos, aliàs cum ipsum Eucharistiæ sacramentum, quod per se loquendo conferri debet vivis, quandoque per accidens conferatur mortuis, ipsosque vivificet ut supra insinuavimus, diceretur etiam Eucharistia sacramentum mortuorum, quod est contra omnes Theologos: sed per accidens est quod ille qui se contritum existimat, non sit re vera contritus, sicut per accidens est, quod ille qui accedit ad Eucharistiam existimans se esse in statu gratiæ, non sit re vera in huiusmodi statu gratiæ: ergo sacramentum pœnitentiæ per se loquendo hoc ipso quod est sacramentum mortuorum, nec præexigit contritionem effectivam, nec etiam existimatam.

Probatur 5. ex angelico Doctore, & magis etiam explicatur præcedens ratio: Nam in 4. dist. 6. q. 1. art. 3. quæst. 1. ad 5. hæc habet; *Ad hoc quòd homo præparet se ad gratiam in baptismo percipiendam, præexigitur fides, sed non charitas; quia sufficit attritio præcedens, etsi non sit contritio.* Et cum 3. parte, quæstione 79 art. 3. sanctus Doctor sibi obiecisset in secundo argumento, quod ille qui accedit ad sacramentum Eucharistiæ, non debet habere conscientiam

peccati mortalis: undè videtur quod etiam ille qui accedit ad ſacramentum Baptiſmi, debeat eſſe exemptus à mortali peccato, reſpondet his verbis, *Ad ſecundum dicendum, quod non inconvenienter accedit ad Baptiſmum, qui habet conſcientiam peccati mortalis: ſed per hoc ſacramentum Euchariſtiæ homo ſumit in ſe Chriſtum per modum ſpiritualis nutrimenti, quòd non competit mortuo in peccatis.* Igitur ex angelico Doctore quamvis aliquis habeat conſcientiam peccati mortalis, ſivè cognoſcat ſe eſſe in ſtatu peccati mortalis accedere poteſt ad ſacramentum Baptiſmi, quia eſt ſacramentum mortuorum, dummodò aliundè attritionem habeat, ut dicemus poſtea ex eodem D. Thoma: ergo idem dicendum eſt de illo qui accedit ad ſacramentum pœnitentiæ, quod eſt etiam ſacramentum mortuorum.

Idem Sanctus Doctor in eadem 3. parte quæſtione 80. articulo 4. ad 2. ait. *Baptiſmus & Pœnitentiæ ſunt quaſi medicinæ purgativæ, quæ dantur ad tollendam febrim peccati; hoc autem ſacramentum* (ſcilicet Euchariſtiæ) *eſt medicina confortativa, quæ non debet dari niſi liberatis à peccato.* Ubi D. Thomas ſtatuit differentiam inter ſacramentum Euchariſtiæ ex una parte, & ſacramentum Baptiſmi, & Pœnitentiæ & altera quòd quia Euchariſtia eſt veluti medicina confortativa, ideò ſupponit ſanitatem ſpiritualem, ſivè gratiam ſanctificantem, per quam homo liberatur à peccatis ſuis: ſed quia Baptiſmus, & Pœnitentia ſunt quaſi medicinæ purgativæ, ideò non exigunt quòd homo liberatus fuerit à morbo ſpirituali, ſivè mortali peccato, ſed quantùm eſt de ſe, applicari poſſunt illis, qui adhuc huiuſmodi morbo inficiuntur, ut ab eo per hæc ſacramenta purgentur.

Dices hoc argumentum eſſe convincens contra illos, qui exigunt contritionem perfectam, per quam homo iuſtificetur à peccatis, priuſquàm accedat ad hoc ſacramentum: ſed non eſſe convincens contra alios, qui exigunt quidem in contritione imperfecta, ſivè attritione, verum amorem Dei, ſed tamen remiſſum, & imperfectum, ac inſufficientem ad iuſtificandum niſi actualiter ſuſcipiatur ſacramentum Pœnitentiæ.

Sed contra: Si detur actualis amor Dei, qui sit verus amor, quantumvis remissus, justificabit hominem à peccatis: ergo nulla solutio. Probatur antecedens: quia verus amor Dei diligit ipsum super omnia, & ideò essentialiter ad ipsum refertur, & ad eum refert omnia tanquàm ad finem ultimum; ita ut ille qui elicit verum actum amoris Dei quantùmvis remissum, hoc ipso avertatur à creatura tanquàm ab ultimo fine, & convertatur in ipsum Deum tanquàm in finem ultimum: in hoc autem consistit justificatio à peccatis, ut dicitur in tractatu de justificatione: ergo implicat esse verum actum amoris Dei, & per ipsum quantùmvis remissum, hominem non justificari ab omnibus suis peccatis mortalibus. Propterea D. Thomas 3. parte, quæst. 70. art. 4. in corpore ait: *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in transgressione mandatorum legis: minima etiam charitas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri, & argenti.*

Probatur 6. ratione morali: Lex nova est lex gratiæ: sed non foret lex gratiæ, si in ea non sufficeret attritio etiam sine actuali amore Dei cum sacramento tamen Pœnitentiæ ad obtinendam gratiam: ergo ad hoc debet sufficere. Probatur minor: quia in lege antiqua dolor de peccatis cum actuali amore Dei sine speciali confessione peccatorum sufficiebat ad obtinendam gratiam: nunc autem talis dolor cum tali amore Dei non sufficeret, sed requireretur insuper specialis peccatorum confessio ad obtinendam gratiam: ergo jam non esset lex gratiæ, sed majoris rigoris.

Respondebis legem novam vocari legem gratiæ, non quia præcipiat ea, quæ sunt faciliora, sed quia dat abundantiorem gratiam ad observanda ea: sit præceptum Pœnitentiæ in nova lege, quàm in antiqua, quia præter dispositionem in antiqua lege requisitam, requiritur insuper in nova specialis confessio peccatorum: nihilominùs non desinit esse lex gratiæ, quia nunc abundantior gratia confertur ad hoc ut dispositiones requisitæ habeantur, quàm conferretur in veteri lege.

Sed contra: nam quamvis quantùm ad jus naturale lex nova utpotè perfectior quàm antiqua magis explicet omnia præcepta, ſicut eſt præceptum de dilectione inimicorum, & ex hac parte non ſit lex gratiæ, niſi quatenùs abundantiorem gratiam confert ad hujuſmodi præcepta obſervanda: Attamen quoad jus poſitivum lex nova ex una parte dat præcepta longè faciliora, & ex altera parte longè majora confert auxilia ad ea obſervanda quàm lex antiqua. Propterea dicebamus ex D. Auguſtino agendo de numero ſacramentorum quòd Chriſtus in nova lege inſtituit ſacramenta numero pauciora, & virtute majora: ergo quidquid ſpectat ad ſacramentum Pœnitentiæ, debet eſſe longè faciliùs in nova lege, quàm in antiqua.

§. Unicus.

Solvuntur objectiones.

Objicit 1. Janſenius, quòd Concilium Tridentinum loco jam citato ſic expreſsè loquitur: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum is contritionis motus neceſſarius*: Ergo, inquit, tam in lege nova, quàm in antiqua obligat contritio; quod eſſet falſum, ſi ſola attritio ſufficeret cum ſacramento Pœnitentiæ ad gratiam impetrandam.

Reſpondeo, & eſt regula generalis, quòd contritio dupliciter ſumi poteſt; vel in communi prout abſtrahit à perfecta, aut imperfecta; vel in particulari prout dicit contritionem perfectam determinatè vel contritionem imperfectam ſivè attritionem. Igitur Concilium quando ait motum contritionis ſemper fuiſſe neceſſarium, loquitur de contritione in communi; & fatemur in quolibet ſtatu neceſſariam eſſe contritionem in communi, prout abſtrahit à perfecta, vel imperfecta: ſed poſtea idem Concilium Tridentinum loquens de contritione in particulari prout eſt perfecta, dicit eam juſtificare cum ſolo voto ſacramenti Pœnitentiæ: & loquens de contritione imperfecta, ſivè attritione, dicit eam juſtificare cum actuali ſuſceptione

Sacramenti Pœnitentiæ.

Objicit 2. Quod Concilium ibidem expressè ait, contritionem aliquando charitate esse perfectam, etsi si, inquit concilium, *contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat*: Si hoc contingit aliquando subsumit Jansenius: ergo non semper contritio charitati conjugitur, nec semper justificat peccatorem: & ita fieri potest ut sit vera, sed imperfecta contritio, & nihilominùs non iustificetur peccator nisi actualiter Pœnitentiæ sacramentum suscipiat.

Respondeo juxta prædictam Regulam, quòd contingit contritioni esse perfectam charitatem, si sumatur contritio in communi, non vero si sumatur in particulari: nam sicut de animali dici potest, quód si sumatur in communi, contingit ipsi esse hominem, vel brutum, & perfici per rationalitatem, vel non perfici per ipsam: attamen si sumatur in particulari, necesse est quod determinetur ad speciem hominis, vel ad speciem bruti: ita si contritio consideretur in communi, contingit ipsi quòd sit contritio imperfecta, sivè simpliciter dicta, vel contritio perfecta, sivè attritio. Sed si sumatur in particulari, necesse est, quòd sit vel contritio simpliciter habens charitatem adnexam, vel attritio non habens charitatem sibi conjunctam, nisi quando accedit sacramentum Pœnitentiæ.

Objicitur 3. Concilium loco citato dicit *Attritionem esse contritionem imperfectam*: Sed illud quod est alterum imperfectè, habet ipsius essentiam, quamvis non habeat statum, & perfectionem ipsius, sicut puer dicitur homo imperfectus, quia licèt habeat essentiam, & substantiam hominis, non habet tamen statum, & complementum ipsius: ergo attritio debet habere essentiam contritionis, licèt non habeat ejus perfectionem, ac proindè debet importare verum amorem Dei sicut contritio, quamvis amor ille non sit perfectus in attritione, sicut in contritione.

Respondeo unum posse dici aliud imperfectè dupliciter: vel quia licèt habeat essentiam, & substantiam ipsius, non habet tamen statum, & complementum; in hoc sensu puer dicitur imperfectus homo, ut habetur in objectione: vel quia non habeat statum, & perfe-

ctionem illius, sed neque etiam essentiam, aut substantiam, sed est solummodò proxima dispositio ad ipsum; sic Aristoteles dicit quòd embrio est imperfectus homo; quia licèt nec essentiam, nec statum, nec substantiam, nec perfectionem hominis habeat, est tamen proxima, & immediata dispositio ad ipsam hominis essentiam, & substantiam: in eodem sensu dicit concilium attritionem esse imperfectam contritionem, non quasi habeat veritatem contritionis, aut ipsius essentiam; multóque minùs perfectionem, & statum, sed solùm quatenùs est proxima, & immediata dispositio ad ipsam contritionem; nam homo attritus, in sacramento Pœnitentiæ fit ex attrito contritus, eo modo quo explicabimus postea: tum etiam quia attritio inperfectè habet virtuté contritionis, nam contritior se solâ disponit ad justificationem, attritio verô ad justificationem quidem disponit, non tamen se solâ, sed simul cum adjutorio sacramenti Pœnitentiæ.

Objicitur 4. & principaliter: Concilium Tridentinum sessione 6. de justificatione cap. 6. sic expressè loquitur, *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam* (scilicèt peccatores pœnitentes) *dum excitati divinâ gratiâ, & adiuti fidem ex auditu concupientes, &c. & dum peccatores se esse intelligentes à Divinæ iustitiæ timore, quo utiliter concutiuntur ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquàm omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet: denique dum proponunt suscipere Baptismum. &c.* Ex prioribus hujus authoritatis verbis Jansenius, alijque adversarij inferunt necessarium esse saltem actualem Dei amorem ad hoc ut possit suscipi sacramentum Pœnitentiæ cum effectu suo, sivè gratia justificante: Et quia non requiritur major dispositio ad sacramentum Baptismi quàm ad sacramentum Pœnitentiæ, inferunt attritionem nisi im-

portet actualem amorem Dei, non sufficere ad gratiam obtinendam in sacramento pœnitentiæ.

Respondeo 1. quòd ex ipsis verbis Concilii manifestè constat quòd non loquitur de ipsa virtute charitatis, sed de actu imperfecto ipsius cum enim dixisset, quòd peccatores accedentes ad Baptismum debent habere fidem & spem, consequens erat ut adiiceret quòd debent etiam habere charitatem; charitas enim nominat virtutem ipsam charitatis, sicut fides, & spes nominant virtutes ipsas fidei, & spei: & cum è contra subdat, quòd huiusmodi peccatores *Incipiunt diligere Deum*; vult solummodò quòd habeant actum charitatis imperfectum sine ipsa virtute, maximè cum non dicat quòd *diligunt*, sed quòd *diligere incipiunt*, ut denotet actum inchoatum, & imperfectum, non autem perfectum, & consummatum. Undè sicut supra diximus, quòd contritio tanquàm actus perfectus pœnitentiæ elicitur ab ipsa virtute Pœnitentiæ, & à Spiritu Sancto inhabitante, attritio verò tanquàm actus imperfectus pœnitentiæ elicitur solummodò ab auxilio transeunte & à Spiritu Sancto movente; ita actus perfectus amoris Dei elicitur à principio perfecto, sivè ab ipsa virtute charitatis, & habitu ipsius permanente, & est donum Spiritus Sancti inhabitantis: sed actus imperfectus huius amoris elicitur à principio imperfecto, sivè auxilio transeunte tantùm, & est donum Spiritus Sancti moventis quidem, sed nondùm habitantis: communiter Doctores existimant amorem illum perfectum esse amorem amicitiæ, amorem autem imperfectum esse amorem concupiscentiæ, ita ut velint quod peccatores concupiscẽdo bonum suum proprium, & considerando quod verum bonum proprium obtinere nequeunt nisi deserendo peccatum: & revertendo ad Deum, incipiunt diligere ipsum, quamvis tunc nondùm ipsum diligant amore amicitiæ, quæ diligit Deum propter summam ipsius bonitatem. Insuper addi potest quòd etiam iste amor amicitiæ est duplex alter perfectus, & efficax, qui justificat peccatorem, & facit quòd re vera diligat Deum propter summam ipsius bonitatem: alter imperfectus, & inefficax, qui facit ut peccator habeat quamdam velleitatem diligendi

Deum propter ipsius bonitatem, quamvis nondum habeat veram, & plenam voluntatem hujus dilectionis. Igitur ex concilio non requiritur, quòd ille qui accedit ad Baptismum, vel ad Pœnitentiam, habeat amorem Dei perfectum, & efficacem, nec proindè quòd habeat contritionem perfectam sivè simpliciter dictam, sed sufficit quòd habeat amorem imperfectum, & inefficacem, sicut & contritionem imperfectam, sivè attritionem. Hanc esse veram mentem Concilij Tridentini patebit unicuique legenti caput integrum jam citatum, scilicèt caput 6. sessionis 6. & etiam caput 4. sessionis 14.

Respondeo 2. Concilium Tridentinum ibi loqui de dispositionibus requisitis ad justificationem, antequàm de facto recipiatur sacramentorum Baptismi, quando habetur solummodò propositum, seu votum ipsius: fatemur autem quòd ad justificationem, quando habetur solummodo votum Baptismi, vel votum Pœnitentiæ, requiritur contritio, quæ importat amorem Dei vel habitualem, vel saltem actualem, & hoc expressè dicemus in sequenti quæstione: sed asserimus quòd sola attritio supernaturalis sine amore Dei habituali, vel actuali, cum actuali sacramento Pœnitentiæ sufficit ad justificationem.

Quòd autem hæc sit vera mens concilij, patet primò: Quia in illo capite non loquitur nisi de dispositionibus ad justificationem requisitis, non autem de dispositionibus requisitis ad Sacramentum susceptionem, de quibus postea specialiter loquitur: ergo loquitur de dispositionibus ad justificationem præscindendo à susceptione sacramentorum. Secundo quia ait quòd peccatores pœnitentes hujusmodi pœnitentiam ante Baptismum agere debent, sivè habere detestationem de peccatis suis, & non dicit quòd sit necesse ut habeant hujusmodi dilectionem Dei: quamvis autem in attritione non importetur amor Dei, importatur nihilominùs detestatio, & odium peccati: ergo ex concilio etiam in prædicta authoritate non habetur necessitas amoris Dei, ut sacramentum Baptismi vel Pœnitentiæ de facto suscipiatur, sed solummodò necessitas detestationis peccati, sive necessitas attritionis. Tertiò

dicit concilium quòd hujusmodi pœnitentes justificantur, dum proponunt suscipere Baptismum: ergo loquitur de illis pœnitentibus, qui habent solummodò propositum, seu votum Baptismi, vel Pœnitentiæ, & non de illis qui de facto hujusmodi sacramenta recipiunt 4. Quia in testimoniis ejusdem concilij pro nostra conclusione relatis, in quibus expressè loquitur de dispositionibus requisitis ad justificationem, & simul ad susceptionem sacramentorum, ac præsertim sacramenti Pœnitentiæ, asserit quidem concilium quòd antequam de facto recipiatur sacramentum Pœnitentiæ, contritio cum voto sacramenti justificat hominem, sed asserit etiam quòd attritio disponit hominem ad gratiam recipiendam, quando de facto recipitur Pœnitentiæ sacramentum, nec ullam prorsùs mentionem facit alicujus actualis amoris Dei, quem talis attritio importare debeat. Certè si talis attritio non esset dispositio sufficiens etiam cum actuali sacramento Pœnitentiæ ad gratiam recipiendam sine tali actuali amore Dei, non debuisset concilium expressè loquens de hujusmodi dispositionibus prætermittere mentionem illius actualis amoris.

Objicitur 5. Authoritas D. Augustini, & præter testimonia, quæ nobis etiam in præcedenti articulo obiiciebantur ab Hæreticis, insuper obijcitur quòd D. Augustinus libro primo contra Julianum in opere imperfecto, ait: *Homo Pelagiane, charitate vult bonum, & charitas ex Deo est: sed non per legis litteram, sed per spiritum gratiæ.* Et epistola 144. ad Anastasium sic loquitur, *Tantùm quisque peccatum odit, quantùm iustitiam diligit, quod non poterit lege terrente per litteram, sed spiritu sanante per gratiam.*

Respondeo, quòd hæc omnia testimonia facilè explicantur, primò per regulam generalem datam in præcedenti articulo ad explicanda testimonia hujus sancti Doctoris. 2. etiam per regulam generalem datam in prima præcedenti solutione ad explicandum Concilium Tridentinum. 3. Considerando specialem regulam pro testimoniis jam relatis, quòd nempè loquitur D. Augustinus contra Hæreticos Pelagianos, & semi-

pelagianos, qui volebant ad hoc ut aliquis peccator veram ageret pœnitentiã, sufficere quòd ipsi proponeretur lex Divina terrens peccatores per tot supplicia, quæ sunt ipsis præparata: intẽdit autem D. Augustinus, quòd hæc omnia non sufficerent, si præter legem exteriùs sonantem, & terrentem, non daretur interiùs aliquod auxiliũ Divinæ gratiæ: & hoc ultrò fatemur, dicimus enim quòd illa attritio non sufficit, quæ non procedi à Spiritu Sancto interiùs movente, licèt nondùm inhabitante.

Cæterum ut in materia adeò necessaria nullum supersit dubium circa mentem D. Augustini: præter ejus testimonia pro nostra conclusione, relata, adhuc afferro duo sequentia: alterũ sumitur ex psal. 127. expositione, ubi de peccatoribus loquens ait: *Timent quidem sed non amant iustitiam: cum autem per timorem continent se à peccato, fit consuetudo iustitia, & incipit quod durum erat amari, & dulcescit Deus.* Ecce quomodò expresè asserit D. Augustinus, timorem servilem, & divinum licèt non habeat admixtum amorem justitiæ, paulatim tamen ad ipsum disponere, sicut & ad amorem Dei, proindeque etiam ad justificationẽ. Alterum testimonium sumitur ex lib. 2. contra Gaudentium. cap. 12. ubi sic loquitur. *Quisquis regibus iubentibus obtemperat, à timore incipiens, & ad dilectionem proficiens, à Domino accipit pacem.* Ecce quomodò D. Augustinus etiam ipsum timorem servilem, & mundanum esse bonum, & laudabilem asserit, dummodò benè utamur ipso, scilicet tanquàm medio, & motivo ad finaliter consequendũ ipsum Dei amorẽ.

Obijtur 6. Divus Thomas in supplemento summæ Theologicæ, quæst. 9. art. 1. ad primum, explicans illud Scripturæ, *A mortuo quasi nihil perit confessio,* ait, *hoc esse intelligendum ad hoc ut sacramentum pœnitentiæ cum fructu recipiatur, quod sine charitate fieri non potest.* Ex quibus verbis videtur inferri evidenter, quòd prærequiratur charitas, proindèque contritio, ut aliquis fructuosè recipere possit sacramentum pœnitentiæ.

Respondeo quòd D. Thomas vult solùmmodò fructum sacramenti recipi non posse sine charitate non quidem antecedenter se habente, sed concomitanter:

Cum enim fructus sacramenti sit gratia sanctificans, & charitas inseparabiliter concomitetur hujusmodi gratiam, constat quòd nullus recipere potest fructum sacramenti, quin simul ac semel charitatem recipiat. Et ideò non dixit D. Thomas quòd ille qui accedit ad sacramentum pœnitentiæ, debeat esse in *Statu gratiæ, & charitatis*, immò potiùs asserit quód peccator pœnitens potest ad hoc sacramentum accedere *Cum conscientia peccati mortalis*, ut patet ex ipsius testimoniis pro nostra conclusione relatis, sed solummodò dicit quòd non potest aliquis recipere *fructum sacramenti sine charitate*, & hoc libenter fatemur, & in sensu jam explicato est verissimum, & certissimum.

Obijcitur 7. Ecclesiæ praxis est hortari pœnitentes, præsertim in fine vitæ, ad eliciendum contritionis actum: ergo signum est quòd Ecclesia censet peccatorem non esse sufficienter dispositum ad justificationem cum sola attritione, sed quód debet habere contritionem vel effectivam, vel existimatam.

Respondeo facilè, quód ratio hujus laudabilis consuetudinis est, quia optimum consilium est elicere contritionis actum quoties suscipimus Pœnitentiæ sacramentum, quamvis non sit rigorosum præceptum, sed sufficiat attritio, ut jam ostendimus. Secundò etiam; quia cum non possimus clarè, & certò cognoscere, utrùm attritio quàm habemus, sit naturalis, vel supernaturalis, conari debemus ad perfectissimam contritionem quantùm possumus, ut si non attingamus ad totalem ipsius perfectionem, saltem assequamur attritionem illam supernaturalem, quia in fine vitæ obligat præceptum charitatis, ut communiter docent Theologi; undè tunc etiam obligat præceptum cõtritionis non quidem per se, & directè, sed per accidens, & indirectè, quatenùs virtualiter, & implicitè contritio importatur in ipso amore Dei.

Obijcitur 8. Attritio quæ concipitur ex metu pœnarum inferni, potest quidem esse supernaturalis, quia hujusmodi pœnas lumine fidei cognoscimus, sed illa quæ concipitur ex turpitudine peccati, non potest esse nisi naturalis, quia naturali lumine hujusmodi

hujusmodi turpitudinem cognoscimus, & omnis actus ab objecto suo specificatur.

Respondeo, distinguendo ultimam propositionem: Actus specificatur ab objecto suo, materialiter sumpto, nego; ab objecto formaliter sumpto, concedo: & dico quòd si solo lumine naturali cognoscatur turpitudo peccati, attritio quæ ex tali consideratione concipitur, erit merè naturalis, & illa non sufficit ad justificationem etiam in ipso Pœnitentiæ Sacramento: Sed si turpitudo peccati cognoscatur lumine supernaturali, & attritio concipiatur ex tali supernaturali lumine, illa attritio erit supernaturalis, quam dicimus procedere à Spiritu Sancto movente, & sufficere ad justificationem in ipso pœnitentiæ Sacramento.

ARTICULUS III.

An requiratur Attritio supernaturalis, & quomodo Sacramentum Pœnitentiæ faciat ex attrito contritum.

Advertendum est, quòd Sacramentum Pœnitentiæ dupliciter sumi potest, vel ut est validum, vel ut est fructuosum: Difficultas est valdè gravis, utrùm sine attritione supernaturali possit Sacramentum Pœnitentiæ esse validum; sed illam resolvemus occasione alteriùs infra explicandæ de Confessione. Unde in præsenti quærimus tantùm an requiratur attritio supernaturalis ad hoc ut nedùm validè, sed etiam fructuosè recipiatur Sacramentum Pœnitentiæ.

Conclusio: Ad hoc ut Sacramentum pœnitentiæ recipiatur cum fructu, sivé gratia, requiritur, & sufficit attritio supernaturalis: in ipsa autem receptione Sacramenti homo ex attrito fit contritus, in hoc sensu, ut ex attrito actu fiat contritus habitu.

Probatur, & explicatur prima pars conclusionis: Dispositio debet esse ejusdem ordinis cum forma, ad quam disponit, ut docent Philosophi; atque ita si forma sit ordinis naturalis, sufficiet naturalis dispositio; sed si forma sit ordinis supernaturalis, requiretur etiam dispositio supernaturalis. Sed gratia ad quam suscipiendam disponit attri-

tio, est ordinis supernaturalis: Ergo etiam attritio debet esse supernaturalis.

Probatur eadem pars conclusionis 2. Quia Concilium Tridentinum, ut patet ex authoritate relata in articulo præcedenti, dicit hujusmodi attritionem, quæ disponit ad gratiàm in Sacramento recipiendam, provenire *à Spiritu Sancto nondùm quidem inhabitante: sed movente*: Sed per istum modum loquendi denotatur quòd attritio est supernaturalis, quia Spiritus Sanctus specialiter non movet nisi ad actus supernaturales: Ergo.

Probatur, & explicatur secunda pars: Diximus quòd quando homo accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ cum actu attritionis supernaturalis, recipit in ipso Sacramento gratiam sanctificantem, & ipsam charitatem tanquàm proprietatem inseparabilem: Ergo Sacramentum Pœnitentiæ ex attrito facit contritum, saltem in hoc sensu quòd ex attrito actu fit peccator ipse contritus habitu; nam quando accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ, est actualiter attritus, & hoc ipso quod recipit gratiam in Sacramento, & cum gratia habitum charitatis, fit contritus habitualiter: Cum enim contritio sit actus ex charitate procedens, ut patebit ex Quæstione sequenti, charitas habitualis est etiam habitualis contritio, idest, habitus inclinans ex actu contritionis, & ideò ille qui habet charitatis habitum, dicitur habitualiter contritus. Igitur hoc ipso quòd peccator pœnitens actum attritionis defert ad Sacramentum pœnitentiæ, in quo recipit charitatis habitum, ex attrito actu fit contritus habitu.

Objicitur: Plures Theologi tenent, quòd Sacramenta non producunt physicè sed tantùm moraliter gratiam; & ita in Baptismo v. g. aqua, quæ est aliquid purè naturale, licèt Physicè non producat gratiam, eam tamen producit moraliter, quatènus saltem est conditio, sine qua non produceretur gratia: Ergo etiam actus pœnitentis saltem juxta probabilem sententiam, licèt sint purè naturales, possunt esse materia Sacramenti Pœnitentiæ, & conditio sine qua non produceretur gratia, & cum qua producitur: Et sic attritio licèt purè naturalis sufficiet ad hoc ut recipia-

tur gratia in hoc Pœnitentiæ Sacramento.

Respondeo negando paritatem; quia Sacramenta ad productionem gratiæ se habent ut instrumenta, & quidem juxta sententiam Divi Thomæ, sunt instrumenta Physica, & intrinsecè recipiunt virtutem supernaturalem, quando gratiam producunt: sed juxta aliorum sententiam sunt instrumenta moralia, & ad hoc non exigunt virtutem supernaturalem, benè tamen supernaturalem institutionem: Sed actus pœnitentis in Sacramento Pœnitentiæ non se habent ut instrumenta ad productionem gratiæ, sed ut dispositiones ad gratiam tanquam ad formam; licet autem instrumentum morale non exigat aliquid sibi intrinsecum ad productionem effectus, quod sit ejusdem ordinis, sivè supernaturale quando effectus est supernaturalis, attamen omnis dispositio debet esse ejusdem ordinis cum forma ad quam disponit, ita ut si forma sit supernaturalis, qualis est gratia, dispositio etiam qualis est attritio, debet esse supernaturalis.

QUÆSTIO IV.

Utrùm præceptum contritionis obliget statim post peccatum mortale.

Circa propositam difficultatem triplex est sententia. Prima D. Bonaventuræ &, aliorum ex antiquis Theologis, absolutè, & sine ulla modificatione asserentium contritionem obligare statim post mortale peccatum, ita ut si omittatur, committatur novum peccatum. Secunda est Dominici Soto, & quorumdam aliorum ex modernis tam intra, quàm extra scholam D. Thomæ, qui præcedentem sententiam modificantes dicunt præceptum contritionis obligare quando peccator recordatur quòd mortaliter peccavit, atque ita se ipsum reflectit supra malum statum suum, quia existimant istam reflexionem fieri non posse sine nova cõplacentia in peccato, nisi per actũ contritionis impediatur. Tertia cõmunis inter Thomistas, & alios hujus tẽporis Theologos explicatur sequẽti cõclusione.

Conclusio: Præceptum contritionis non obligat statim post peccatum mortale.

Probatur: quia præceptum contritionis est affirmativum: hec est autẽ differentia secundùm omnes Theologos inter præceptum affirmativum, & negativum: quód negativum obligat semper, & pro semper: affirmativum veró obligat quidem semper, sed non pro semper: v.g. præceptum est affirmativum honorandi parentes; præceptum est autem negativum nunquàm ipsos injuriâ afficiendi: istud secundum præceptum semper obligat, & pro semper, quia nunquàm licitum est afficere injuriâ parentes: sed illud primum obligat semper, sed non pro semper, quia non semper, & pro semper tenemur honorem exhibere parentibus, sed tantùm in occasionibus, in quibus talis honor exigitur. Ita in proposito præceptum est affirmativum conterendi, sivè dolendi de peccatis, & præceptum etiam negativum non cõplacendi sibi in ipsis: istud quidem pro semper obligat, quia nunquàm licitum est habere complacentiam in peccatis; sed illud non obligat pro semper, quia non tenemur in quolibet instanti conteri, & dolere de peccatis, sed tantùm quando hujusmodi contritio exigitur à nobis: nulla autem est ratio, quæ convincat contritionem exigi a peccatoribus statim post mortale peccatum, ut patebit ex solutionibus objectionum: ergo non statim obligat contritio.

Confirmatur: Confessio non obligat statim post peccatum: ergo neque contritio. Antecedens constat, quia Ecclesia non determinavit ut peccatores confiteantur nisi semel in anno de necessitate; ita ut licèt præceptum confessionis sit de jure Divino, & sola determinatio temporis in quo tale præceptum obligat, ad Ecclesiam pertineat, ut dicemus in sequenti quæstione, nihilominùs existimet Ecclesia peccatores satisfacere huic præcepto licèt semel tantùm in anno confiteantur, & non statim atque mortaliter peccaverunt. Consequentia probatur: non enim est alia ratio cur statim post peccatum non obliget confessio, nisi quia præceptum confessionis est affirmativum, quod non obligat pro semper, nec

nec ulla potest afferri ratio cur obliget statim post peccatum mortale: cum igitur etiam præceptum contritionis sit affirmativum, nec ulla possit afferri ratio, cur obliget statim post peccatum mortale, dicendum est quod præceptum contritionis, sicut & præceptum confessionis, non obligat statim post peccatum, saltem per se loquendo.

Probatur 2. Quia ex prima, & secunda sententia sequeretur maximum inconveniens; nullum enim foret instans post peccatum mortale, in quo non committeretur novum mortale peccatum per peccatorem, si non eliceret contritionis actum: nam in primo instanti immediatè subsequenti mortale peccatum, si omitteret actum contritionis, peccaret mortaliter contra præceptum contritionis: similiter in secundo instanti, quia maneret adhuc obligatus ad actum contritionis sicut antea, iterum mortaliter peccaret, si illum omitteret: & sic in tertio, & in omnibus aliis instantibus, juxta primam sententiam: & juxta secundam sententiam toties saltem mortaliter peccaret, quoties recordaretur sui peccati, & non contereretur: Quod est profectó nimis grave, & onerosum. Quód si adversarij dicant omisso semel actu contritionis in illo primo istanti immediatè subsequenti peccatum, alias omissiones non esse nova peccata, sed idem peccatum omissionis continuatum: nos similiter dicemus, qùod quando aliquis mortaliter peccavit, si postea non conteratur, non propterea committi novum mortale peccatum, sed solummodó idem peccatum continuat, sivè in statu peccati remanet.

Objicitur 1. Ecclesiastici 3. dicitur: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Et ibidem cap. 5. *Non tardes converti ad Dominum, nec differas de die in diem, subitò enim venit ira eius:* Sed ille qui statim post mortale peccatum, non elicit actum contritionis, exponit se periculo peccandi iterum; nam ut ait D. Gregorius lib. 2. Moral. cap. 12. *Peccatum quod per pœnitentiam citiùs non deletur, mox suo pondere trahit ad aliud:* Ergo tenetur quilibet peccator ad vitandum periculum novi peccati, & periculum etjam mortis in statu peccati, elicere actum contritionis statim post peccatum.

Respondeo cum duplici Regula generali ad explicanda Scripturæ,& Patrum testimonia. Prima est quòd per se loquendo non tenetur peccator elicere actum contritionis statim post peccatum , attamen ad hoc obligatur quandoque per accidens: v. g. si moraliter loquendo sit periculum ne peccator in novum peccatum incidat, nisi cōtritionem eliciat de priori peccato, tunc per accidens obligatur ad actum contritionis : similiter si immineat morale periculum mortis , tenetur peccator ad actum contritionis , ne ab ipsa morte in statu peccati deprehendatur , & damnetur : sed si moraliter loquendo non sit periculum mortis , vel periculūm de novo peccandi , non tenebitur peccator elicere actum contritionis statim à peccato commisso.

Secunda Regula est, quòd hæc omnia testimonia duo important;alterum quod pertinet ad substantiam præcepti, ut nempè detestemur peccata,alterum quod pertinet ad circumstantiam temporis , ut quàm citiùs ea detestemur : Verum est detestationem quoad substantiã esse de præcepto , omnes enim tenentur ad detestanda peccata : sed quantùm ad illam circumstantiam temporis, non est nisi de consilio: quia licèt sit optimūm consilium ut statim atque possumus , post peccatum,præsertim mortale eliciamus actum contritionis , & propterea ad hoc nos exhortentur Sancti patres , & ipsa Scriptura Sacra , attamen non est rigorosūm præcetum de hac circumstantia , ita ut obliget sub pœna novi peccati mortalis.

Objicitur 2. authoritas D. Thomæ 2. 2. quæstione 62. art. 8. in corpore , ubi ait , *Manifestum est quòd nec per modicum tempus licet in peccato morari , sed quilibet tenetur peccatum statim deserere , secundùm illud Ecclesiastici 21. quasi à facie colubri fuge peccatum :* Ergo ex D. Thoma obligamur statim deserere peccatum : Sed non possūmus ipsum deserere nisi statim eliciendo contritionis actum : Ergo ad hoc tenemur.

Respondeo, quòd Sanctus Doctor vult solūmodò non esse licitum remanere in peccato , quia status peccati est illicitus ; sed non ita quòd novum mortale peccatum committatur ; si statim nos à peccato non retrahamus

per contritionem. Vel etiam meliùs respondetur Angelicum Doctorem velle quòd non possumus etiam per modicum tempus remanere in peccato, quando ex illo statu novum exurgit peccatum mortale: Nam ibi probat quòd tenemur statim restituere bonum proximi quia nunquàm licet retinere bonum ejus, ipso invito: & quia qualibet occasione data ad restituendum, est invitus proximus, si bonum ipsius non restituatur, ideò censetur nova fieri injuria proximo: sed quia Deus non censetur semper exigere reparationem, offensæ mortalis per contritionem ideò non est invitus etiam si per aliquod tempus retineatur honor ipsius. Non licet igitur ex D. Thoma data occasione retinere bonum proximi, sed est novum mortale peccatũ: Si autẽ retineatur bonũ Dei etiã data occasione contritionis, nõ est propterea novũ mortale peccatũ.

Respondeo 2. & est altera Regula generalis ad explicanda hujusmodi testimonia, quod verum est non licere nobis immorari in peccato, & quòd tenemur statim peccatum deserere, non tamen ad hoc obligamur sub pœna novi peccati mortalis, sed sub pœna ejusdẽ peccati ut continuati, idest, si quando peccatũ actuale cõmissum est non retractetur per contritionẽ, permanet in ratione peccati habitualis, & remanet homo in statu peccati, qui status non est ipsi licitus, sed prohibitus. Nihilominùs remanendo in illo statu, & prætermittendo actum contritionis non committit novum mortale peccatum, sed solummodò continuat peccatum præteritum, sivè non est novum actuale peccatum, sed idem peccatum habituale.

Objicitur 3. Diximus quòd obligatur peccator, vel potiùs quòd Scriptura ipsum exhortatur (ad vitandum periculum damnationis vel novi peccati) non differre poenitentiam: sed tale periculum semper contingit: Ergo semper tenetur non differre pœnitentiam, sed statim post quodlibet mortale peccatum elicere contritionem. Major constat: nam Ecclesiastici 3. dicitur, *Qui amat periculum, peribit in illo:* Undè omnes Casuistæ dicunt quòd ille qui se exponit periculo peccandi, hoc ipso peccat: Minor etiam creditur evidens: jam enim diximus, & per se

constat quemlibet peccatorem esse expositum periculo mortis, & proindè etiam damnationis æternæ: similiter expositus est periculo novi peccati quando pœnitentiam differt, quemadmodum diximus ex D. Gregorio Magno supra: Ergo,

Respondeo distinguendo duplex periculum: aliud metaphysicum, & aliud morale: periculum illud dicitur metaphysicum quando id quod timetur, absolutè loquendo evenire potest, quamvis moraliter loquendo certum sit quòd non eveniet: periculum verò morale est illud, quod est tale attentis hic, & nunc circumstantiis, ut moraliter tam facilè contingere possit quòd malum eveniat, quàm quòd non eveniat; v. g. si quis sit benè dispositus, aliundè nec sit tempus belli, nec pestis, quamvis absolutè loquendo eodem die mori possit, non est tamen morale periculum: Sed si aliquis sit notabiliter indispositus, vel in loco ubi grassatur bellum, vel pestis, attentis hujusmodi circumstantiis est moraliter expositus periculo mortis. Igitur non licet remanere in statu peccati, nec omittere contritionem, quando est morale periculum mortis. & damnationis: sed quando periculum est metaphysicum tantùm, non est rigorosum præceptum extrahendi se à statu peccati. ita ut si prætermittatur contritio, non fit propterea novum peccatum, quamvis sit semper optimum consilium, cum agatur de re maximi momenti, nempè salutis æternæ, ut quis evitet omne prorsùs periculum æternæ damnationis nedùm morale, sed etiam methaphysicum, eliciendi contritionem statim post peccatum, vel saltem cum attritione accedendo ad Pœnitentiæ Sacramentum.

Objicitur 4. periculum incidendi in novum peccatum semper est proximum, & morale: Ergo nulla adhùc solutio. Probatur antecedens primò ex sententia Gregorii jam relata, quòd nempè *peccatum, quòd non citiùs deletur per Pœnitentiam, suo pondere trahit ad aliud*, hoc enim verificatur tam physicè, quàm moraliter, cum enim non possimus per longum tempus remanere in statu peccati mortalis, quin committamus novum mortale peccatum, ut docent communiter Theologi, &

jam suo loco explicatum est, non possumus diu differre pœnitentiam, & contritionem sine morali periculo novi peccati mortalis.

2. Quando aliquis recordatur sui peccati, vix fieri potest quòd negativè se habeat; ita ut nec in eo sibi complaceat, nec etiam displiceat: si igitur peccatum non displicet, necesse est quòd placeat, atque ita si non conteratur de peccato, necesse est quod ipsi de novo assentiatur, quòd est committere novum mortale peccatum.

3. Si aliquis in puteum cecidisset, & alius ipsi subministraret funem ad ipsum extrahendum, censeretur velle in illo statu remanere, nedùm si positivè diceret, nolo indè exire, sed etiam si solummodò negligeret istud medium exeundi: si enim tunc negativè se haberet, censeretur tacitè, virtualiter, & interpretativè velle in puteo remanere: Ita qui cecidit in abyssum peccati mortalis, considerans statum suum, & videns quòd ex illo per contritionem potest exire; si tunc negativè se habeat, & contritionem non eliciat, censetur tacitè, virtualiter, & interpretativè sibi de novo complacere in pessimo illo peccati statu: hæc autem nova complacentia virtualis est novum mortale peccatum: Ergo semper manet, quòd de novo mortaliter peccat quicumque non conteritur, dum sui peccati mortalis recordatur.

Respondeo negando antecedens: Ad primam probationem dico quòd juxta Divum Gregorium periculum est physicum, & remotum dum aliquis remanet in statu peccati, non autem morale, & proximum periculum citiùs committendi novum mortale peccatum, nisi post aliquod tempus memorabile, quod est indeterminabile ut suo loco explicavi: Undè est optimum consilium eliciendi statim contritionẽ ad vitandum omne prorsùs periculũ incidendi in novũ mortale peccatum, sed non est rigorosũ præceptũ statim conterendi, benè tamen post aliquod notabile tempus, ita, ut si peccator elapso notabili tempore non conteratur de peccato suo, peccet de novo mortaliter, quia se exponit morali periculo incidendi, in novum mortale peccatum.

Ad secundam probationem, dico quòd non est periculum morale, quoties aliquis recordatur peccati mortalis, de novo statim consentiendi, & complacendi sibi in ipso: quia vel potest negativè se habere non præbendo consensum: vel dissensum, vel saltem potest mentem suam divertere, & in aliquo negotio indifferenti occupare.

Quòd si aliquis supponatur ita dispositus, ut si recordetur peccati sui, & de ipso non doleat, in eo sibi complaceat, nec possit in medio consistere, sed necessariò ad aliquod extremum declinet, tunc respectu istius per accidens in tali casu obligat contritio, quod satis regulariter contingit in peccatis voluptuosis: & ita se explicat Dominicus Soto jam relatus, quamvis Paludanus absolutè teneat sententiam prædictam, quod omnis peccator nullo excepto tenetur conteri de peccatis, quoties eorum recordatur.

Ad tertiam probationem, Respondeo quod ille qui cecidit in puteum, etam si funis illi subministretur ad exeundum, si prævideat quòd post horam integram habebit eamdem occasionem, vel aliam, etiamsi initio horæ nolit exire, non censetur de novo sibi complacere in suo statu, benè tamen si fineret elabi horam integram, post quam non esset habiturus occasionem abeundi: Ita similiter peccator qui videt, & prævidet quòd per aliquod tempus post peccatum habebit semper occasionem exeundi à statu peccati per contritioné sine ullo periculo novi peccati mortalis, non censetur sibi de novo etiam virtualiter complacere in statu peccati licèt statim non conteratur, dummodò non finat elabi totum illud notabile tempus absque contritione: hoc enim est solummodò continuare statum peccati, sivè in habituali peccato permanere, sed non committere novum mortale peccatum.

Objicitur 5. Quando aliquis abstulit bonum alterius, tenetur statim ad restitutionem sub pœna novi peccati mortalis, ut docent communiter Casuistæ, ita ut quoties se se offert occasio restituendi, & non restituit, toties de novo mortaliter peccet. Sed quando aliquis

peccat mortaliter, aufert bonum Divinum, nempè gloriam ipsi Deo debitam: Ergo à fortiori tenetur statim per contritionem hujusmodi bonum restituere, ita ut de novo mortaliter peccet, si non restituat.

Respondent communiter authores, negando paritatem, quia respectu proximi bonum est utile, ex cujus defectu patitur detrimentum: Sed respectu Dei nullum est bonum ita utile ut ex ipsius defectu aliquid patiatur: ideò restitutio statim obligat respectu proximi ad vitandum illud detrimentum, sed non respectu Dei. Nihilominùs hæc solutio non satisfacit. Quia obligatio restitutionis non fundatur in hoc quòd proximus patiatur detrimentum ex defectu boni ablati, sed ex hoc quòd hujusmodi bonum ad ipsum pertinet: undè licèt foret valdè dives, & ex privatione talis boni detrimentum non pateretur, nihilominùs obligaret restitutio: Ergo à fortiori obligat restitutio boni Divini, quod ad ipsum Deum pertinet innumeris titulis, præsertim cum bonum Divinum quamvis consistat in sola ipsius extrinseca gloria, sit in infinitum majoris ponderis, & considerationis, quàm quoduis bonum proximi, quantumvis utile, immò ipsi necessarium.

Igitur respondeo ex D. Thoma loco jam citato ad primum, ubi ait, *Dicendum quòd præceptum de restitutione facienda, quamvis secundùm formam sit affirmativum, implicat tamen in se præceptum negativum, quo prohibemur rem alterius detinere.* Sensus solutionis est, quòd respectu proximi restitutio involuit præceptum tam negativum, quàm affirmativum, scilicèt non retinendi bonum ipsius ipso invito: Et quia proximus semper censetur invitus, & vult statim sibi fieri restitutionem, ideò statim obligat restitutio, & ille mortaliter peccat de novo, qui occasione data non restituit. Sed respectu Dei restitutio importat præceptum affirmativum sed non involuit negativum, quia Deus non est invitus, si statim non restituatur bonum ipsius nec exigit statim post peccatum fieri hujusmodi restitutionem per actum contritionis, qui

ut diximus probando conclusionem, non habetur de hoc speciale præceptum.

Objicitur 6. & replicatur contra præcedentem solutionem: Ille qui post mortale peccatum non elicit actum contritionis, facit contra præceptum negativum: Ergo de novo mortaliter peccat. Consequentia patet ex dictis: Antecedens probatur: Præceptum negativum est non complacendi sibi in mortali peccato: Sed ille qui non conteritur statim post peccatum, sibi complacet in ipso: Ergo facit contra præceptum negativum: Major patet, quia complacentia in peccato est intrinsecè mala ex objecto suo, proindeque semper prohibita per præceptum negativum: Minor probatur: Ille qui cogitat de mortali peccato quód commisit, & ipsum non retractat, nec detestatur, hoc ipso si non formaliter, & explicitè, saltem virtualiter, implicitè & interpretativè sibi complacet in ipso, cum inter hujusmodi detestationem, & complacentiam non detur medium. Ergo.

Respondeo 1. quòd omittere actum contritionis non est contra præceptum negativum, quia hoc potest fieri sine ulla complacentia in peccatis, merè negativè se habendo, quatenùs ille qui recordatur de peccatis suis quamvis ipsa non detestetur, nec eliciat actum positivum contritionis, non elicit etiam actum positivum complacentiæ, sed mentem suam ad alia negotia divertit, vel etiam si perseveret in ista memoria peccatorum, attamen suspendit actum tam complacentiæ, quàm detestationis. Verùm est quidem quòd sequitur ex hoc quòd cogitans de peccatis suis non detestatur ipsa, nec dolet de ipsis, sequitur, inquam, virtualis, & interpretativa voluntas perseverandi in statu peccati, sed non sequitur nova actualis voluntas committendi hujusmodi peccatum novæ alicujus complacentiæ in præteritis peccatis: Quamvis igitur nolit peccator elicere actum contritionis, quia licet hoc sit perfectius, ad hoc tamen non tenetur, & ita quamvis nolit se extrahere à statu peccati, & habituali complacentia in peccato, nihilominùs dummodò non eliciat novum actum positiuum, per quem sibi complaceat in peccato, non committit novum mortale peccatum, sed tantùm

rema-

remanet in eodem ſtatu peccati.

Objicitur 6. Si aliquis incidat in morbum corporis, in quo vita ipſius periclitetur, tenetur ſtatim adhibere remedium ad vitandum morbum illum mortalem, & ipſam mortem; ita ut mortaliter peccaret ſi remedium illud negligeret: ergo à fortiori quando aliquis incidit in mortale peccatum, tenetur ſtatim adhibere remedium contritionis, ita ut de novo mortaliter peccet: ſi hujuſmodi remedium negligat, quia tantò major debet eſſe cura ſalutis ſpiritualis quàm corporalis, quantò illa perfectior eſt iſtâ.

Reſpondet D. Thomas in ſupplemento quæſtione 6. articulo 5. ad 2. ubi ait, *dicendum quod non eſt de neceſſitate ſalutis corporalis, ut ſtatim medicus quæratur, niſi quando neceſſitas curationis incumbit: & ſimiliter eſt de morbo ſpirituali:* Igitur ex D. Thoma ille non peccat, qui ſtatim non adhibet remedium, quando non eſt in extrema neceſſitate, ſivè non eſt morale periculum ut mors ſequatur: Sed ſi tale periculum inſit morbo, tenetur ſtatim remedium adhibere. Negatur tamen conſequentia; quia mors corporalis non eſt reparabilis, & ideò quando morbus eſt mortalis, debet adhiberi remedium, antequàm ſequatur mors corporis. Sed mors ſpiritualis eſt reparabilis: undè ſtatim atque incidit aliquis in mortale peccatum, non eſt neceſſe quòd adhibeat remedium contritionis, ſi moraliter credatur ſupereſſe tempus ad hujuſmodi remedium poſtea adhibendum. Quòd ſi prævideretur non fore tempus ad hoc neceſſarium, tunc obligaret præceptum contritionis non quidem per ſe, ſed per accidens propter defectum ulterioris temporis.

Objicitur 7. Non minus tenemur ad nos corrigendum quàm alios; cum in ſpiritualibus locum habeat illud vulgatum, charitas incipit à ſe ipſo: Sed ſtatim atque proximus peccavit, tenemur ipſum corripere, ſi detur opportunitas: Ergo à fortiori peccator ſtatim atque peccavit, cum opportunitatem habeat, tenetur corripere, & corrigere ſe ipſum: quod fieri nequit niſi eliciat actum contritionis, proindèque tenetur ad illum eliciendum.

Respondeo negando paritatem: quia non habemus semper in potestate nostra proximum nostrum; ideò quando datur opportunitas, tenemur ipsi conferre beneficium correptionis, servatis debitis circumstantiis: sed nos ipsos semper habemus in potestate nostra: ideò licet detur aliqua opportunitas corrigendi nos ipsos per contritionem, possumus illa opportunitate prætermissa expectare aliam ad nostram correctionem, & contritionem: immò etiam respectu proximi, si moraliter loquendo certi simus, quòd præter opportunitatem, quam habemus, alia dabitur opportunitas ipsum corrigendi, & aliundè non sequatur novum malum ex hoc quód in prima occasione prætermittitur correctio, possumus eam tunc omittere, & differre absque peccato: si autem omittendo correptionem in tali prima occasione, moraliter loquendo sequi deberet novum malum, tunc ad ipsam teneremur. Et similiter si ex hoc quód peccator prætermitteret actum contritionis, foret morale periculum incidendi in novum mortale peccatum, tunc per accidens ad vitandum novum illud malum, teneretur elicere contritionem. Sic igitur quamvis variis de causis per accidens teneatur peccator statim post mortale peccatum ad eliciendum actum contritionis; semper tamen manet quód per se loquendo ad hujusmodi contritionis actum non tenetur statim post peccatum.

ARTICULUS II.

Vtrúm contritio sit dolor maximus absolutè, & respectivè.

In hac difficultate quadruplex est sententia. Prima est Adriani Papæ VI. existimantis contritionem non esse veram, nec sufficere ad justificationem peccatoris, nisi fuerit dolor maximus absolutè; idest, talis ac tantus, qualis ac quantus elici potest ab ipso homine in statu in quo reperitur. Secunda est Scoti, & discipulorum ejus existimantium veram & sufficientem contritionem habere certum aliquem gradum, non quidem maximum omnium, sed ex ipsa rei natura determi-

natum, & soli Deo notum ita ut si contritio minor fuerit, nec vera sit, nec sufficiens ad justificationem. Tertia sententia communis est inter Thomistas, quòd nempé minimus gradus veræ contritionis sufficit ad tollenda omnia peccata mortalia, quantùmvis gravia esse possint. Adhuc tamen ipsi Thomistæ differunt in modo explicandi suam sententiam. Nam Dominicus Soto, & communiter alij cum ipso nedùm dicunt sufficere contritionem minimam absolutè, sed etiam quód potest esse vera contritio licèt dolor ejus sit minor intensivè quàm alius dolor naturalis, dummodó sit major appretiativè. Sed Philippus à Sanctissima Trinitate, & quidam alij ab ipso citati volunt veram contritionem esse majorem dolorem tam intensivè, quàm appretiativè quàm quemlibet alium dolorem naturalem.

Conclusio: Ad veram contritionem sufficit minimus dolor absolutè: immó sufficit minor dolor intensivè per respectum ad alios dolores, dummodó sit major appretiativé.

Probatur prima pars, & infertur ex axiomate communi, quod explicatur in tractatu de actibus humanis. Sivè sit parvus, sivè magnus contritionis gradus, in eo reperitur contritionis essentia: sed hoc sufficit ut tollantur omnia prorsùs peccata mortalia, quãtúmcumque esse possint eorum multitudo, & gravitas: ergo. Major constat: nam v.g. sivè calor sit in summo, sivè in infimo gradu, semper habet caloris essentiam: ergo similiter sivè dolor contritionis sit maximus, sivé minimus, semper habebit contritionis essentiam: Minor autem probatur: De essentia contritionis est, quód sit dolor de peccatis propter Deum summé dilectum: sed quando Deus summé diligitur tollitur omne mortale peccatum quantùmvis multum, & grave: ergo ubicumque reperitur contritionis essentia, tolluntur hoc ipso omnia peccata mortalia. Major consta ex ipsa definitione contritionis: Minor quoque patet: Etenim verus amor Dei convertit hominem in ipsum Deum tanquàm in finem ultimum, sicut è contra mortale peccatum convertit peccatorem in creaturam tanquàm in finem ultimum: sed implicat quòd homo simul ac semel ha-

beat duos fines ultimos, ut probatur in tractatu de actibus humanis : ergo implicat quòd ubi est verus amor Dei quantùmcumque remissus, ibi possit esse mortale peccatum quamtumvis grave, & multiplex.

Probatur 2. ab inconvenienti : nam si contritio, ut foret vera, & sufficeret ad justificationem, deberet esse maxima, quæ possit elici ab ipso peccatore, vel etiam major quàm ipsius complacentia in peccato, darentur plurimi peccatores, quorum conversio foret valdè difficilis, immò moraliter impossibilis : etenim experientiâ constat, quòd cùm natura hominis sit proclivior ad malum, quàm ad bonum, multi sunt qui intensissimè feruntur ad peccatum, & tamen multò minùs ferventer dolent de peccatis, & convertuntur in Deum : igitur constat experientiâ quòd multorum conversio non foret vera, si dolor de peccatis deberet esse major, quàm complacentia in ipsis: ut ergo verificetur illud Christi, *jugum meum suave est, & onus meum leve*, dicendum est quòd peccatori sufficit verus dolor de peccatis, licèt non sit maximus dolor absolutè, immò licèt non sit major quàm complacentia in peccatis, immò licèt sit absolutè minimus, dummodò sit verus.

Probatur 2. pars ex altero axiomate satis etiam communi : divina Providentia non exigit aliquid ab homine supra naturam, & conditionem ejus : sed natura, & conditio hominis ferre quidem potest quòd peccator magis appretiativè doleat de mortali peccato, quàm de quolibet alio malo, sed non quòd doleat magis intensivè. Major constat : quia Deus impossibilia non præcipit, ut fusè probatum est suo loco contra Jansenium. Minor verò probatur: Talis est dolor in appetitu sivè rationali, sivè sensitivo, qualis est cognitio mali sivè in intellectu, sivè in sensu : habet enim appetitus quòd sit potentia cœca, quæ non fertur in objectum nisi ea proportione quâ ipsi proponitur vel per intellectum, vel per sensum : sed homo ita natus est, ut pro hoc statu viæ magis intensivè cognoscat mala pœnæ, quàm mala culpæ, quamvis ista cognoscat magis appretiativè : ergo juxta naturam, & conditionem hominis pro hoc statu viæ, Divina

providentia non exigit à peccatoribus majorem dolorem intensivè sed tantùm appretativè. Et sanè eadem ratio convincit pro hac secunda parte conclusionis, quæ convincit pro prima parte : negari enim non potest quin sit nobis difficillimum , magis intensivé dolere de mortali peccato,quàm de quolibet alio malo,quamvis sit satis facile magis dolere appretiativé. Si igitur ad veram cantritionem foret necessarius dolor intensivé major quolibet alio dolore , difficillima esset vera contritio , & conversio peccatorum: erit veró facilis, si requiratur solummodó dolor appretativè major , & verificabitur illud Christi , *iugum meum suave est, & onus meum leve.*

Explicatur magis iste excessus intensivus , & appretiativus exemplo quo communiter utuntur Theologi. Mater v. g. duos habet filios : major natu jam est capax dignitatum Reipublicæ, ad honorem suæ familiæ: minor veró natu est adhuc tenellus , & cujuscumque dignitatis incapax : Amor matris erga minorem natu est major intensivé , sed erga majorem est maior appretiativé : magis enim sensibiliter afficitur ad parvulum , magis sensibiliter ipsi condolet in infirmitatibus suis , quàm condoleat maiori , vel ad ipsum afficiatur. Si tamen ipsi daretur optio salvandi vitam maioris , aut minoris , ponderaret omnia quæ expediunt ad honorem familiæ suæ , & magis appretiaret vitam maioris, quàm minoris , ac potiùs permitteret mori parvulum , quàm alium natu maiorem. Ita eadem mater , si peccando mortaliter incurrit mortem animæ, & Deum perdidit, ex una parte ; aliundé moriatur filius eius unicus , magis intensivé dolebit de morte filii sui , quàm de morte animæ suæ : cuius evidens signum est , quód copiosissimas effundet lachrymas deflendo mortem filii , & aliquando ne minimam quidem lachrymam emittere poterit dolendo de peccatis suis. Si tamen ipsi daretur optio vel peccandi mortaliter , vel permittendi mortem filii , quem unicum haberet , vera contritio faceret quód omnia bene ponderando, & ut par est appretiando , parata foret potiùs permittere mortem filij , aut quodlibet aliud malum pœnæ subire , quàm iterùm mortaliter peccare,

ratione prædominante omni sensibili affectioni, & eam superante; quæ omnia clariora fient ex obiectionibus, & earum solutionibus.

Obijcitur 1. Deuteronomij 4. dicitur: *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Et Christus in Evangelio ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, ex totis viribus tuis:* Sed ille non quærit Deum in toto corde, nec eum ex toto corde diligit, qui non elicit actum contritionis cum maximo quo potest fervore: ergo contritio non sufficit ad justificationem, nisi fuerit intensissima quæ possit ab ipso peccatore elici.

Respondeo esse regulam generalem pro his omnibus testimoniis, distinguendo duplicem totalitatem conversionis in Deum contritionis, & amoris: alia est totalitas quantùm ad substantiam conversionis; & alia quantùm ad gradum: convertere se in Deum per amorem, & contritionem totaliter quoad substantiam conversionis est de præcepto; sed quo ad gradum est de consilio, ita ut sit optimum consilium elicere actum contritionis ferventissimum, quem possumus, sed non sit rigorosum præceptum nisi præcisè elicere actum contritionis qui quantùmvis eliciatur in remisso gradu, nihilominùs totum cor hominis convertit in Deum, ita ut nihil prorsùs remaneat in corde humano: quod sit aversum à Deo. Igitur in forma respondetur hujusmodi testimonia Scripturæ, & alia his similia si intelligantur de totalitate graduali contritionis, non esse præcepta, sed consilia: si autem intelligantur de totalitate substantiali contritionis esse quidem præcepta sed impleri sufficienter per contritionem in quolibet gradu quantùmvis remisso elicitam.

Objicitur 2. Quando aliqua opponuntur, oportet quód unum sit magis intensum quàm aliud, ut ipsum excludat à subjecto, ipsumque destruat: verbi gratia calor contrariatur frigori: non sufficit quicumque calor ad expellendum frigus, sed debet esse intensior, ita ut si frigus sit in subjecto in quinto gradu, necesse sit ad ipsum expellendum, quód introducatur calor usque ad

ſextum gradum: ſed contritio, & peccatum opponuntur: ergo ut contritio expellat peccatum, neceſſe eſt quòd ſit intenſior ipſo peccato, ita ut ſi peccator habuerit complacentiam in peccato ut quinque, habeat dolorem de peccato, ſivè contritionem ut ſex ad minùs: Et quia ſolus Deus cognoſcit quinam ſit gradus determinatus complacentiæ peccatoris in peccatis ſuis, ipſe etiam ſolus cognoſcit quænam contritio requiratur, & ſufficiat in quocumque peccatore ad delenda ipſius peccata, nos autem ex parte noſtra conari ſemper debemus ut ferventiſſimum, & intentiſſimum quem poſſumus, contritionis actum eliciamus.

Reſpondeo diſtinguendo majorem, & eſt regula generalis pro omnibus his argumentis, hoc eſſe verum de oppoſitis contrariè, falſum de oppoſitis contradictoriè: v.g. frigus, & calor apponuntur contrariè, & in illis verificatur quòd unum extremum debet eſſe intenſius altero, ut ipſum expellat à ſubiecto: ſed lux, & tenebræ opponuntur contradictoriè, & ideò minima lux ſufficit ad tenebras expellēdas, ſicut minimæ tenebræ ſufficiunt ad lucem extinguendam: Cuius ratio radicalis eſt, quia contradictoria ſunt invicē oppoſita nedùm quoad gradum, ſed etiam quoad eſſentiam, & ideò poſitâ unius eſſentiâ, totaliter deſtruitur aliud; undè cum poſita minima luce, ponatur eſſentia lucis, neceſſe eſt ceſſare tenebras, ita ut nequidem divinitùs in eadem parte ſubiecti reperiri poſſint: ſed cōtraria ſunt incompatibilia quoad gradum tantùm, & non quoad eſſentiam, undè poſitâ eſſentiâ unius, ſi non ponatur gradus intenſior non excluditur aliud contrariū, ut patet ex ipſa obiectione. Quia igitur ut habetur in tractatu de iuſtificatione, gratia ſanctificans, & mortale peccatum nedum opponantur contrariè, ſed etiam contradictoriè, & tam ſit incompatibilis gratia cum peccatis quàm lux cum tenebris, ideò poſitâ ſolâ gratiæ eſſentia, & ſimiliter eſſentiâ cōtritionis, quantúmcūque ſit minimus utriuſque gradus, illicó annihilantur omnia peccata mortalia, quantùmvis multa, & gravia, ſicut è contra poſito vel minimo mortali peccato deſtrueretur omnis gratia ſanctificans quantùmvis intenſa excogitari poſſit, ita ut Beatiſſima Virgo cum ſua ſumma gratia, ſi mortaliter peccaret,

ſtatim omnem gratiam perderet, & è contra maximus peccatorum, ſi minimum veræ contritionis actum eliceret, ſtatim ab omni mortali peccato mundaretur.

Obijcitur 3. D. Thomas in ſupplemento, quæſtione 3. articulo primo ſic loquitur: *Talis dolor in contritione excedit alios omnes dolores, quia quantùm aliquid placet, tantùm contrarium eius diſplicet: finis autem ſuper omnia placet, cum omnia propter ipſum deſiderentur: & ideò peccatum mortale, quod ab ipſo fine ultimo avertit, ſuper omnia diſplicere debet.*

Reſpondeo quòd iſtud cum aliis teſtimoniis ſimilibus facilè explicatur juxta noſtram regulam, dicendo quòd finis magis *appretiativè* diligitur, quàm ea quæ ſunt ad finem: ſed tamen contingere poteſt quòd ea quæ ad finem ordinantur, magis *intenſivè* diligantur: ſic experitur aliquando mater ſe magis intenſivè diligere filium unicum quàm Deum ipſum, quamvis è contra magis appretiativè diligat Deum, quàm filium ſuum: ita proportionaliter loquendo magis appretiativè dolemus de mortali peccato, quod nos avertit à Deo fine noſtro ultimo, ſed tamen ſæpiùs magis intenſivè dolemus de pluribus aliis malis, quæ minora ſunt, qualia ſunt mala pœnæ.

Obijcitur 4. & replicatur contra præcedentem ſolutionem: Pervertere ordinem divinæ providentiæ, & agere contra dictamen noſtræ rationis eſt mortaliter peccare: ſed ſi quis magis intenſivè doleat de malo pœnæ, quàm de malo culpæ, pervertit ordinem divinæ providentiæ, & agit contra dictamen rationis, quia divina providentia ſtatuit, & ratio dictat, ut majus malum magis evitetur, & de ipſo quis magis doleat: & quamvis ſæpiùs quantùm ad appetitum ſenſitivum non poſſit peccator impedire majorem dolorem de malo pœnæ, quàm de malo culpæ; benè tamen hoc poteſt quoad appetitum rationalem, ſivè voluntatem, quæ in hac parte ſicut in aliis regulari debet juxta lumen fidei, & non juxta notitiam ſenſuum: quamvis autem ſenſus magis ſenſibiliter repræſentent malum pœnæ quàm malum culpæ, attamen fidei

docet esse certissimum quòd minimum malum culpæ majus est, quàm maximum malum pœnæ, ut suo loco fusiùs ostenditur, ita ut potiùs expediret permittere quòd totum periret universum, quàm committere minimum peccatum nedùm mortale, sed etiam veniale.

Respondeo, & est regula generalis, triplicem distinguendam esse notitiam, primam sensibilem, secundam rationalem, & tertiam fidei: & quantùm ad notitiam sensitivam, fatentur omnes quòd sicut sensus nostri magis percipiunt malum pœnæ ut potè sensibile, quàm malum culpæ, ut potè spirituale; ideò dolor qui est in sensibus nostris est major de malo pœnæ, quàm de malo culpæ, saltem regulariter loquendo, nisi ex speciali Dei gratia ab ipsa mente nostra redundet in sensus nostros intensior apprehensio, & dolor de peccatis nostris, quàm de quibuslibet aliis malis. Cognitio etiam rationalis secundùm se sumpta magis apprehendit malum pœnæ, quàm malum culpæ, quia multiplex malum pœnæ est magis connaturale, vel potiùs magis contrapositum naturæ quàm malum culpæ, quod est veluti supernaturale, sivè contrapositum ordini supernaturali: unde etiam per rationem magis connaturaliter cognoscimus malum pœnæ, quàm culpæ: & quia intensio doloris proportionatur connaturalitati cognitionis, idcircò regulariter loquendo tam in parte superiori, quàm in inferiori, magis intensivè dolemus de malo pœnæ, quàm de malo culpæ, nisi ex speciali privilegio redundet è lumine fidei in nostram rationem major notitia, & magis connaturalis, ac veluti experimentalis de malo culpæ, quàm de malo pœnæ. Tertia tandem notitia, quam dat fides, est omninò supernaturalis: juxta quam non regulatur fervor, & intensio doloris, sed potiùs ejus appretiatio. Undè semper in homine fideli debet esse major appretiativé dolor de peccatis, quàm de aliis malis, sed non est necesse quòd sit semper major intensivé nec in sensu, nec in mente propter rationes jam dictas.

Objicitur 5. Natura, & conditio hominis non potest ferre, quód contritio sit dolor major etiam appre-

tiativè : ergo nulla solutio. Probatur antecedens : Ut dolor sit major appretiativè, deberet homo esse in tali præparatione animi, ut vellet potiùs subire quodlibet malum pœnæ, quàm committere de novo aliquod vel minimum malum culpæ, saltem mortalis, ita ut non sit vera contritio, si peccator non sit paratus potiùs mori, & quamlibet ignominiam subire, & permittere coram oculis suis interfici, suum patrem, & matrem, &c. immò potiùs subire ipsas pœnas inferni, solâ seclusâ culpâ, quàm peccare mortaliter: si talis præparatio ad veram contritionem requiritur, paucissimi ex pœnitentibus erunt verè contriti, cum paucissimi appareant ita dispositi.

Respondeo, quòd nunquàm Confessarius debet suis pœnitentibus particularizare istas comparationes : quia ut dicit D. Thomas, mala in particulari sumpta magis movent, quàm in communi considerata : undè confessario sufficere debet, quòd pœnitens protestetur se verè dolere de peccatis, nec velle ampliùs ob quamcumque causam mortaliter peccare. Quòd si pœnitentes ex se ipsis, & sponte sua particularizent ista, debet confessarius uti consilio sancti Francisci Salesij, remonstrando pœnitenti quòd non debet sperare talem animi præparationem ex viribus propriis, sed ex auxiliis Divinæ gratiæ; & quòd debet etiam confidere in divina bonitate, & misericordia, quòd postulando hujusmodi auxilia, ea impetrabit ; & quæcumque occasio se se offerre possit, gratia fortior erit infirmitate sua ad quamcumque difficultatem superandam, & vitandum quodlibet mortale peccatum.

ARTICULUS III.

Utrùm debeat peccator magis dolere de majori peccato : an etiam de singulis peccatis suis.

Conclusio : sufficit major dolor appretiativè de majori peccato, nec requiritur major intensivè :

sufficit etiam contritio de omnibus peccatis mortalibus in communi, nec exigitur de quolibet in particulari in hoc sensu, ut tot sint contritiones, quot peccata. Ita communiter tam Thomistæ, quàm alij Theologi.

Probatur prima pars, & infertur vel potiùs constat ex dictis supra: sicut enim diximus hominem sæpiùs ita esse ex natura sua comparatum, ut magis apprehendat malum pœnæ, quàm malum culpæ, & ideò divina providentia non exigit, quòd dolor de malo culpæ sit major intensivè, quàm dolor de malo pœnæ, sed sufficit esse majorem appretiativè: Ita quia sæpiùs homo magis apprehendit aliquod malum culpæ quamvis minus de se, quàm aliud de se majus: v. g. vir nobilis commisit duo peccata mortalia, alterum blasphemiæ, alterum furti; quamvis sit indubitatum quòd blasphemia est longè majus peccatum furto, nihilominùs existimans vir nobilis furtum esse magis indignum nobilitate sua, ipsum naturaliter magis apprehendit. Consequenter divina Providentia non exigit de majori peccato majorem dolorem intensivè, sed tantùm appretiativè, ita ut quilibet sit paratus ex suppositione impossibili quòd alterutrum ex duobus peccatis foret inevitabile, paratus sit, inquam, vitare majus peccatum potiùs, quàm minus peccatum.

Probatur 2. pars, & infertur, vel potiùs constat ex dictis:]Præceptum contritionis non est majus, quàm præceptum confessionis, utrumque enim est affirmativum, & utrumque necessarium ad remissionem peccatorum: sed unico actu confessionis potest quis confiteri multa peccata mortalia, verbi gratia dicendo, centies dixi mendacium: ergo similiter unico actu contritionis potest dolere simul ac semel de pluribus peccatis mortalibus: immò quamvis confessio de peccatis mortalibus nequeat semper fieri per unicum actum confessionis, sed plures actus sint necessarij propter diversitatem specificam peccatorum, quæ simul ac semel exprimi nequit, semper tamen unico actu contritionis potest quilibet peccator dolere de omnibus

omninó peccatis quantumvis specie diversis: & ideò semper sufficit unicus doloris actus pro omnibus peccatis, quamvis optimum sit consilium ut quis actus illos multiplicet, quantùm potest.

Obijcitur, contra secundam partem, authoritas D. Thomæ 3. parte, quæstione 87. articulo primo, in corpore: ubi ait: *Ad remissionẽ peccatorum mortalium esse necessarium quòd homo adhibeat diligentiam ad rememorandum singula peccata, ut singula detestetur:* Idemque videtur asserere in pluribus aliis locis, quód nempe juxta singula peccata, debent esse singulæ contritiones.

Respondeo ex eodem angelico Doctore, in supplemento, quæst 1. art. 6. in corpore: ubi ait: *Contritio potest dupliciter considerari, scilicet quantùm ad sui principium, & quantùm ad terminum: & dico principium contritionis esse cogitationem, qua quis cogitat de peccato, & dolet si non dolore contritionis saltem dolore attritionis: terminus autem contritionis est quando dolor ille iam gratiâ informatur, quantùm ergo ad principium contritionis oportet quòd de singulis peccatis, quæ quis habet in memoria, conteratur, sed quantùm ad terminum sufficit quòd sit una communis; tunc enim ille motus agit in vi omnium præcedentium dispositionũ.* Hucusque D. Thomas ex quibus habemus, quód requiritur quidem ad sufficiens examen conscientiæ, ut de singulis peccatis cogitemus, quantùm possumus, sed postmodùm sufficit unicum pro illis omnibus actum contritionis elicere.

Regula etiam generalis dari potest pro his omnibus testimoniis, quòd nempé contritio potest esse communis dupliciter, vel nominaliter, vel adverbialiter: contritio generalis nominaliter fertur solùm ad rationem communem peccati mortalis, abstrahendo à particularibus peccatis quia hoc nomen adjectivum, universale, vel etiam substantivum significat naturam universalem sic abstractam à suis individuis: sed contritio generalis adverbialiter fertur ad omnia peccata particularia simul ac semel sumpta, quia illud adverbium universaliter sonat aggregatum ex

omnibus individuis simul sumptis : Dicimus ergò non sufficere contritionem generalem nominaliter, sivè quæ fertur solùm contra naturam universalem peccati mortalis, sufficere tamen contritionem generalem adverbialiter, sivè quæ fertur universaliter contra omnia peccata particularia, sivè contra totam eorum aggregationem, hoc enim est conteri de singulis peccatis, non quidem divisivè, sed collectivè sumptis.

ARTICULUS IV.

In quo consistat essentia Contritionis.

Conclusio : Contritio est displicentia, & dolor de peccatis propter Deum summè dilectum, cum proposito non peccandi imposterùm, & satisfaciendi pro peccato.

Probatur, & explicatur conclusio, in qua nedùm definitio, sed etiam descriptio contritionis continetur. Dicimus igitur quòd displicentia de peccatis est essentia contritionis, sicut docet Caietanus cum aliquibus aliis Thomistis, contra alios Thomistas, & Theologos, qui essentiam contritionis ponunt in dolore. Ratio autem hujus est, quia essentia est primum in re, & radix cæterorum : primum autem quod invenitur in contritione, est displicentia de peccatis, ex qua oritur dolor de ipsis cum proposito abstinendi imposterum à peccato, & pro ipso satisfaciendi : Ergo talis displicentia est essentia contritionis. Major est certa secundùm omnes Philosophos. Minor probatur : Ideò dolemus de aliquo objecto, quia nobis displicet, & ideò proponimus reparare illud, & quidquid fecimus, quia nobis displicet, & de ipso dolemus : Ergo displicentia, & detestatio peccatorum est essentia contritionis, dolor verò de peccatis, & hujusmodi propositum non sunt nisi proprietates.

Objicitur 1. Si foret vera conclusio, daretur contritio in Beatis : Falsum consequens : Ergo & antecedens. Probatur sequela: Ubi est essentia rei, ibi est ipsa res : Sed Beatis maximè displicent omnia peccata, & ipsi maximè detestantur ea : Ergo si in tali displicen-

tia, & deteſtatione conſiſteret eſſentia contritionis, hujuſmodi eſſentia ac proindè contritio ipſa foret in Beatis, quod eſt contra omnes Theologos.

Reſpondeo quòd contritio nedùm nominat eſſentiam ſed etiam hujuſmodi proprietatem, ſivè nedùm diſplicentiam de peccatis, ſed etiam dolorem de ipſis: Et quia in Beatis licèt ſit maxima de peccatis diſplicentia, nullus tamen eſt dolor, ideò communiter dicitur, quòd non eſt in ipſis contritio. Et ratio hujus eſt, quia contritio dicitur à perfecta ſeparatione omnium partium rei, quæ conteritur: & quia illa diviſio, & ſeparatio fit præſertim per dolorem, ideò contritio dolorem illum præſertim ſignificat: Illa tamen diſplicentia, quæ eſt contritionis eſſentia, reperitur in Beatis: Et hæc eſt ratio, propter quam Divus Thomas aſſerit pœnitentiam remanere in Beatis, quamvis non remaneat in eis neque Fides, neque Spes: quia id quòd eſt formaliſſimum in Poenitentia, ſivè quòd eſt eſſentia contritionis, remanet in Beatis, non autem id quod eſt formale, & eſſentiale in ipſa Fide, aut Spe, ut dicitur in tractatu de virtutibus Theologicis.

Objicitur 2. Poteſt ſubſiſtere ſacramentum Poenitentiæ ſine propoſito ſatisfactionis: Ergo tale propoſitum nec eſt eſſentia, nec proprietas contritionis. Conſequentia patet: quia nihil poteſt ſine eſſentia, & proprietate ſubſiſtere: Antecedens probatur: quia ſatiſfactio non eſt niſi de integritate ſacramenti Pœnitentiæ, ut diximus initio tractatûs: Sed ſine parte integrali res ſubſiſtere poteſt: Ergo etiam Pœnitentia ſine ſatisfactione.

Reſpondeo, aliud eſt quòd ſacramentum Poenitentiæ poſſit ſine ſatisfactione ſubſiſtere, & aliud quòd poſſit ſubſiſtere ſine propoſito ſatisfaciendi: fatemur quidem verum Pœnitentiæ ſacramentum dari poſſe ſine actuali ſatisfactione, quæ non eſt niſi de integritate ipſius: ſed negamus poſſe ſubſiſtere, ſine propoſito ſatisfaciendi; quia re vera non eſſet contritus de peccatis, qui non proponeret ſatisfacere de ipſis, ut magis dicemus agendo de ſatisfactione.



QUÆSTIO V.

De Confessione.

QUamvis plura de Contritione dici possent; quia tamen ad eorum intelligentiam sola lectio sufficit, videri poterunt in Morali Theologia D. Thomæ: Similiter de Confessione explicabimus ea, quæ aliquam difficultatem continent, aliis brevitatis gratia prætermissis.

Confiteri dicitur quasi cum altero fateri aliquid alteri: undè juxtà varios modos quibus possumus aliquid fateri aliis, variè sumitur Confessio: Et primò quidem pro ipsa Fidei Confessione, quâ ore protestamur fidem, quam tenemus in corde, juxta illud Christi Domini, *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor ego eum coram Patre meo.* Secundò sumitur pro publicatione beneficiorum, quæ fatemur nos ab aliis recepisse, vel pro laude, quam ipsi benefactori damus fatendo beneficia ab ipso recepta: in hoc sensu Christus etiam ait, *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis*: Sic etiam Psalmista omnes creaturas invitat ad laudandum Deum pro beneficiis ab ipso receptis, dum ait, *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua.* Tertiò sumitur pro confessione criminum per modum puri judicii, qualis fit in foro externo: Et tandem pro Confessione peccatorum per modum judicii, & remedii, qualis fit in foro interno conscientiæ. De Confessione in hac ultima acceptione agimus in præsenti.

ARTICULUS I.

Utrùm confeßio sit utilis, & neceßaria, & à Christo Domino instituta.

Hæretici hujus temporis negant Confessionem fuisse à Christo Domino institutam, quamvis plures ex ipsis, & præsertim Calvinus, existiment eam utilem. Contra ipsos fuit expressè definitum in Concilio Tridentino, sessione 14. de sacramento Poenitentiæ, capite 5. ubi videri possunt plura omninò egregia ad propositum.

Conclusio: Confessio Sacramentalis est valdè utilis Ecclesiæ: immò omninò necessaria utpotè à Christo Domino instituta saltem virtualiter, & implicitè.

Probatur prima pars pluribus convenientiis, quas insinuabo tantùm; videri enim possunt apud concionatores præsertim Lanuža in Homilia de confessione: primò quia confessio est conformis juri naturæ, instinctu enim naturali unusquisque amicum querit, à quo solatium recipere possit, quando aliquid gravat mentem ipsius: nihil autem est quod magis gravet, vel saltem gravare debeat conscientiam, quàm mortale peccatum. Igitur confessarius tanquàm fidelissimus amicus quærendus est, cui fiat confessio omnium mortaliũ peccatorum, ut ab ipso solatium recipi possit. Secundò, Nemò judex in propria causa, ut fert commune proverbium, quia amor proprius faceret, ut unusquisque in favorem suum judicaret: Si igitur nos soli judices essemus an sufficientem de peccatis nostris poenitentiam egerimus, semper suspicari possemus, quòd amore proprio seducti in favorem nostrum judicavissemus; & sic daretur maxima occasio scrupulis: igitur ad vitandos scrupulos, & ad habendam moralem certitudinem de sufficienti poenitentia, alterius judicio stare debemus, proindeque ipsi facere confessionem peccatorum, ut sententiam ferre possit: Similiter nullus potest esse medicns in suo morbo: undè oportet quod medici dum ægrotant, medicamenta recipiant juxta præscriptum aliorum medicorum, quia passio

tuius morbi faceret quòd venenum pro remedio sumeretur: Ergo similiter in morbis spiritualibus sivè peccatis, nullus potest esse sibi medicus, sed oportet ad alium recurrere, ipsique morbos, sivè peccata, per confessionem exponere, & præscriptum ab eo remedium acceptare. Quarto, per Confessionem retrahuntur homines à peccatis: à peccatis quidem nondum commissis prævidendo verecundiam quam habebunt in ipsorum confessione: à peccatis verò iam commissis ne ipsa reiterent, removentur per bona consilia, instructiones, & exhortationes Confessarii: Undè noster Dominicus Soto in 4. sententiarum, distinctione 18. quæstione 1. articulo 1. refert, quòd dum esset in Curia Imperatoris Caroli V. cujus fuit Confessarius, Respublica Norimbergensis misit Legatos ad Imperatorem supplicantes ipsi, ut iure Imperatorio Confessionem auricularem præciperet, quia experti fuerant ab eo tempore, quo cessaverat in eorum Republica, abundare vitia omnia contra iustitiam aliasque virtutes. Hæc tamen legatio risu excepta fuit, dicente Imperatore, quòd cum Hæretici, quamvis iure Divino obligati, confessionem facere nollent, multò minùs eam facerent obligati solummodò iure humano.

Probatur 2. pars eadem ratione, quâ supra usi sumus probando Sacramentum Poenitentiæ contra eosdem Hæreticos. Christus dedit Apostolis, & in eorum persona Sacerdotibus, claves regni coelorum, ut ipsum aperirent, vel clauderent per absolutionem, vel denegationem absolutionis: dedit etiam potestatem remittendi, vel retinendi peccata, absolvendi, vel ligandi; ita ut ratum haberetur in cœlis, quidquid ab ipsis fieret in terris: Sed hæc omnia verificari non possunt iuxta Hæreticos, sed tantùm iuxta Catholicos admittentes Confessionem peccatorum: Ergo necessitas hujus Confessionis sufficienter colligitur ex verbis Christi. Minor probatur: quia iuxta Hæreticos nec requiritur confessio peccatorum, nec proindè absolutio à peccatis ipsis, sed sufficit pœnitentia interior, quam facit peccator coram Deo: Sed Sacerdotes impedire non possunt, quin aliquis interiùs coram Deo pœniteat, & confiteatur peccata sua, & fidem suam

excitet: Ergo sacerdotes nullam potestatem habent remittendi, vel retinendi peccata, si vera foret hæreticorum opinio. Hæc autem omnia optimè verificantur juxta Catholicos: nam cum necessaria sit juxta ipsos Confessio peccatorum facta Sacerdoti, & absolutio ejusdem Sacerdotis ad remissionem peccatorum; si sacerdos audita Confessione judicat pœnitentem sufficienter dispositum, confert ei beneficium absolutionis, & ita remittit ei peccata, & aperit ipsi regnum cœlorum: si verò tali confessione audita, judicat non esse sufficienter dispositum, denegat ei absolutionem, & ita retinet ejus peccata, & claudit regnum cœlorum.

Respondent Hæretici primò Christum dedisse Apostolis, & sacerdotibus claves regni cœlorum, & potestatem remittendi peccata per annunciationem Evangelij, non autem per aliquam authoritatem. Sed hæc respōsio statis refutata fuit loco citato. Videatur.

Respondent 2. Quòd si aliqua authoritas collata fuisset Ecclesiæ in hujusmodi institutione, salvaretur sufficienter per hoc quòd Ecclesia potest subditos suos excommunicare propter peccata publica, & quòd tenētur eius subditi humiliter fateri illa crimina, ut ab excōmunicatione absolvātur; sed nihil infertur circa necessitatē cōfessionis de peccatis secretis & soli Deo notis.

Sed contra: Quia Christus dedit Apostolis, & sacerdotibus claves regni cœlorum, & authoritatem remittendi omnia crimina, quæ claudunt januam regni cœlorum: sed omne mortale peccatum quantumvis secretum, & soli Deo notum, claudit januam regni cœlorum: ut nemo dubitat: Ergo sacerdotes ratione Clavium & potestatis remittendi peccata, debent exercere judicium super omnia prorsus peccata mortalia tam secreta, quàm publica. Si igitur Confessio fieri debet sacerdoti, ut judicare possit, sequitur necessariam esse confessionem de omnibus peccatis mortalibus tam secretis, quam publicis.

Hanc rationem clarissimè insinuat D. Augustinus in libro quinquaginta Homiliarum, Homilia 49. vbi sic loquitur, *Agite pænitentiā qualis agitur in Ecclesia Dei; nemo sibi dicat, occultè ago apud Deum;*

agnovit Deus qui mihi ignoscit, quia in corde ago: Ergo sine causa dictum est: Quæ solveritis in terra, soluta erunt in Cœlo: Ergo sine causa sunt claves datæ Ecclesiæ: frustramus Evangelium; frustramus verbum Dei. Quibus egregiis verbis D. Augustinus nedum Catholicam sententiam docet, sed etiam ipsius rationem affert, & prævenit Hæreticorum responsionem, qui nihil aliud ad hoc testimonium dicere possunt, quàm hujusmodi librum non esse Divi Augustini: Sed quòd verè sit ipsius Augustini liber, patet tum quia recensetur à Possidonio inter opera hujus sancti Doctoris, & similiter à Venerabili Beda, & à pluribus aliis indubitatæ authoritatis, & fidei: præter quàm quòd Augustini stylus ubique unus eruditis auribus, & ingeniis, testimoniũ de se perhibet eloquentissimũ, & profundũ.

Probatur 2. eadem secunda pars, pluribus figuris, quæ fusè explicari possent; sed duas ex ipsis breviter insinuare sufficiat. Prima est in ipsis primis parentibus, qui postquam à statu innocentiæ ceciderunt per peccatum originale, licet de suo peccato dolerent interiùs, noluit tamen Deus eos absolvere, quin priùs fecissent exteriorem peccatorum confessionem, ut singillatim habetur in Scriptura. Quæ figura denotat quòd aliquando in statu legis gratiæ ut potè legis perfectæ, concedenda quidem erat absolutio à peccatis, sed tamen præmittenda erat eorum confessio: Et sicut Deus non in propria natura, sed in specie Angeli, vel Hominis, apparuit primis parentibus, vt ipsi confiterentur, & eos absolveret: Ita in statu legis gratiæ ab ipso Deo in persona sacerdotis, qui nedùm homo, sed Angelus in scripturis nuncupatur, sivè ab ipso sacerdote tenente locum ipsius Dei, absolvendi erãt pœnitentes, dummodò priùs confiterentur, peccata sua. Altera figura est desumpta ex veteri lege, Judæis enim omnia in figuris contingebant: Habetur fusè in Scriptura, quòd tunc pœnitentes accedebant, ad sacerdotes, quibus confitebantur peccata sua, & ipsi sacerdotes varia pro eis offerebãt sacrificia, & licèt hujusmodi confessio non fieret nisi de peccatis in cõmuni, vel de peccatis in particulari sed publicis erat tamẽ figura

Confessionis, quæ modò fit Sacerdotibus tam de peccatis secretis, quam de publicis, tam in particulari, quàm in communi, eo quòd omnia quæ concernunt legem veterem, erant imperfecta respectivè ad ea quæ concernunt legem novam, & sunt omninò perfecta: Illa igitur confessio imperfecta, & in communi, erat figura Confessionis, quæ fit modò in Ecclesia, & quæ perfecta est, & fit de omnibus peccatis in particulari.

Objicitur 1. factum Nectarii Patriarchæ Constantinopolitani, qui dicitur abrogasse usum Confessionis propter scandalum, quod exortum fuerat ex eo quòd aliquis Sacerdos enorme peccatum cujusdam pœnitentis coram toto populo declaraverat: Sed si Confessio foret de jure divino, non posset ab hominibus abrogari: Ergo non est instituta à Christo. Hanc autem Historiam referunt Socrates libro 5. Historiæ Ecclesiasticæ, capite 19. & Sozomenus libro 6. capite 16.

Respondeo, omissis pluribus, quæ circa prædictam Historiam dici possunt, quod tempore Nectarii introducta fuerat in Ecclesiam Constantinopolitanam quædam consuetudo, quæ sæpiùs erat occasio scandali, & seditionis, ut constat ex prædictis authoribus Historiæ Ecclesiasticæ; nimirùm præter Confessionem secretam, & Sacramentalem, fiebat confessio quædam publica coram populo, vel ab ipso pœnitente, vel etiam ab ipso Sacerdote, quando judicabat peccatum pœnitentis licet aliundè foret occultum, esse tamen publicandum, & publicam ipsi pœnitentiam esse iniungendam ad aliorum exemplum: Et quia contigit ex imprudentia alicujus Sacerdotis peccatum grave sed secretum quod poenitens confitebatur ipsi Sacerdoti, ab eodem Sacerdote fuisse publicatum coram omnibus; undè magna seditio exorta est in Urbe: & ideò prædictus Patriarcha consuetudinem illam publicandi Confessionem abrogavit; sed nunquàm legitur abrogasse Confessionem secretam, & Sacramentalem soli sacerdoti factam, ex qua nec scandalum, nec seditio suboriri potest, ut per se constat.

Objicitur 2. & instatur contra præcedentem solutionem: *Divus* Joannes Chrysostomus, qui fuit successor prædicti Nectarii, pluribus in locis negat necessi-

tatem Confeſſionis etiam ſecretæ, & Sacramentalis, ac factæ Sacerdotibus: Ergo ſignum eſt, quòd ipſius prædeceſſor iſtam Confeſſinem abrogavit. Probari poſſet antecedens pluribus teſtimoniis ejuſdem Divi Chryſoſtomi, ſed hæc duo ſufficiant: Homilia 2. in Pſalmum 50. ait *Peccata tua dicito, ut deleas: ſi confunderis alicui dicere, dicito quotidie ea in animo tua.* Et ibidem ait, *Non dico ut confitearis cum ſervo, ut exprobret; dicito Deo, qui curat peccata.* Ex quibus habetur, quòd ſufficit ſola Confeſſio interior facta ipſi Deo, & quòd nullatenùs eſt neceſſaria exterior facta Sacerdoti.

Reſpondeo, & eſt Regula generalis, Divum Chryſoſtomum loqui de Confeſſione publica facta coram omnibus, non autem de Confeſſione ſecreta facta Sacerdotibus: Cùm enim eſſet ſucceſſor Nectarii, volui obſervare leges ipſius, rejiciendo Confeſſionem illam publicam, retinendo tamen ſecretam, & Sacramentalem, quod patet ex eo quòd loco citato, & in aliis locis, ubi hanc materiam tractat ait ſæpiſſimè, quod non vult ut aliquis *in publicum procedat, in theatrum aſcendat, coram omnibus confiteatur*, & alia ſimilia, quæ concernunt publicam Confeſſionem, non autem ſecretam, & Sacramentalem.

Sed ut nullus ſuperſit ſcrupulus circa mentem Divi Chryſoſtomi, ſufficit referre id quòd habet in libro 3. de Sacerdotio, ubi ait, *Pater omnifariam Filio poteſtatem dedit: Cæterùm video ipſam eamdem omnifariam poteſtatem à Filio Sacerdotibus traditam, ut ſicut ipſe abſolvit à peccatis, ita ipſi ab eis abſolvant.* Et ibidem ſic iterùm loquitur de Sacerdotibus: *Corporis lepram purgare, ſeu veriùs dicam, non purgare quidem, ſed purgatos probare ſolis Sacerdotibus Iudæorum licebat: at verò noſtris Sacerdotibus non corporis lepram, ſed animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed prorſus purgare conceſſum eſt.* Quibus verbis manifeſtè docet, quòd ſicut Chriſtus nedum declarat peccata eſſe remiſſa, ſed ea verè remittit: ita Sacerdotes per poteſtatem in ipſos à Chriſto derivatam nedùm declarant

peccata nobis esse remissa, sed ea verè remittunt, quando pœnitentes absolvunt, ita ut hæc sit differentia inter Sacerdotes veteris, & novæ legis, quòd in veteri lege Sacerdotes solummodò discernebant leprā corporis, sed ab ea non sanabant: in nova autem lege sacerdotes & discernunt lepram animæ, & ab ea sanant, sivè à mortali peccato re vera absolvunt eos, quos judicant verè poenitentes: propterea idem Chrysostomus in illis libris de sacerdotio mirum in modū extollit dignitatē sacerdotū, ut ibi videri potest.

Objicitur 3. Divus Augustinus libro 11. Confessionum, cap. 10. ait, *Quid mihi est cum hominibus, ut audiant confeßionem meam, quasi sanaturi sint languores meos? Curiosum genus hominum ad cognoscendum aliorum vitam, desidiosum ad corrigendum suam.* Ex quibus verbis satis constat Divum Augustinum existimare nec esse necessariam, nec utilem Confessionem.

Respondeo, & est Regula generalis, quòd in suis confessionibus manifestavit Divus Augustinus omnia peccata quæ ante Baptismum commiserat, quia post baptismum suum non legitur commisisse aliquod mortale peccatum: fatemur autem non esse necessarium confiteri peccata ante Baptismum commissa; fatemur quòd sacerdotes non possunt ab hujusmodi peccatis absolvere fatemur quòd esset curiositas, si vellent ea scire: sed hoc negamus de peccatis post Baptismum commissis: Immò etiam confessio aliorum peccatorum, quæ ante Baptismum commissa sunt, nedùm secreta, sed etiam publica, utilis esse potest, si nempè eo animo fiat, quo eam fecit D. Augustinus, scilicet ad sui humiliationem, & ad divinæ Bonitatis: & Misericordiæ manifestationem. Et ut non supersit scrupulus circa mentem D. Augustini, sufficit authoritas relata pro nostra conclusione: Cui addo alteram ejusdem sancti Doctoris ex eodem libro quinquaginta Homiliarum, Homilia 41. ubi loquens de peccatore, qui differt pœnitentiam usque ad finem vitæ, ait, *Si ad ultimum vitæ steterit, nescit si ipsam pœnitentiam accipere, ac Deo, & Sacerdoti peccata sua confiteri poterit*; Ex quibus verbis manifestum est quòd Augusti-

nus exiſtimat confeſſionem Sacerdoti factam eſſe ad ſalutem neceſſariam.

Ratio autem diſcriminis propter quam peccata poſt Baptiſmum commiſſa non ſunt confitenda, benè tamen peccata poſt baptiſmum commiſſa, eſt, quia Pœnitentia eſt Sacramentum quod adminiſtrari debet per modum judicii, ut ſæpius diximus: judex autem non judicat niſi eos, ſuper quos habet juriſdictionem, nec ipſos judicat niſi de operibus, quæ ab ipſis facta ſunt eo tempore, quo ſubſunt juriſdictioni ejus: Et quia per Baptiſmum unuſquiſque redditur ſubditus Eccleſiæ ideò Eccleſia non habet juriſdictionem in eos qui non ſunt baptizati, ſed tantùm in baptizatos, ac proinde claves Eccleſiæ non ſe extendunt ad peccata ante Baptiſmum commiſſa, ſed tantùm ad ea, quæ poſt Baptiſmum commiſſa ſunt.

Objicitur 4. authoritas D. Ambroſii lib. 10. in Lucã capite 96. ubi de Divo Petro ait, *Petrus doluit & flevit, quia ut homo erravit: non invenio quid dixerit, invenio quod flevit*: Ergo ex mente Divi Ambroſii ſola contritio ſine confeſſione ſufficit ad remiſſionem peccatorum.

Reſpondeo, & eſt 4. Regula generalis Divum Ambroſium loqui de remiſſione peccatorum facta à Chriſto Domino, qui obtinuit gratiam Divo Petro ipſum reſpiciendo, non autem de remiſſione peccatorum facta à Sacerdotibus: fatemur autem quod Chriſtus Dominus peccata remiſit ſine prævia Confeſſione, quia ut diximus initio hujus tractatus, queſt..... articulo conveniens quidem erat quòd Chriſtus inſtitueret Sacramenta, quibus mediantibus Sacerdotes cooperarentur ad juſtificationem peccatorum eorumque ſalutem, ſed non erat conveniens quòd ipſe uteretur hujuſmodi Sacramentis ad eamdem juſtificationem: Immò ut oſtenderet ſe eſſe independentem à Sacramentis debuit immediatè per ſe gratiam conferre. Sed negamus quòd ita ſe gerere debeant Sacerdotes, quia dependent à Sacramentis tanquàm inſtrumentis divinæ gratiæ, & à diſpoſitionibus prærequiſitis ex parte pœnitentiũ, ſcilicet debita confeſſione peccatorũ. Et ne ſuperſit ſcrupulus circa mentẽ D. Ambroſii, ſufficit videre Epiſtolã ejus ad Honoratum, ubi ait,

contingere aliquando aliquos credere in Christum, & desiderare Confeßionem, & nihilominus quia non habent Sacerdotem, cui confiteantur, perire in æternum. Constat igitur Sanctum Doctorem existimare Confessionem factam Sacerdoti esse necessariam ad salutem æternam: Ille autem casus de quo loquitur, est quando aliquis non habet contritionem, sed tantùm attritionem de peccatis suis: tunc enim licèt desideret confiteri, & habeat Sacramentum Pœnitentiæ in voto, si tamen de facto non confitetur: & non suscipit hoc Sacramentum in re, non salvatur, ut etiam nos supra ostendimus.

Objicitur 5. authoritas Divi Hieronymi exponentis illud Matthæi 16. *Quodcumque solveritis* &c. *hunc locum*, inquit *quidam non intelligentes aliquid sibi sumunt de supercilio Pharisæorum, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur, cum apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur,*

Respondeo, quòd satis constat, & est 5. Regula generalis, Divum Hieronymum ibi non condemnare usum Sacramenti Pœnitentiæ, sed solummodò abusum: quia vult non posse sacerdotes indifferenter, & ad libitum quoscumque solvere, & ligare: si enim velint absolvere peccatorē indispositum, non propterea absolutus erit, & è contra si ex malitia nolint absolvere aliquem verè pœnitentem, non propterea desinet esse absolutus coram Deo: Sed non negat Divus Hieronymus quin sacerdotes verè ligent, aut absolvant pœnitentes si procedant juxta Christi institutionem, & juxta directionem clavium Ecclesiæ.

Et tandem ut evacuetur omnis scrupulus etiam circa mentem Divi Hieronymi, sicut & aliorum Sanctorum Patrum, sufficit advertere quòd sanctus Doctor nedùm nostram tradit doctrinam, sed etiam ex nostris duobus principiis eam infert, ex eo nempè quód Sacramentum pœnitentiæ est judicium, & remedium: Nam in Epistola ad Heliodorum de vita solitaria sic loquitur: *Absit ut de illis quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani su-*

mus

mus, qui claves Regni cœlorum habentes quodammodo ante diem Iudici iudicant. Et in caput 10. Ecclesiastici ait, *Si tacuerit, quem Diabolus peccati veneno infecit, & non egerit pœnitentiam, nec ulcus suum fratri, & magistro voluerit confiteri, magister qui linguam habet ad curandum facilè, ei prodesse non poterit: si enim erubescit ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina non curat.*

Objiciuntur ultimò aliqua inconvenientia. Primò cum difficilior sit confessio peccatorum in particulari, quàm in communi, & peccatorum occultorum, quàm publicorum tantùm, sequeretur legem novam in qua talis confessio particularis obligat, esse difficiliorem lege antiqua, in qua non obligabat, cum tamen lex nova dicatur per antonomasiam *lex gratiæ* propter suam facilitatem, & suavitatem.

Secundò, teneretur pœnitens se ipsum infamare apud sacerdotem, quod tamen est contra lumen naturæ dictans nobis, ut peccata occultemus quantùm possumus ita ut juxta D. Thomæ doctrinam non teneatur reus etiam à judice interrogatus fateri crimen suum, nisi præcesserit semiplena ipsius probatio.

Tertiò, sæpiùs contingit pœnitentes propter pudorem non confiteri omnia peccata sua: si igitur ad omnium confessionem obligarentur, sæpiùs committerent sacrilegium, cum deberent suscipere sacramentum.

Quartò, sacerdotes audiendo peccata secreta pœnitentium exponerentur pluribus tentationibus, & periculis eadem peccata committendi, vel etiam pejora: ita ut contingere posset quòd abuterentur hoc sacramento ad faciliùs perpetranda plurima crimina: ergo propter hæc, & alia similia inconvenientia, dicendum est nec esse necessariam, immò nec utilem confessionem.

Respondeo nullum ex hujusmodi inconvenientibus impedire necessitatem, aut utilitatem confessionis. Undè,

Ad primum, dico legem novam non vocari *legem gratiæ*, quasi omnia ipsius præcepta sint de se facilio-

ra, quàm præcepta legis antiquæ, sed quia datur abundantior gratia ad ea observanda: etenim ipsi Hæretici negare non possunt quin modò prohibeatur pluralitas uxorum, quæ antiquitùs permissa erat : similiter in antiqua lege licitus erat libellus repudij, qui tamen in lege nova non est licitus: igitur matrimonium, & fidelitas quam exiget, difficiliùs observari potest in lege nova, quàm in antiqua : quia tamen in sacramento matrimonij datur modò abundantior gratia, quàm tunc daretur, non desinit esse lex gratiæ: similiter lex gratiæ est, quamvis obliget ad confessionem longè difficiliorem, quia dat gratiam abundantiorem ad hujusmodi confessionem faciendam.

Ad secundum, dico pœnitentem in confessione sacramentali, utpotè auriculari, & secreta, & ad tantum obligante sigillum, quantum explicabitur postea, non se infamare, sicut nullus censet illum se infamare qui aliquod crimen occultum à se commissum revelat sub sigillo secreti naturalis alicui amico, vel viro prudenti ad petendum consilium, vel obtinendum auxilium: debet enim sacerdos se se gerere ut amicus pœnitentis, debet esse vir prudens, & audit confessiones non ut exprobret pœnitentibus, aut ipsis aliquomodo noceat, sed ut det ipsis consilium, & eos adjuvet ad salutem. Deindè quamvis esset ibi aliqua infamia, sicut tamen potest quilibet & quandoque etiam tenetur, & honorem, & vitam exponere pro defensione fidei, v exercitio aliarum virtutum; ita ut ipsa natura dictet minus bonum esse exponendum propter majus bonum: ita non est contra lumen naturæ, sed potiùs juxta ipsum quòd pœnitens patiatur aliqualem jacturam honoris sui apud sacerdotem, propter majora bona quæ consequitur ex confessione peccatorum suorum, ut jam ostendimus. Denique licèt ista iactura honoris non compensaretur per aliquod majus bonum, Christus tamen qui est absolutissimus Dominus & vitæ nostræ, & honoris, & bonorum omnium, potuit instituere hanc peccatorum confessionem cum tali jactura honoris; & conveniens fuit quòd eam institueret, quia talis jactura est aliqualis pœna ipsius peccati, quam exigit Deus transmutando pœnam æternam peccato mortal

debitam in hujusmodi pœnam temporalem, & alias similes.

Ad tertium, dico nihil esse tam sacrum, quod non vertatur in sacrilegium ex ipsa hominum malitia: non debuit tamen divina bonitas desistere ab institutione sacramentorum, sicut nec aliarum rerum, quibus homines abutuntur: quod ipsi hæretici fateri coguntur: quòd enim modò non permittatur pluralitas uxorum, nec libellus repudij, sed vinculum matrimonij sit indissolubile, & unius cum una; sumitur occasio adulterij, uxoricidij, & aliorum similium peccatorum: quia tamen hæc inconvenientia proveniunt ex malitia hominum, ita ut Deus ex parte sua det omnem gratiam sufficientem ad ipsa evitanda, ideò non desinit esse conveniens talis institutio sacramenti matrimonij: ita similiter cum pœnitens semper habeat omnem gratiam sufficientem ad ritè confitenda omnia peccata sua, & ex ipsius malitia, vel negligentia proveniat, quòd ea aliquando non confiteatur, & sacramentum convertat in sacrilegium. ideò non desinit propterea esse conveniens institutio hujus sacramenti Pœnitentiæ.

Ad quartum, similiter dico nunquàm deesse gratiam sufficientem ipsi sacerdoti ad vitandas, vel saltem superandas omnes tentationes, quæ suboriri possunt audiendo confessiones, dummodò ad hoc munus non se ingerat sine necessitate, vel proximorum utilitate, vel superiorum suorum obedientia: nam si ex aliquo pravo fine velit munus istud obire, non est mirum si pluribus exponatur periculis, in quibus etiam aliquando pereat: sed hoc est per accidens, ex ipsa malitia, vel imprudentia sacerdotis, & non per se, sivè ex ipsa natura sacramenti Pœnitentiæ.

ARTICULUS II.

De Præcepto Confeßionis.

Advertendum est primò, quòd in cap *Omnis utriusque sexus*, de pœnitentiis, & remissionibus, præcipitur Confessio sub his verbis, *Omnis utriusque sexus*

fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Paschate Eucharistiæ sacramentum. Hæc verba iuris Canonici plures subministrant difficultates breviter resolvendas.

Advertendum est 2. circa probabilitatem, & securitatem opinionum innumeras esse authorum sententias: sed quia hanc difficillimam quæstionem, ac ferè inextricabilem suo iam loco explicavimus, idcircò sufficit in præsenti advertere quód summus Pontifex Alexander 7. in novissima Bulla prohibuit sub pœna excommunicationis sibi soli reservatæ, ne quis doceat, aut in praxim reducat propositiones quas ibi condemnat, inter quas ista reperitur quód opinio unius doctoris est probabilis, etiam si author fuerit modernus, modò à summo Pontifice non fuerit reprobata. Certum est ergo ad probabilitatem opinionis non sufficere authoritatem unius moderni authoris: quid autem requiratur, & sufficiat, vix explicari potest. Sed sit.

Regula generalis pro sequentibus conscientiæ casibus, quód quando dico opinionem aliquam esse verè probabilem, ac *verè tutam*, * possumus eam semper

* *Appositè dicit author* VERE TUTAM: *nam quód alias non possimus sequi in concursu opinionis probabilioris faventis legi, opinionem quam iudicamus minùs probabilem faventem libertati, Mercorus author basis, aperte docet; quamvis in nova editione in fine, per modum illationis, quippiam oppositum additum sit à quodam novo authore, ut a fide dignis didici, & ipse mihi ingenuè confessus est, subiicens rationem. Quod notatum volo, veritatis amore, absque invidiâ eorum qui oppositam viam sequentes, dicunt opinionem verè posse manere probabilem, & tutam in concursu probabilioris & tutioris.*

in conscienti

in conscientia sequi, ut ostenditur fusissimè in *nova Basi* Theologiæ moralis iuxta quartam impressionem. His suppositis.

Inferes primò; præceptum Confessionis obligare per se iure divino in articulo mortis; & per se iure Ecclesiastico semel in anno: per accidens autem in aliis casibus mox explicandis.

Prima pars probatur ex dictis: quia eadem est quantùm ad hoc ratio confessionis ac contritionis, cum semper confessio præsupponat contritionem: sed supra diximus contritionem per se loquendo, & quantùm est ex iure divino, non obligare nisi in articulo mortis: ergo idem dicendum est de confessione.

Secunda pars infertur ex ordine stabilito à divina providentia, ut nempè inferiora regantur per superiora: Deus enim etiam si posset potuisset solus omnes gubernare creaturas, voluit tamen sibi associare ut ita loquar, naturas superiores ad gubernandas inferiores. Et hæc est ratio propter quam Christus Dominus plurium præceptorum substantiam imposuit, sed circumstantias reliquit Ecclesiæ determinandas. Quamvis igitur præceptum confessionis quantùm ad substantiam sit de iure divino: nihilominùs quantum ad temporis circumstantiam, est de iure Ecclesiastico. Patet autem ex canone iam citato, quòd Ecclesia determinavit, ut confessio obliget semel in anno. Sed circa istam partem est difficultas, an ille annus sit Ecclesiasticus, vel solaris, vel Arithmeticus: & breviter dico, quòd cum favorabilia sint amplianda, potest pœnitens annum numerare, ut sibi placuerit: atque ita præcepto satisfacit, si quovis die confessus fuerit, ab eo incipiat annum numerare, computando duodecim menses.

Tertia pars infertur etiam ex dictis de contritione, quæ quamvis per se non obligat nisi in articulo mortis: per accidens tamen toties obligat, quoties debet esse homo in statu gratiæ: in quibus autem casibus debeat homo esse in statu gratiæ explicatum est supra: sufficit nunc dicere, quòd quando contritio non est perfecta, sed imperfecta tantùm, sivè attritio, tunc obli-

gat etiam confessio, quia ut supra docuimus, attritio sola non sufficit ad obtinendam gratiam, sed debet conjungi sacramento Pœnitentiæ.

Circa hoc advertendum est ad præveniendas plures objectiones, quòd contritio etiam perfecta debet includere votum confessionis, ut etiam supra diximus, sed non est necesse quòd sit votum confessionis statim faciendæ, sed solummodò eo tempore quo obligat, ita ut perfectè contritus justificetur, modò postea semel in anno sicut præcipit Ecclesia, confiteatur: in hac tamen regula generali una est exceptio, quòd etiamsi aliquis existimet se esse perfectè contritum, nihilominùs confiteri debet antequàm ad Eucharistiæ sacramentum accedat, si confessarii copiam habeat, ut magis declarabitur suo loco.

Inferes 2. Confessionem non obligare per se loquendo in quindena Paschatis, quamvis possit tunc obligare per accidens.

Probatur: quia ut constat ex jure citato, datur annus ad implendum confessionis præceptum, nec ulla pars anni determinatur: ergo potest pœnitens quamlibet anni partem eligere, ut præceptum impleat, quia verba legis tantùm obligant, quantùm sonant: sic verbi gratia poterit aliquis confiteri in festo Nativitatis, aut alio simili secundùm devotionem suam, & præcepto satisfaciet: quòd si postea in mortale peccatum inciderit, teneretur per accidens propter communionem iterùm confiteri in quindena Paschatis: si verò nullum mortale peccatum commiserit, tenebitur solùm præsentare se proprio sacerdoti, illique probare quòd præcepto confessionis satisfecit.

Oppositam sententiam docet Petrus Soto cum aliis quibusdam, quorum præcipuum fundamentum est, quòd consuetudo habet vim legis, præsertim quando est approbata ab Ecclesia; juxta commune axioma Theologiæ moralis: sed est consuetudo fidelium confiteri in quindena Paschatis, & hanc consuetudinem approbavit Concilium Tridentinum, sessione 14. cap. 3 de confessione: ergo

Respondeo, distinguendo duplicem consuetudinem

Alia eſt conſuetudo qua fideles faciunt aliquid ex devotione non autem ex obligatione; vel quia convenientius eſt, non quia ſit abſolutè neceſſarium; vel quia ad illud obligantur per accidens, licèt non obligentur per ſe: Alia qua faciunt aliquid, ad quod exiſtimant ſe obligari per ſe loquendo. Dicimus ergo quòd conſuetudo, qua fideles faciunt aliquid, ad quod exiſtimant ſe obligari per ſe loquẽdo, habet vim legis; non autẽ allia conſuetudo, qualis eſt iſta confitendi in quindena Paſchatis, hoc enim faciunt fideles ex devotione, & quia cum eo tempore ad communionem obligentur, per accidens etiam obligantur ad confeſſionem, & convenientius eſt eam facere tali tempore, & ſolummodò in hoc ſenſu approbata eſt hæc conſuetudo à Concilio Tridentino, quia approbatur ab ipſo ut pia, & laudabilis, ſicut videri poteſt loco citato. Hæc ergo diſtinctio duplicis conſuetudinis eſt regula generalis ad præveniendas obiectiones.

Inferes 3. Quòd fideles tenentur intra annum anticipare, vel ſupplere confeſſionem; non autem ante, vel poſt ipſum annum.

Probatur prima pars; quia ut diximus, datur annus pro implendo confeſſionis præcepto: ergo qui initio anni prævidet quòd reliquo anni tempore non poterit habere copiam Sacerdotis propter longam peregrinationem, aut navigationem, aut aliam ſimilem cauſam, tenetur confeſſionem anticipare: Et ſimiliter ſi in fine anni nondùm confeſſus fuerit propter aliquam ſimilem cauſam, tenetur confeſſionem ſupplere eo prorsùs modo, quo datur dies feſtus integer ad audiendam miſſam, vel officium recitandum, tenetur enim anticipare, vel ſupplere qui non potuit ante vel poſt audire ſacrum, vel recitare officium.

Secunda pars quamvis à pluribus Doctoribus reiiciatur, videtur tamen ſententia verè probabilis, ac verè tuta, quia eam docent plures graves authores, & inter alios ex noſtris Divus Antoninus, Silveſter, & Cano: Et ratio mihi videtur evidens; quia onus confeſſionis eſt onus anni ut ita loquar, ſicut officium eſt onus diei: ergo ſicut ante vel poſt aliquem diem non obligat recitatio officii, quod illi

dici correſpondet ; ita ante , vel poſt annum non obligat confeſſionis præceptum huic anno verbi gratia correſpondens.

Regula generalis ad ſolvendas objectiones , quæ contra hanc ſecundam partem fieri poſſunt , eſt diſtinctio duplicis oneris : aliud eſt enim onus perſonæ, aliud onus diei ſivè temporis : Onus perſonæ obligat quamdiu perſona ſubſiſtit, atque ita verbi gratia qui debet ſolvere centum nummos intra annum, tranſacto anno non eximitur ab obligatione , quia eſt onus perſonæ : Onus veró temporis ceſſat tranſacto tempore ; ſic onus recitandi officium ceſſat tranſacto die , & ſimiliter onus audiendi miſſam ceſſat tranſacto feſto : Onus autem confeſſionis non eſt onus perſonæ , niſi in articulo mortis ex iure Divino , ſed onus eſt temporis ex iure Eccleſiaſtico : undè tranſacto tempore , ceſſat obligatio ei correſpondens.

Inferes 4. Illum non obligari hoc Eccleſiæ præcepto, qui non habet niſi peccata venialia. Hanc opinionem exiſtimo verè probabilem , ac verè tutam, quia eam docent graves authores , & ex noſtris Caietanus , Paludanus , & Dominicus Soto , quamvis etiam oppoſitam doceant plures non minùs graves authores. Divus Thomas autem utramque approbat, ut videri poteſt in ſupplemento , quæſtione 9. articulo 3. ad 3.

Probatur : quia habetur in decretali quòd *omnia peccata* ſua debet pœnitens confiteri , quod de venialibus non poteſt intelligi , ut ait D. Thomas loco citato , quia nullus omnia confiteri poteſt. Dicitur etiam quòd confiteri debet *proprio ſacerdoti* , & tamen ſecundum omnes Theologos certum eſt quòd peccata venialia poſſumus cuilibet ſacerdoti confiteri ſivè proprio, ſivè alieno nulluſque obligatur ad confeſſionem venialium , ſed ſufficit , inquit D. Thomas ibidem, *Ad præceptum Eccleſiæ implendum , quòd ſe ſacerdoti repræſentet, & ſe oſtendat abſque conſcientia peccati mortalis ; & hoc ei pro confeſſione reputatur.* Ex quo etiam patet ſolutio ad objectiones.

Inferes 5. parvulos obligari præcepto annuæ confeſ-

fonis poftquam ad annos difcretionis pervenerint , fi aliquod mortale peccatum commiferint : ita omnes Doctores ; quamvis autem nofter Dominicus Soto pro oppofita fententia citari foleat,re vera tamen noftram fententiam docet , & folummodò ait quòd Ecclefia non vult cenfuris , aliifque pœnis cogere pueros ad obfervantiam hujus præcepti ante annum duodecimum , quamvis ante hoc tempus obligentur, ut videri poteft fuper 4.fententiarum, diftinctione 18. quæftione 1 .articulo 3.fub finem.

Probatur evidenter ex decretali citata : in qua expreſsè habetur quòd pueri debent confiteri poftquàm *Ad annos difcretionis pervenerint* : Non limitatur autem tempus , quia limitari non poteft : licèt enim regulariter loquendo annus feptimus fit primus annus difcretionis , aliqui tamen citiùs , aliqui tardiùs ufu rationis fruuntur. Cæterùm in præfenti notatu digniffimum eft , quòd licèt quandoque pueri occultent fe, & fi in aliquibus actionibus depræhendantur , erubefcant , hoc tamen non eft fignum univocum difcretionis boni à malo , fed æquivocum , quod poteft provenire à folo inftinctu naturæ , quandoquidem in brutis idem aliquando contingit , licèt non habeant ufum difcretionis , fed ferantur folo inftinctu naturæ : legitur enim de Elephantibus quòd ad generationem quærunt loca occulta, & fi ab homine depræhendantur,ftatim illum interficiunt.

Unicum argumentum obiici poteft , quòd in Decretali præcipitur communio , ficut & confeſſio : & tamen non ftatim obligantur pueri ad communionem, poftquàm ad annos difcretionis pervenerint : ergo nec obligari debent ad confeffionem.

Refpondeo , negando maiorem : nam ftatim poft verba initio articuli relata , fubditur in jure Canonico, *Nifi fortè de proprii facerdotis confilio ab aliquam rationabilem caufam ad tempus ab huiufmodi perceptione duxerit abftinendum* , ideft , à communione , quod tamen de confeſſione non dicitur : Spectat autem ad parentes puerorum , & directores confcientiæ eorum iudicare quando obligantur pueri fivè ad confeffionem , fivè ad communionem , atten-

tis circumstantiis locorum, temporum, & personarum.

Inferes 6. Neminem obligari ad confessionem nec jure Ecclesiastico, immò nec jure divino, quando non potest confiteri nisi per interpretem, vel per scripturam. Hanc opinionem existimo verè probabilem, ac verè tutam. Eam docet Sotus in 4. sententiarum, distinctione 18. quæstione 2. articulo 6. & pro sua sententia citat Scotum, Caietanum, & Paludanum; quibus adde Victoriam, & plures alios.

Probatur prima pars: quia in decretali dicitur, quòd solus debet confiteri peccata sacerdoti: non confiteretur autem solus, si interpretem adhiberet: similiter si adhiberet scripturam, non foret solus per se loquendo, quia quantùm est de se, scripta sunt publica, eo quòd potest pœnitens chartam perdere, potest etiam sacerdos eam auferre: ergo non obligatur ad scribendum peccata; & in hac parte facilè Doctores conveniunt. Sed multi improbant sententiam, quam tenemus in secunda parte, quòd nempè ad hoc non teneatur pœnitens etiam jure divino.

Probatur tamen: quia nedùm in præceptis Ecclesiæ favorabilia sunt amplianda, & odiosa, sivè onerosa restringenda; sed etiam in præceptis Christi Domini, cujus jugum suave est, & onus leve: Et ex hoc principio inferebamus in primo hujus quæstionis articulo, quòd Christus dederat potestatem sacerdotibus absolvendi ab omnibus peccatis etiam venialibus, sed non dederat potestatem retinendi nisi peccata mortalia, juxta communem Ecclesiæ doctrinam. Ergo favor confessionis, sivè ipsius utilitas ad omne genus confessionis extendi debet, sivè fiat voce, sivè scripto, sivè per solum pœnitentem, sivè per interpretem: Onus verò confessionis, sivè ipsius necessitas restringi debet ad solam confessionem, quæ fit voce vel formali, vel virtuali, quales sunt nutus, & quæ fit per solum pœnitentem ipsi sacerdoti. Adde quòd ut jam diximus, confessio facta per interpretem, est de se publica, vel publicabilis: docet autem Concilium Tridentinum, sessione 14. cap. 5. quòd Christus non præcepit confessionem publicam, quamvis eam non prohibuerit. Nec refert si dicas quòd etiam sacerdos, non minùs quàm

interpres ; poteſt confeſſionem publicare, ſivè ſcripta fuerit, ſivè ſola voce facta: etenim ut dicemus infra, non ceſſat præceptum Chriſti propter inconvenientia, quæ ſuboriri poſſunt ex ipſa natura hujus ſacramenti, ut quando ſolus pœnitens ſacerdoti vocaliter confitetur, benè tamen propter inconvenientia, quæ aliundè proveniunt, ut ſi fieret confeſſio per interpretem, vel per ſcripturam.

Regula generalis ad præcavenda inconvenientia, & præveniendas objectiones, eſt quòd quando pœnitens non poteſt confiteri niſi per interpretem, vel per ſcripturam, vel aliis audientibus præter ſacerdotem, tunc ipſi debet dicere quòd vellet eum ſolum alloqui poſſe ut confiteretur omnia peccata ſua: ſed cum hoc non poſſit, confitebitur quædam peccata venialia, ut præbeat materiam ſufficientem abſolutionis & ſi fuerit ſolummodò attritus, fiat contritus, ac recipiat gratiam, & ſalvetur: ſic enim non tam à confeſſione, quàm à confeſſionis integritate excuſabitur; ſicut etiam in quibuſdam aliis caſibus ab eadem confeſſionis integritate, non quidem formali, ſed materiali, excuſatur, ut inferiùs dicetur.

Inferes tandem quòd confeſſo debet fieri voce, quamvis ex juſta, & rationabili cauſa poſſit fieri ſcripto. *

Probatur ratione ex noſtro ſecundo principio deducta, quòd nempè omnia novæ legis ſacramenta ſunt inſtituta ad majorem Chriſti gloriam, ſivè ad manifeſtationem perfectionum ipſius: cum igitur Chriſtus ſit Verbum Incarnatum, neceſſe eſt quòd in ſacramentis verbo mentis jungatur verbum vocis, atque ita fiat verbum veluti incarnatum: & propterea meritò introducta eſt in Eccleſiam hæc conſuetudo confitendi vocaliter, ita ut ſub mortali obliget, niſi rationabilis cauſa excuſet, ut v.g. dum aliquis non poteſt ſe reſolvere ut ita loquar ad confitenda vocaliter peccata, tunc enim poteſt ea ſcribere, & chartam ſacerdoti offerre; teſtificando ipſi dolorem ſuum; ſic enim poterit recipere abſolutionis beneficium, juxta communem doctrinam.

Sacerdoti præſenti non autem abſenti quod olim reprobatum eſt à ſummo Pontifice Clemente 8. 1602. ut author ipſe notat inf. q.6. art. 2. circa finem.

ARTICULUS III.

An, & in quibus casibus possit Confessio esse valida & informis.

Advertendum est, quòd duplex est forma in Sacramento Penitentiæ: alia essentialis, & veluti substantialis, quæ est ipsa absolutio, ut dicemus in sequenti quæstione: altera accidentalis, & completiva, quæ est ipse effectus, & fructus Sacramenti, sivè gratia sacramentalis. Igitur Sacramentum non dicitur formatum, sed validum ex illa prima forma: tunc enim validum est, quando valet ipsa absolutio, licèt dum confertur, non detur gratia Sacramentalis, sed tantùm postea recedente fictione. Quando verò sacramentum Pœnitentiæ confert primam gratiam, tunc dicitur nedùm validum, sed etiam formatum. Quid sit autem fictio, & quomodo removeatur, & ipsâ remotâ, effectus sacramenti conferatur, satis ostendimus agendo de sacramentis in communi. Undè superest in præsenti examinare solummodò, an, & quando confessio, sivè sacramentum Pœnitentiæ, sit validum, non tamen formatum.

Aliqui ex modernis existimant in nullo prorsùs casu Sacramentum esse validum, quin sit etiam formatum. Thomistæ, & plures alii cum ipsis, admittunt aliquos casus, in quibus hoc potest contingere. Sed adhuc inter se divisi sunt: nam alij ex ipsis unicum tantùm casum admittunt, alii duos, & alii tres. De quibus dicemus in sequenti conclusione.

Conclusio. Tres sunt Casus, * in quibus sacramentum Pœnitentiæ est validum, & tamen informe. Primus est, quando bona fide credit pœnitens se fecisse sufficiens examen conscientiæ, quod tamen re vera non est sufficiens. Secundus, quando bona fide existimat se habere dolorem de peccatis supernaturalem, cum tamen re vera non habeat nisi naturalem, vel etiam re

* *intelligendi tamen iuxta inferiùs dicenda articulo 6. quando non est crassa negligentia aut ignorantia.*

ipsa dolorem nullum habet, qui sit verus dolor, quamvis ipsum verum existimet. Tertius est, quando dolor etiam supernaturalis est particularis tantùm, sed bona fide existimatur generalis.

Probatur I. Quia tunc confessio est valida, quando ponuntur omnia ad sacramenti substantiam requisita; & nihilominùs est informis, si non conferatur gratia sacramentalis: cum, enim gratia superveniat substantiæ sacramenti, se habet ad ipsam, sicut forma ad materiam, atque ita sacramentum cum ipsa dicitur formatum, & sine ipsa informe. Sed possunt dari tres casus, in quibus ponantur omnia ad substantiam sacramenti Pœnitentiæ requisita, & tamen non conferatur gratia: ergo in illis casibus potest confessio esse valida, & informis. Probatur minor exemplificando in tribus casibus. v.g. vir nobilis commisit duo peccata; alterum furti, & alterum duelli: primum existimat sibi ignominiosum, non autem secundum; unde etiam istius obliviscitur, illius verò recordatur, & dolet vehementer super tale peccatum furti, & cum isto dolore, qui etiam potest esse supernaturalis, accedit ad sacerdotem existimans se habere dolorem supernaturalem de omnibus peccatis suis, & facere id totum quod requiritur ad ritè suscipiendum sacramentum: confitetur: & absolvitur. Dico quòd tunc sacramentum Pœnitentiæ est validum, & nihilominùs non est formatum. Quòd sit validum, probatur: quia ponitur forma essentialis cum materia, nempè absolutio cum confessione: ergo ponitur essentia, ac veluti substantia sacramenti: sicut quando ponitur anima rationalis cum corpore, ponitur essentia, & substantia hominis: hoc autem est, sacramentum esse validum: ergo. Quòd tamen non sit formatum, probatur: quia dicitur sacramentum informe, quando deest gratia, quæ licèt sit accidentalis forma respectu sacramenti Pœnitentiæ, est tamen ultima, & completa ipsius forma. Sed in illo casu pœnitens non recipit gratiam: ergo. Probatur minor: quia gratia non recipitur, quando pœnitens non dolet generaliter de omnibus peccatis suis: sed iste non dolet generaliter, cum doleat propter motivum aliquod particulare vni peccato, & non

generale omnibus: quamvis enim vir nobilis existimet furtum sibi ignominiosum, imaginatur tamen duellum non esse sibi ignominiosum. Ergo non recipit gratiam.

Secundus casus est quando non adest contritio, & de hoc habetur expressè Divi Thomæ authoritas ex 4. sententiarum, distinctione 17. quæstione 3. articulo 4. quæstiuncula 1. in corpore, ubi ait, *Confessio etiam potest esse in eo, qui non est contritus, quia potest peccata sua sacerdoti innotescere, & clavibus Ecclesiæ se subiicere, & quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipit, sicut etiam est in aliis sacramentis: undè non tenetur iterare confessionem, qui fictus accedit, sed tenetur postmodùm fictionem tantùm confiteri.* Hæc D. Thomas: ex quibus verbis habemus, quòd licèt aliquis non fuerit revera contritus, nihilominùs validè absolvitur, quamvis non absolvatur fructuosè: nam D. Thomas ait quòd *Non tenetur pœnitens reiterare confessionem suam*; sed quòd *removendo fictionem recipit fructum sacramenti.* Si autem absolutio non esset valida, teneretur pœnitens confessionem reiterare, nec ullum reciperet fructum hujuscemodi absolutionis: ergo ex D. Thoma in illo casu validum est sacramentum Pœnitentiæ, licet non sit formatum.

Tertius tandem casus est, quando aliquis bona fide accedit ad sacramentum Pœnitentiæ existimans se fecisse sufficiens examen conscientiæ, & nihilominùs re vera non est sufficiens: tunc nō tenetur reiterare confessionē suā, sed solummodò confiteri peccata, quorum postea recordatur, & quæ oblitus fuerat defectu sufficientis examinis: tunc validum est Sacramentum, quia confitendo aliqua peccata exhibet sufficientem materiam, supra quam forma hujus Sacramenti cadere potest, nempè absolutio: sed nihilominùs non est formatum Sacramentum, quia gratia Sacramentalis non confertur nisi illis, qui faciunt, quantùm est in se, sufficiens examen conscientiæ, ut nullum omittant mortale peccatum in sua confessione. Quæ omnia magis constabunt ex solutionibus objectionum.

Probatur 3. & infertur ex dictis: quia jugum Christi, & Ecclesiæ suave est, & onus leve: Sed valdè grave foret, si confessio non esset valida, etiam quando pœnitens existimat se facere omnia requisita: Ergo dicendum est, quod tunc est valida.

Ex quo infertur ulterius quód per huiusmodi confessiones validas, & informes satisfit præcepto Ecclesiæ de annua confessione.

Probatur: Quia iuxta commune axioma Theologiæ moralis, ad satisfaciendum præcepto Ecclesiastico, sufficit ponere substantiam operis quod præcipitur, quamvis non obtineatur finis ejus, quia finis præcepti non cadit sub præcepto: Sed quando confessio est valida, licèt informis, ponitur substantia sacramenti Pœnitentiæ, ut jam diximus, licét non obtineatur finis, nempè gratia: Ergo.

Infertur præterea quòd non obligatur pœnitens ad reiterandam confessionem, sed solùm debet confiteri fictionem, sivè defectum, illumque supplere. Cum enim confessio valida fuerit, & pœnitens prœcepto satisfecerit, nulla est ratio cur debeat iterari confessio: Sufficit ergo quòd defectus ipsius suppleatur; v. g. quód eliciat actum attritionis supernaturalis, ac generalis, & confiteatur peccata, quæ defectu sufficientis examinis oblitus fuerat.

Infertur etam non satisfieri præcepto Ecclesiæ per confessionem voluntariè nullam. Ita definitum fuit novissimè à summo Pontifice Alexandro VII.

Probatur quia ad satisfaciendum præcepto, debet poni saltem substantia operis, ita ut sacramentum Pœnitentiæ sit saltem validum, licèt non sit formatum. Sed quàndo aliquis facit confessionem voluntariè nullam, Sacramentum non est validum, ut per se patet: Ergo non ponit substantiam operis quòd præcipitur, proindeque non satisfacit præcepto.

Objicitur 1. authoritas D. Thomæ 4. sententiarum, distinctione 17. quæstione 3. articulo 3. quæstiuncula 2. ad primum, ubi expressé ait, *In sacramento Pœnitentiæ non solum est aliquid ex parte ministri, scilicet absolutio, & satisfactionis in'unctio: sed etiam aliquid ex parte ipsius, qui suscipit Sacra-*

mentum, quod est etiam de essentia sacramenti, sicut contritio, & confessio: ergo ex D. Thoma contritio est de essentia sacramenti Pœnitentiæ: sed nihil validum esse potest sine illo quod est de ipsius essentia, ut per se patet; nam v. g. homo nequit subsistere sine animalitate, & rationalitate, quia sunt de ipsius essentia: ergo sacramentum Pœnitentiæ ex Divo Thoma non potest esse validum sine contritione.

Respondeo, & est regula generalis nedùm ad explicanda, sed etiam ad concilianda Doctoris Angelici testimonia: cum enim constet ex ipsius authoritate, quam retulimus pro nostra conclusione, quòd sacramentum Pœnitentiæ potest esse validum sine contritione: cum aliundè in authoritate objecta expresè dicat contritionem esse de essentia hujus sacramenti, proindéque sine ipsa non esse validum; non possumus hæc testimonia conciliare, nisi dicendo quòd priora testimonia intelliguntur de contritione effectiva, posteriora verò de contritione existimata: ita ut necesse sit quòd aliquis bona fide accedat ad sacramentum pœnitentiæ, credens se esse contritum, licèt re vera non sit contritus: & tunc sacramentum validum est licet non sit formatum.

Obijcitur 2. & replicatur contra præcedentem solutionem: Aqua non est sufficiens materia Baptismi quantumvis existimetur vera aqua elementaris; ita ut si nedùm æstimativé, sed etiam effectivè non sit vera aqua, non est verum, nec validum sacramentum Baptismi: & idem est proportione servata de aliis sacramentis: si enim aliquid existimetur panis, aut vinum; si re vera non habeat speciem panis, aut vini, non est materia sufficiens ad validitatem sacramenti Eucharistiæ: si etiam non est verum oleum, nullum est sacramentum confirmationis, aut extremæ Unctionis. Ergo similiter quantùmvis existimet pœnitens se habere dolorem de peccatis, si tamen re vera dolorem non habeat, sacramentum Pœnitentiæ invalidum est, & nullum; cum non sit potior ratio de hoc sacramento, quàm de aliis.

Respondeo, concedendo antecedens, & negando

conſequentiam : ratio diſcriminis eſt , quia in aliis ſacramentis materia non eſt actus humanus , ſed aliqua res elementaris , & ideò non regulatur juxta dictamen rationis noſtræ , & juxta noſtram exiſtimationem , ſed juxta rei veritatem : undè niſi re vera fuerit aqua , vel oleum , vel panis , & vinum , nullum eſt ſacramentum Baptiſmi , vel Confirmationis , & Extremæ Unctionis , vel Euchariſtiæ. Sed materia in ſacramento pœnitentiæ eſt actus humanus ; & quia de ratione actus humani eſt quòd bonitatem ſuam moralem deſumat ex dictamine rationis , & prudentiæ , & ex ipſa æſtimatione noſtra : ideò quando bona fide æſtimamus nos habere verum dolorem de peccatis , talis dolor eſt materia ſufficiens ad validitatem ſacramenti , quamvis non ſit ſufficiens ad ejus formationem. Cujus ſolutionis exemplum eſt in communi Thomiſtarum , & aliorum Theologorum doctrina : ſi quis verbi gratia det eleemoſynam alteri qui ſimulat ſe eſſe pauperem ; quamvis re vera non ſit pauper , dummodò tamen attentis circumſtantiis prudenter judicet ipſum eſſe pauperem ; verus eſt actus virtutis miſericordiæ , quia bonitas illius moralis non deſumitur ex ipſa rei veritate, ſed ex dictamine rationis , & prudentiæ. Ita dicendum eſt in propoſito.

Objicitur 3. Concilium Tridentinum , ſeſſione 14. capite 4. & ſequentibus explicans diſpoſitiones, quæ requiruntur ad ſacramentum pœnitentiæ ſuſcipiendum , expreſſè docet quòd contritio debet eſſe generalis , & attritio ſaltem ſupernaturalis , ut etiam docuimus ſupra ex eodem concilio ; quòd examen debet eſſe ſufficiens , & integra peccatorum confeſſio. Ergo.

Reſpondeo facilè , hoc totum eſſe verum , quia loquitur concilium de diſpoſitionibus requiſitis ad hoc ut ſacramentum pœnitentiæ ſit formatum , ſivè ut in ipſo gratia recipiatur : fatemur autem ad hoc requiſitas eſſe prædictas conditiones : ſed ſemper manet ſufficere ea quæ diximus in concluſione ,

ut Sacramentum sit validum, licet non sit formatum.

Objicitur 4. vel pœnitens existimat se fecisse totum quod in se est: vel non: Si non existimat se fecisse totum, quod in se erat & nihilominùs sic accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ, recipit ipsum indignè, & committit sacrilegium, ac proindè Sacramentum nec est formatum, nec validum: Si verò existimat se fecisse totum, quod in se est, nulla est ratio cur ipsi gratia denegetur, quia juxta commune proverbium, *Facienti quòd in se est, Deus non denegat suam gratiam.* Ergo vel semper Sacramentum est simul validum, & formatum: vel non est neque validum, neque formatum.

Respondeo, quòd in prædictis casibus pœnitens non facit, quòd in se est: Sed quia hoc ex duplici capite provenire potest; Vel quatenùs sciens, & volens, sivè ex malitia prætermittit aliquid necessarium; & tunc committit sacrilegium, & sacramentum est invalidum: Vel quatenùs non advertit se non facere, quod in se est, nec facit reflexionem super suam negligentiam, nihilominùs non procedit malitiosè, sed bona fide, in hoc quòd licèt defectu diligentiæ non afferat omnes dispositiones requisitas, si tamen cognosceret evidenter suam negligentiam, ipsam emendaret. Et ista bona fides sufficit quidem ad hoc ut Sacramentum sit validum, sed non ad hoc ut sit formatum. Igitur in prædictis casibus verificatur ex una parte, quòd Sacramentum validum est, & subsistit: & ex altera parte, quod non est formatum, nec producit gratiam Sacramentalem, nisi ut supra diximus, quando removetur fictio, & apponitur debita dispositio, ut diximus in tractatu de Sacramentis in communi, agendo de modo, quo sacramenta causant gratiam.

ARTICULUS V.

De integritate confessionis.

Duplex est confessionis integritas, alia materialis, alia formalis; Tunc confessio dicitur materialiter in-

tegra, quando tota materia necessaria in confession exponitur, ita ut pœnitens omnia peccata mortalia confiteatur: tunc autem est integritas formalis, quando est voluntas in pœnitente omnia confitendi, sed excusatur ex aliqua rationabili causa: hæc enim voluntas se habet ut forma ad peccata confessa tamquàm ad materiam. Quo prænotato.

Inferes 1. Omnia peccata mortalia esse necessariò in confessione aperienda: atque ita requisitam esse integritatem materialem, nisi justa causa excuset.

Probatur: Quia Sacerdos in hoc Pœnitentiæ sacramento est Judex, & Medicus spiritualis: Sed Judex non potest rectè judicare omnia rei crimina, & quæcumque fecit reus; nec Medicus conveniens remedium adhibere, nisi cognoscat omnes ægroti morbos. Ergo nec sacerdos suo fungi officio nisi pœnitens ipsi confiteatur omnia sua peccata mortalia; nam de venialibus superiùs diximus esse quidem materiam sufficientem, non tamen necessariam hujus Sacramenti.

Circa hanc integritatem notanda est Regula generalis triplex. Prima, quòd si numerus peccatorum post sufficiens examen conscientiæ non potest exprimi mathematicè, debet exprimi moraliter, vt si quis dicat, mẽtitus sum decies, plus aut minùs, Secunda, quòd quando etiã moraliter non potest exprimi in particulari, debet saltem exprimi in communi, ratione status: v. g. mercator per tres annos defraudavit, nec recordatur numeri fraudum suarum neque physicè, neque moraliter, debet dicere se per tale tempus paratum fuisse defraudare omnes ementes. Tertia, quando actus plures ex natura sua præparatorii sunt ad consummationem alicujus peccati, sufficit confiteri ipsum peccatum consummatum, quia omnes hujusmodi actus se habent ad modum unius tantùm peccati consummati; atque ita licèt physicè differant sivè numero, sivè etiam specie, nihilominùs in esse moris sunt unum & specie, & numero: v. g. aliquis habet intentionem occidendi inimicum suum, sumit arma, exit è domo quærit inimicum suum, invenit eum, & interficit: sufficit dicere, quòd commisit homicidium. Attamen si actus præparatorii sivè per cessationem physicam, sivè per veram

quando duo præcepta concurrunt, & utrumque simul servari non potest, illud est observandum quod magis obligat: præceptum autem de vitando peccatum in alio, est naturale, & divinum; præceptum verò de integritate confessionis est divinum tantum: Ergo illud magis obligat, & istius obligatio cessat.

Secundò, ex parte pœnitentis: nam vel est impotentia physica integrè confitendi, ut si instet naufragiū, vel prælium, nec posset pœnitens omnia peccata sua confiteri, tunc sufficit aliquod ex gravioribus peccatis pro ut per tempus licet, confiteri: vel etiam pœnitentiam signo solùm exteriori demonstrare. Vel est impotentia moralis, idest, magna difficultas, qua maximum poenitenti damnum timetur v. g. periclitatur de vita, vel de honore; quia est moralis certitudo, vel probabilitas quòd sacerdos revelaret confessionem, vel ipsum pœnitentem interficeret, tunc debet tacere peccatum, vel peccati circumstantiam, ratione cujus hujusmodi periculum incurrerret.

Tertiò, ex parte tertiæ personæ: Nam vel est persona indifferens, ut v.g. interpres; & jam diximus, quòd si quis non potest confiteri nisi per interpretem, excusatur ab integritate confessionis. Vel est persona complex peccati quod confitetur; & in hoc casu est opinio probabilis, ac tuta propter authoritatem Doctorum, qui eam tenent, quòd non debet, immò non potest poenitens explicare illud peccatum, vel illam circumstantiam, per quam sacerdos deveniret in notitiam complicis.

Opposita tamen sententia longè probabilior est, ac tutior; eamque expressè docet Divus Thomas 4. sententiarum, distinctione 16. quæstione 3. articulo 2. in fine, *Dicendum*, inquit, *quòd homo in confessione debet famam alterius custodire, quantùm potest, sed suam conscientiam magis purgare debet: & ideò si circumstantia sit de necessitate confessionis, tunc debet confiteri occultando personam quantùm potest*. Hæc Divus Thomas. Adde quòd propriè loquendo hoc non est infamare proximum, cum tale sit secretum confessionis, quale explicaturi sumus in articulo sequenti. Et sanè si aliquis

etiam extra sacramentum Pœnitentiæ & se ipsum, & complicem suum viro prudenti notificare potest, ut auxilium, vel remedium inveniat; multó magis hoc poterit intra Pœnitentiæ sacramentum; illud quidem sub secreto naturæ; istud autem sub sigillo confessionis.

Regula autem generalis est; quòd pœnitens in hujusmodi casibus debet confiteri velatus, & transformatus, ita ut confessarius non possit eum agnoscere, nec opus est nomen, domicilium, aut conditionem suam nominare, modó insinuet materiam sufficientem absolutionis: & si adhuc non possit evitare prædicta inconvenientia, debet quærere alium confessarium: si autem non habet copiam alterius, debet tunc facere confessionem integram formaliter modo jam explicato, & postea quàm primùm commodè poterit, debet facere integram materialiter, confitendo peccatum mortale, vel peccati circumstantiam necessariam, quam reticere coactus fuerat; aliàs enim non censeretur vera, & sincera voluntas confitendi omnia omninò peccata, si detur occasio; quandoquidem postea occasione data, non confiteretur.

ARTICULUS V.

De Sigillo Confessionis,

Sigillum confessionis nihil aliud est, quàm obligatio celandi ea, quæ in confessione sacramentali dicuntur, sivè servandi secretum: sumpta est metaphora à sigillo epistolarum, quo signamus ea quæ volumus intùs esse secreta, & occulta.

Inferes 1. Obligationem servandi secretum confessionis esse de jure Divino, & à Christo Domino institutam.

Probatur: quia qui instituit aliquid, censetur instituisse omnia illa, sine quibus illud nequit consistere: sed impossibile esset conservari confessionis sacramentum si peccata non clauderentur, & celarentur sigillo, foret enim intolerabilis, & odiosa confessio peccatorum; ergo Christus, qui confessionem instituit

pœnitentiam interrumpantur, tunc separatim exponi debent, quia constituunt peccatum numericè distinctum.

Inferes 2. peccata dubia esse sub dubio exponenda: ut si quis dubitat se commisisse aliquod peccatum mortale, debet illud dubium confiteri.

Probatur ex principio Theologiæ moralis, quod fusè explicatur à Mercoro, quòd nempè non licet operari cum conscientia dubia, quia dubitans ne aliqua actio sit mala, exponit se periculo malè agendi, si eam committat: ergo etiam dubitans an peccatum quod commisit, sit mortale, si non confiteretur illud sub dubio, exponeret se periculo reticendi materiam necessariam, atque ita committendi sacrilegium.

Inferes 3. circumstantias mutantes speciem, necessariò in confessione esse aperiendas, non autem circumstantias intra eamdem speciem notabiliter aggravantes, exceptis tribus generibus peccatorum, in quibus hujusmodi circumstantiæ sunt necessariò aperiendæ, non ratione sui, sed ratione effectus.

Hæc assertio perfectè explicari non potest, nisi in tractatu de actibus humanis, ubi natura circumstantiarum aperitur: undè sufficit in præsenti dicere, quòd prima pars assertionis est communis apud Doctores: nam si quis verbi gratia furatus sit in loco sacro, certum est quòd hanc loci circumstantiam debet exprimere, quia mutat speciem, & facit quòd furtum sit sacrilegium.

Secunda pars est expressè Divi Thomæ, quidquid dicant multi Thomistæ, eamque fusé probavimus in articulo præcedenti, v. g. non est necesse exprimere intensionem, aut durationem actus peccaminosi, quia sunt circumstantiæ quæ non mutant speciem ipsius actus, sed solùm notabiliter aggravant intra eamdem speciem.

Tertia pars breviter explicatur: Dicimus verbi gratia in genere furti, aut infamationis explicandam esse circumstantiam notabiliter aggravantem, non propter se, sed propter effectum, quia obligat ad restitutionem bonorum, vel honoris. Similiter in homicidio explicanda est circumstantia notabilis,

quia Homicida tenetur ad reparandum damnum ex homicidio subsequtum. Denique in peccato luxuriæ explicanda est necessariò copula, quia proles per se loquendo subsequi potest, licèt quandoque per accidens non subsequatur: & idcircò Alexander VII. Pontifex Maximus in Bulla data die 24. Septembris anni 1665. damnat propositionem quæ asserit copulam non esse necessariò exprimendam, sed sufficere si dicat aliquis, se commisisse grave peccatum in materia castitatis. Sed hæc omnia loco citato magis explicata sunt.

Inferes ultimò nonnullas esse causas, propter quas pœnitens excusatur ab integritate materiali, & sufficit ei integritas formalis, ut obtineat gratiam in sacramento Poenitentiæ.

Probatur quia ut supra diximus, præceptum confessionis est affirmativum, & similiter præceptum de integritate ipsius: sed hæc est natura præceptorum affirmativorum, ut obligent semper, sed non pro semper, atque ita dari possint rationabiliter causæ excusantes ab eorum observantia: ergo. Hujusmodi autem causæ quæ excusant ab integritate confessionis ex triplici capite considerari possunt. Primò, ex parte sacerdotis: secundò, ex parte pœnitentis: Tertio ex parte tertiæ personæ.

Primò igitur ex parte sacerdotis; nam vel est sacerdos habens casus reservatos, & non vellet alteri dare facultatem absolvendi à reservatis: & aliundè nollet audire totam confessionem pœnitentis: tunc posset pœnitens ei confiteri peccata reservata, & alteri peccata non reservata, quia non stat per ipsum pœnitentem, quin uni, eidemque sacerdoti faciat confessionem tam materialiter, quàm formaliter integram. Vel est sacerdos quilibet ordinarius: & tunc ex parte ipsius potest etiam dari causa excusans ab integritate confessionis, si nempè timeatur ruina sacerdotis, & quòd sacrilegium committeret: pœnitens tacere debet vel illud peccatum, vel illam circumstantiam, quæ talem occasionem daret, quia

simul etiam sigillum conjunxit. Et ita censent omnes Doctores.

Inferes 2. nullum esse casum, in quo sit licitum confessionis sacramentalis secretum revelare citra voluntatem pœnitentis, etiamsi mors immineret sivè ipsi sacerdoti, sivè aliis, etiam si tota respublica periclitaretur. Ita communiter Doctores.

Probatur: quia non revelare secretum confessionis contra voluntatem pœnitentis, est præceptum negativum, eo quód ut supra dicebamus, omne præceptum affirmativum de aliquo actu includit præceptum negativum de actu contrario: ergo præceptum affirmativum de servando confessionis secreto, includit præceptum de non revelando ipso contra voluntatem pœnitentis: sed sicut præcepta affirmativa obligant semper, sed non pro semper, ita è contra præcepta negativa obligant semper, & pro semper: ita ut possit quidem dari casus, in quo excusemur à præcepto affirmativo, sed nullus dari potest, in quo excusemur à negativo: ergo quamvis possit sacerdos de licentia poenitentis in aliquo casu, quando scilicèt non sequitur scandalum, sed potiùs ædificatio proximi, secretum revelare; nunquàm tamen hoc potest invito poenitente, & contra ejus voluntatem, sicut etiam supra dicebamus ex D. Thoma, quód nunquàm, licet retinere bonum proximi contra ipsius voluntatem, quia hoc est contra præceptum negativum.

Confirmatur: quia tale debet esse secretum, ut confessio non sit odiosa, & intolerabilis ut jam ostendimus: sed si sacerdos in quocumque casu, & ex quacumque causa posset secretum confessionis revelare, constat quód confessio redderetur odiosa, & intolerabilis: ergo nunquàm hoc licitum est.

Inferes 3. sigillum confessionis obligare primarió sacerdotem, & secundarió omnes alios, qui sivè licitè, sivè illicitè confessionem pœnitentis audierunt.

Probatur eadem ratione: quia si pœnitentes scirent, quód alij qui per accidens, vel de industria eorum confessionem audierunt, possent ipsorum peccata revelare, redderetur odiosa, & intolerabilis confessio, ut constat: ergo secretum confessionis primarió quidem

sacerdotum

Sacerdotum obligat, secundariò verò ad omnes alios se extendit.

Inferes 4. Sigillum confessionis se extendere nedùm ad peccata mortalia sed etiam ad peccata venialia, nedùm ad defectus morales, sed etiam ad naturales, sivè subsequatur absolutio, sivè non, & ex quacumque causa remaneat imperfectum sacramentum Pœnitentiæ. Et hoc totum

Probatur eadem ratione: quia foret odiosa confessio nedùm si revelarentur peccata mortalia, sed etiam si revelarentur venialia, sivè etiam quicumque defectus, sivè fuerit perfectum, sivè imperfectum sacramentum. Ut ergo posset confessio subsistere, debuit ipsius sigillum ad hæc omnia se extendere.

Plura de sigillo confessionis dici possent, quæ tamen de industria prætermitto. Sufficiat explicare sequentes generales regulas.

Prima est, quòd nunquàm confessarius dicere, vel testificari debet quod absolvit aliquem pœnitentem, sed tantùm quòd ejus confessionem audivit. Hæc est laudabilis consuetudo Ecclesiæ Romanæ, ut audivi à Patribus ordinis nostri, qui Romæ Pœnitentiarij munus exercuêre: quia si confessarius de aliquo dicat quòd illum absolvit, & idem non possit dicere de alio, sed solummodò quòd suum fecit officium, statim cum fundamento oritur suspicio illum alium fuisse indignum, qui absolveretur.

Secunda non minùs notatu digna, est, quòd debet confessarius esse valdè prudens quando loquitur de peccatis in confessione auditis: quia vix credi potest quàm sint ingeniosi, aut potiùs malitiosi homines, ut deveniant in cognitionem pœnitentis: v. g. quidam Missionarij cum in uno loco faciunt missionem, dicunt fecimus missionem in alio tali loco, & factæ sunt restitutiones usque ad summam 10000. librarium poterit malitiosus quidam hæc audiens considerare statum illius alterius loci, & cognoscere quòd omnes simul illius incolæ non possent talem summam accumulare, nisi vir ille nobilis ac dives fuisset ad restitutionem obligatus: & sic indirectè deveniet in notitiam, aut suspicionem maximam furti, vel rapinæ, aut alterius

peccati ipsius, quod ad restitutionis obligationem præsupponitur.

Tertia est, quòd confessarius sivè ab homine privato, sivè à Iudice publico interrogatus, an tale peccatum v. g. homicidij, à tali pœnitente in confessione audierit. Respondere debet, (& si necesse fuerit, cum juramento affirmare) se non audivisse, etiamsi re vera audierit; quia non audivit ut homo, sed ut Deus, sivè Christi vicarius, ideóque respectu hominum ita se habet, ac si re vera nesciret: & si ulteriùs interrogaretur, an audierit illud ut Christi Vicarius. Respondere debet quòd non audivit (subintelligendo in mente sua, ut illud revelet aliis): quia si ipsemet Christus loquens de die judicij sine ullo mendacio dixit, de illa nemo scit, neque Filius hominis; quia nempè non sciebat, ut diceret aliis, hoc enim Pater ipsius nolebat: quare non poterit ejus vicarius uti simili modo loquendi sine ullo mendacio, cum sit etiam voluntas Dei ut nulli revelet, quod in confessione audivit? hæc doctrina fundatur in expressa authoritate D. Thomæ in supplemento, quæst. 11. art. 1. ad secundum.

Quarta: Potest sacerdos uti notitiâ confessionis ad consulendum vitæ suæ, vel bonis suis, aut etiam aliorum, modò sibi, & aliis consulat per actiones de se indifferentes, quarum detur alia rationabilis causa sine ullo fundamento revelationis etiam indirectè ipsius confessionis. Hæc opinio est verè probabilis, ac verè tuta: eamque docent graves authores, Paludanus, Sylvester, Candidus, & alij: quia sic nihil fit contra sigillum confessionis neque directè, neque indirectè: v. g. cognoscit sacerdos ex confessione alicujus pœnitentis vinum ad Missam præparatum, esse veneno infectum; potest simulare infirmitatem, aut grave negotium, atque ita excusare se à celebratione Missæ: vel etiam simulare quòd tale vinum nauseam provocat, atque ita aliud melius petere. His aliisque modis mortem evitare poterit. Si tamen adesset peritus Medicus qui cognoscere posset simulatam esse infirmitatem; & similiter non esset legitimum fundamentum excusandi se propter aliud negotium: ac uno verbo si daret fundamentum suspicandi aliquid de crimine per confessio-

nem audito, teneretur mortem ſubire: & ſic de aliis caſibus. Nec dubitandum eſt quin Chriſtus daret gratiam ad ſubeundam mortem, ut ſervaretur ſigillum confeſſionis ab ipſomet inſtitutum.

ARTICULUS VI.

De nullitate confeßionis.

Nullitas confeſſionis conſiderari poteſt vel ex parte confeſſarij, vel ex parte pœnitentis. Ex parte confeſſarij provenire poteſt nullitas confeſſionis ex triplici defectu, ſcilicèt poteſtatis ordinis, juriſdictionis, & intentionis: quia ut dicemus in ſequenti quæſtione, ut poſſit aliquis validè abſolvere, debet utramque poteſtatem habere ſcilicêt ordinis, & juriſdictionis, & ut dictum eſt in tractatu de ſacramentis in communi debet miniſter ſacramentorum habere intentionem ad eorum validitatem.

Ex parte verò pœnitentis provenire poteſt nullitas confeſſionis ex alio triplici defectu, ſcilicèt ſufficientis doloris, ſufficientis confeſſionis, & ſufficientis voluntatis ſatisfaciendi. De dolore, & confeſſione ſatis ſuperque jam diximus: De ſatiſfactione dicemus aliquid infra. Undè in præſenti ſolummodò advertendum eſt, quòd dolor, ſivè contritio perfecta vel imperfecta non debet eſſe multiplex juxta multitudinem peccatorum: ſed ſufficit unicus actus ſivè ante, ſivè poſt confeſſionem, qui remaneat virtualiter quando confertur abſolutio.

Regula autem generalis ad explicanda quædam D. Thomæ teſtimonia, eſt quòd exigit D. Thomas, ut poſt ſufficiens examen, deteſtemur ſingillatim omnia peccata, eaque cum tali dolore confiteamur: non quaſi neceſſe ſit contra ſingula peccata particulares actus contritionis formare; ſed quia debet contritio ferri univerſaliter in omnia peccata nedùm in communi, ſed etiam in particulari ſumpta, modo ſupra explicato.

Quantùm ad confeſſionem, advertendum eſt: quòd ſi confitens ex malitia, verecundia, timore, aut alio

respectu humano sine legitima causa scienter in confessione omisit aliquod peccatum mortale, aut quod credit esse mortale, aut circumstantiam, quam credit necessariam, confessio nulla est, & reiterari debet.

Regula autem generalis est quòd nedùm illa confessio, in qua peccatum est omissum reiterari debet, sed etiam omnes aliæ quæ postea factæ sunt, quamdiu perseveravit illa voluntas sacrilega, quia toto illo tempore fuit pœnitens indispositus ad recipiendum beneficium absolutionis, ac proindè omnes ejus confessiones fuerunt nullæ. Quænam autem causa ab integritate confessionis excuset, fuit explicatum supra.

Notandum adhuc circa confessionem, quòd si ante ipsam non præcesserit sufficiens examen, atque ita confitens defectu talis examinis ex culpabili, & crassa negligentia, aut ignorantia aliquod mortale peccatum omittit, confessio redditur nulla, & est reiteranda.

Regula autem generalis est quòd tanta diligentia in examine conscientiæ adhibenda est, quanta judicio prudentis, & boni viri adhiberi solet in re adeò magni momenti, qualis profectò est salus animæ: non potest autem præcisè determinari quantùm temporis ad hujusmodi examen requiratur, propter maximam diversitatem humani ingenij.

Quantùm ad satisfactionem notandum est quòd ex defectu ipsius non annullatur confessio, benè tamen ex defectu voluntatis acceptandi eam pœnitentiam, quam acceptare tenetur, ut explicabimus postea, quia defectus talis voluntatis esset defectus sufficientis dispositionis ad recipiendum beneficium absolutionis.

Denique circa omnia prædicta est regula pro quiete conscientiæ, quòd si quis bona fide accedit ad sacramentum pœnitentiæ, existimans se habere sufficientem dolorem, fecisse sufficiens examen, & sufficientem habere voluntatem in posterùm non peccandi sed potiùs satisfaciendi, ac uno uerbo, credit quòd fecit omnia requisita: tunc ejus confessio valida est, licèt non sit formata, nec reiterari debet, sed solummodò suppleri debet defectus ejus, ut supra explicuimus.


De circumstantiis nihil typis mandandum cu-

ravi; quia nihil scriptum in M.S. inveni; sed locum articuli secundi omninò vacuum reperi; sicque titulo apposito de circumstantiis, iusseram relinqui.

In toto huius quaestionis decursu notandum quòd author dum de benignioribus, & probabilibus opinionibus sequendis loquutus est verè tutas solùm intellexit, ut & aliquando expreßit, ac semper exclusit illam vagam probabilitatem, quam excluserunt summi Pontifices Alex. 7. & Innoc. 11. dum has duas propositiones damnarunt.

1. Si liber sit alicuius iunioris, & moderni debet opinio censeri probabilis, dum non constet reiectam esse à Sede Apostolicâ tanquàm improbabilem.

2. Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relictâ tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententiâ probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopatis.



QUÆSTIO VI.

De Absolutione.

DE Absolutione; quæ est forma sacramenti Poenitentiæ aliquid diximus in prima Quæstione Articulo quinto: plura diximus agendo de formis sacramentorum in communi. Pauca huic sacramento propria in hac quæstione perstringentur.

ARTICULUS I.

Quid requiratur, ut valida, vel licita sit absolutio.

Inferes 1. ex dictis, quód ut confessarius validè ab-

ſolvat debet habere poteſtatem ordinis, cum poteſtate juriſdictionis : quia hoc ſacramentum exercetur per modum judicij : judex autem non poteſt validè judicare, niſi poteſtatem habeat judicandi, ſuumque Iudicium exerceat circa illos, qui ſibi ſunt ſubditi, & ſupra quos habet juriſdictionem : ergo nec poteſt confeſſarius validè abſolvere ſine poteſtate ordinis, & juriſdictionis, quam alij vocant poteſtatem characteris, & juriſdictionis; quia quando aliquis ordinatur ſacerdos, imprimitur ei character, ut diximus in tractatu de ſacramentis in communi, ubi etiam agendo de miniſtris ſacramentorum demonſtravimus contra hujus temporis Hæreticos ſolum ſacerdotem poſſe abſolvere à peccatis.

Circa juriſdictionem, advertendum eſt aliam eſſe ordinariam, aliam delegatam : ordinariâ utuntur ſummus Pontifex in univerſali Eccleſia, Epiſcopus in Diœceſi ſua, Parochus in ſua Parochia, & ſuperior regularis in ſuo Monaſterio. Delegatâ veró utuntur illi, quibus ab iſtis committitur : ſic Religioſi habent juriſdictionem à ſummis Pontificibus delegatam : ſed circa omnes iſtas juriſdictiones eſt regula generalis, quòd nec Religioſi, nec alij juriſdictionem habent, niſi ab Epiſcopo fuerint approbati.

Inferes 2. Quemlibet ſacerdotem poſſe in periculo mortis abſolvere à quibuſcumque peccatis : & extra caſum mortis poſſe abſolvere à peccatis venialibus, vel etiam à mortalibus aliàs in confeſſione explicatis.

Probatur prima pars : quia inſtitutum eſt ſacramentum per modum remedij : ſed in articulo mortis omnia adhibentur remedia, quæ creduntur poſſe juvare, & à quolibet medico : ergo conveniens etiam erat, ut in eodem mortis articulo pia mater Eccleſia daret omnibus ſacerdotibus poteſtatem abſolvendi ab omnibus omninó peccatis.

Probatur etiam 2. pars : quia ut ſupra diximus, favores ſunt ampliandi : ergo congruum erat ut quantùm ad materiam ſufficientem, qualia ſunt peccata venialia, vel mortalia aliàs in confeſſione expoſita daret Eccleſia cuilibet ſacerdoti poteſtatem abſolvendi.

Inferes 3. Quod ut sacerdos licitè absolvat, requiruntur alia tria: nempè, scientia, prudentia, & bonitas. Bonitas quidem ut sit saltem in statu gratiæ; talis enim status obligat in administratione omnium sacramentorum, ut diximus agendo de ipsis in communi. Prudentia veró, ut sciat convenienter remedium Pœnitentiæ adhibere: Scientia tandem, ut ritè possit judicium exercere.

Circa prædicta, & præsertim circa jurisdictionem Religiosis delegatam à summis Pontificibus, & circa privilegia Ecclesiæ Gallicanæ quantùm ad hujusmodi jurisdictionem, plura de industria prætermitto, & explico solummodó quasdam regulas generales pro confessariorum instructione.

Prima est, quód sufficit ut sacerdos sciat saltem dubitare an casus sit reservatus, nec ne: utrùm habeat, vel non habeat excommunicationem annexam: quia ab hujusmodi casibus non potest regulariter loquendo, absolvere, nisi obtentâ priùs à superiore licentiâ.

Secunda, modò sciat confessarius species peccatorum, quæ possunt ordinariê contingere, non debet nimiùm esse sollicitus, si postea hîc & nunc nequit plenè discernere sivè peccata mortalia inter se, sivè à venialibus: sed sufficit quód aliundè sciat quid debeat pœnitens agere in tali casu, & tunc absolvat à peccatis prout jacent ut ita loquar; idest, qualiacumque fuerint.

Tertia: quando casus difficilis est, & nescit quid pœnitens agere debeat, nec potest consulere libros, vel peritos, nisi indirectè confessionem revelet, vel etiam propter alias causas; debet tunc poenitentem interrogare, an sit paratus facere, quod ipse postea primâ occasione datâ judicaverit esse faciendum: vel si non possit pœnitens ad eumdem sacerdotem redire, an sit paratus de tali, vel tali casu consulere alium confessarium pium ac doctum in prima occasione, & facere quod ipse judicaverit necessarium ad ipsius salutem: & si invenerit poenitentem in tali præparatione animi, potest, immò quandoque debet eum absolvere.

Quarta, si sacerdos inveniat pœnitentem rusticum, qui nescit fidei sanctæ Mysteria, debet facere quòd eliciat actum explicitum fidei de mysteriis Sanctissimæ

Trinitatis, & Incarnationis, & proponat quàm primùm poterit, addiscere alia, quæ tenetur scire; & sic eum potest absolvere.

Quinta, debet esse valdè prudens in interrogationibus præsertim circa peccata inhonesta, & contra castitatem; circa quæ debet gradatim accedere, ut explicat piissimus Gerson; v.g. debet interrogando pœnitentem, an habeat cogitationes inhonestas; si dicat quòd non; abstineat ab ulteriori interrogatione: si dicat, quòd sic habeat; ulteriùs interroget an consenserit, vel non: si dicat non consensisse, non debet eum ampliùs interrogare: si dicat consensisse, debet à cogitationibus procedere ad interrogationem de actibus, servata eadem proportione.

ARTICULUS II.

In quo consistat essentia Absolutionis: & an absolutio dari possit nutibus, vel scripto.

Concilium Tridentinum, sessione 14. de sacramento pœnitentiæ, capite 3. ait, *Docet præterea sancta Synodus sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse*, ego te absolvo *&c. quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adiunguntur; ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquàm spectant, neque ad ipsius sacramenti administrationem necessariæ sunt.*

Inferes 1 ex his verbis: quòd essentia formæ sacramenti pœnitentiæ, sivè absolutionis consistit solum in his verbis, *Absolvo te.* Ita communiter Doctores, præsertim Thomistæ, contra quosdam alios, qui volunt verba subjuncta, scilicèt, *à peccatis tuis* pertinere ad essentiam sacramenti.

Probatur: quia sacramentum est signum visibile invisibilis gratiæ: ergo ad ipsius essentiam illa sola verba requiruntur, quæ sufficiunt ut significetur gratia suscipientibus sacramentum collata. Sed quando dicitur, absolvo te, significatur gratia, quâ remittuntur peccata: ergo hæc verba sufficiunt ad essentiam hu-

jus sacramenti, seu potiùs formæ ipsius.

Dices absolutionem de se esse indifferentem, ut significet absolutionem vel à censuris, vel à peccatis: ergo ut tollatur ejus indifferentia, debent subjungi hæc verba, *à peccatis tuis.*

Sed contra: quia licèt absolutio secundùm se sit ita indifferens; attamen quando profertur supra pœnitentem, præsupposita confessione peccatorum, tollitur ejus indifferentia, & determinatur ad significandum præcisè absolutionem à peccatis. Et propter eamdem rationem existimo speculativè probabilem, non tamen practicè opinionem, quæ dicit solum verbum *absolvo*, esse de essentia absolutionis: quia quamvis de se abstrahat ab absolutione Petri, & Pauli, suppositâ tamen præsentia Petri, ejusque confessione, determinatur ad significandam ipsius, & non alterius, absolutionem.

Regula generalis ad solvendas objectiones, est, quòd licèt in illo verbo, *absolvo*, non contineantur explicitè alia verba, benè tamen implicitè: constat enim quòd pronomen, *ego*, in eo implicitè continetur: & similiter pronomen, *te*, suppositâ pœnitentis præsentiâ: & hæc verba, *à peccatis tuis*, suppositâ ejusdem pœnitentis confessione. Et sic ad explicanda Concilia, & sanctorum Patrum, ac Doctorum testimonia concedere debemus quòd hæc omnia sunt de essentia, & necessitate sacramenti pœnitentiæ implicitè, sed non explicitè.

Inferes 2. Quòd licet hæc alia verba non sint de necessitate sacramenti, sunt tamen de necessitate præcepti, sicut & invocatio Sanctissimæ Trinitatis, & signum Crucis, non tamen impositio manuum.

Probatur: quia consuetudo habet vim legis: sed est consuetudo Ecclesiæ ut hæc omnia exprimat in absolutione, cum invocatione Sanctissimæ Trinitatis, & signo Crucis: non autem cum impositione manuum: ergo omnia illa sunt de necessitate præcepti, ita ut peccaret sacerdos, qui absolvendo non diceret, *Absolvo te à peccatis tuis: in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Nihilominùs existimo hanc esse differentiam inter

hæc verba, *à peccatis tuis*, & invocationem Trinitatis cum signo Crucis, quòd quia graves quidã authores existimant hæc verba esse de essentia sacramenti, sacerdos ea omittens mortaliter peccaret, quia validitati sacramentorum consulere debemus, quantùm possumus: omittendo autem Trinitatis invocationem, & signum Crucis, peccaret venialiter tantùm, quia certum est ea non esse necessaria ad sacramenti validitatem. Omittens autem impositionem manuum, nec mortaliter, nec venialiter peccat, quia jam non est consuetudo Ecclesiæ: similiter non peccat ommittens preces antecedentes, vel subsequentes absolutionem, quia licet sit Ecclesiæ consuetudo, dicitur tamen expressè in concilio quòd est laudabilis, sed non necessaria.

Regula generalis ad præveniendas objectiones duplex est, altera quantùm ad pronomen, *ego*, & illud nomen adjectivum, omnibus, quæ non debent necessariò exprimi nec necessitate sacramenti, nec necessitate præcepti, quia evidens est quòd pronomen, *ego*. expresse subintelligitur in verbo, *absolvo*. Similiter constat ex summulis logicæ, quòd propositio indefinita stat pro universali: undè idem est dicere, *à peccatis tuis*, ac dicere *ab omnibus peccatis tuis*: Et sic quando Christus Dominus dixit Magdalenæ, *Dimittuntur tibi peccata tua*: sensus erat quòd omnia peccata ei dimittebantur.

Altera regula est differentia sacramenti Poenitentiæ à sacramento Baptismi, Confirmationis, & Ordinis: quia in Baptismo, & Confirmatione fit professio, vel protestatio Fidei, ideò invocatur Trinitas, & fit signum Crucis, quia hæc sunt duo præcipua sanctæ nostræ Fidei mysteria: At verò in sacramento Poenitentiæ non fit professio Fidei, unde talis invocatio, vel tale signum non est de necessitate sacramenti. Similiter in sacramento Ordinis fit impositio manuum, ad denotandam plenitudinem gratiæ, quæ debet esse in ministris Ecclesiæ, ut ait D. Thomas, eo quòd in impositione manuum, ille cui imponuntur veluti conjungitur cum eo qui imponit, & sic veluti participat plenitudinem gratiæ ejus: sacramentum autem Poenitentiæ non est institutum ad conferendam gratiæ

plenitudinem, sed ad causandam ipsam primam gratiam: undè non exigit illam manuum impositionem.

Inferes 3. Absolutionem non posse dari nutibus vel signis, aut etiam scripto, sed tantùm verbo.

Probatur: quia ut diximus in tractatu de sacramentis in communi, omnia novæ legis sacramenta debent constare verbis, solo excepto Matrimonio: & quamvis hoc dependeat ex sola voluntate Christi, quæ nobis notificata est per Scripturam Sacram, & Concilia, ac Patres: nihilominùs est optima congruentia quòd cum Christus, qui est Verbùm Incarnatum sit author sacramentorum, verba quoque sensibilia forent ad valorem sacramentorum necessaria, excepto ut dixi, Matrimonio, propter specialem rationem suo loco explicandam.

Inferes ultimò non posse absolvi absentes, sed tantùm præsentes. Ita declaravit summus Pontifex Clemens VIII. in Bulla data die 20. Junij 1602.

Probatur: quia diximus absolutionem debere dari verbo, & non scripto: sed verbum ex natura sua dirigitur ad personas præsentes, sicut scriptum ad absentes: ergo ex natura hujus sacramenti absolvi non possunt nisi præsentes.

Adde quòd juxta principia sæpius explicata hoc sacramentum est judicium simul, & remedium: remedium autem applicari non debet nisi cognita ægroti dispositione, aliàs illi noceret sæpiùs etiam quando prodesse crederetur: sed sacerdos non potest moraliter dignoscere qualis sit status pœnitentis, dum eum absolvit, nisi fuerit ipsi moraliter præsens; cum enim homo nunquàm in eadem statu permaneat, nescit sacerdos an pœnitens, qui est absens, mutaverit voluntatem à tempore quo misit epistolam: ergo exigit absolutio pœnitentis præsentiam: & in hoc est differentia judicij interni ab externo, quòd cum externum judicium sit ordinatum ad bonum reipublicæ, non autem particularis personæ, non curat de ipsius dispositione, & absentem quandoque absolvit: è contra judicium internum tam ad bonum particulare ipsius pœnitentis, quàm ad bonum totius Ecclesiæ est institutum; & idcircò exigit dispositionem pœnitentis, nempè quòd sit per-

se loquendo capax recipiendi gratiam: est etiam in hoc differentia hujus sacramenti à Matrimonio, quòd istud fieri potest scripto, non autem illud, ut diximus in præcedenti assertione, & ideò Matrimonium inter absentes fieri potest, non autem sacramentum Pœnitentiæ.

Regula generalis ad explicandas plures sanctorum Patrum authoritates, vel etiam historias Ecclesiasticas, est, quòd quando in illis dicitur sacramentum pœnitentiæ per epistolas inter absentes fuisse administratum, subintelligitur ex parte pœnitentis non autem ex parte sacerdotis, quia pœnitens potest scripto confiteri, ac proinde sacerdoti etiam absenti: sacerdos autem non potest absolvere nisi verbo, ac proindè nisi pœnitentem præsentē. Si autem sermo sit de sacramento pœnitentiæ etiam ex parte sacerdotis, & quantùm ad absolutionem ipsam, debet intelligi de absolutione à censuris quæ dari potest etiam absentibus, sed non de absolutione à peccatis, quæ non potest dari nisi præsentibus.

ARTICULUS III.

An absolvi poßit moribundus qui non dedit signa contritionis, nisi in absentia sacerdotis,

Plures ex antiquis Theologis tam Thomistis, quàm aliis dicebant moribundum de quo est titulus, absolvi non posse: sed nunc Theologi, & Casuistæ tam Thomistæ quàm alii, docent ipsum absolvi debere.

Conclusio Moribundus qui saltem in absentia sacerdotis dedit signa contritionis, absolvendus est à sacerdote superveniente.

Probatur 1. authoritate summi Pontificis Pauli V. in cujus rituali sic expresè dicitur: *Si inter confitendum, vel etiam antequàm incipiat confiteri, vox, & loquela ægrum deficiat, nutibus, & signis conetur sacerdos quoad fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere: quibus utcumque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desideriū sivè per se, sivè per alios ostenderit, absolvendus est.*

Ergo ex illo summo Pontifice dummodò alij præter ipsum pœnitentem, attestentur sacerdoti, quòd desideravit absolutionem, dando signa contritionis in absentia ipsius sacerdotis, hoc sufficit, ut absolvatur.

Et quia juxta commune axioma casuistarum, favorabilia sunt amplianda, idcircò testimonium illud extendere debemus, quantùm possumus, ut sivè plures hoc attestentur, sivè unicus tantùm fuerit testis, sivè ille sit vir, sivè mulier, sivè immediatè per se testetur de hujusmodi signis, sivè tantùm hoc sciat ab aliis testibus, hoc sufficit ut sacerdos debeat moribundum absolvere.

Probatur 2. authoritate Doctoris angelici 3. parte, quæstione 80. articulo 9. in corpore; ubi quærit, *An illis qui carent usu rationis, sit deneganda communio?* Et resolvendo quæstionem inter alia sic habet: *Si priùs quando erant compotes suæ mentis apparuit in eis devotio huius sacramenti, debet eis in articulo mortis hoc sacramentum exhiberi, nisi fortè timeatur periculum vomitus, vel expulsionis. Vndè in Concilio Carthaginensi legitur; Is qui in infirmitate pœnitentiam petit si casu dum ad eum sacerdos venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim conversus fuerit, dent testimonium quicumque audierunt: & accipiat pœnitentiam: & si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia.* Ex quo testimonio formatur evidens argumentum: nam Concilium à D. Thoma relatum nihil aliud exigit nisi quòd sacerdos superveniens testimonium habeat ab illis, qui sunt præsentes quòd moribundus pœnitentiam petiit, & tunc debet ipsi conferre & sacramentum pœnitentiæ, & sacramentum Eucharistiæ, licèt careat usu rationis.

Respondebant antiqui illi Theologi, qui oppositam sententiam tenebant, quòd duplex est absolutio; altera à censuris; altera à peccatis & quòd Concilia loquuntur de illa absolutione à censuris, quæ fieri potest etiam extra ipsum Poenitentiæ sacramentum: sed non de

absolutione à peccatis, quæ fieri nequit nisi in ipso sacramento Poenitentiæ.

Sed contra est evidens instantia : quia certum est nunquàm fuisse consuetudinem in Ecclesia dandi sacramentum Eucharistiæ nisi post sacramentum Poenitentiæ, & sacramentalem absolutionem ab omnibus censuris, & peccatis, sicut etiam modó fieri solet : ergo cum D. Thomas ex Concilio asserat quòd huic moribundo dari debet sacramentum Eucharistiæ, priùs ipsi collato sacramento poenitentiæ per manus impositionem, sequitur quód per hujusmodi reconciliationem, quæ fiebat per impositionem manuum intelligebatur absolutio & à censuris, & à peccatis.

Præterea benè advertit Pater Nicolai in notis super articulum 4. quæst. 84. tertiæ partis, quód omnes antiqui Patres, & Doctores per illam reconciliationem, quæ fit impositione manuum, intelligebant absolutionem sacramentalem. Undè in Concilio Arausicano, capite 3. dicitur: *Stent in ordine pœnitentium, ut ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione recipiant.* Ergo loquitur Divus Thomas, non minùs quàm Concilium de absolutione etiam à peccatis.

Probari potest 3. omnibus argumentis, quæ referemus in sequenti articulo ad probandum quòd possumus, immô debemus dare absolutionem moribundo etiam si nullum contritionis signum nec in præsentia, nec in absentia sacerdotis dederit, dummodó pius esset, ac solitus: nam si moribundus ille absolvendus est, à fortiori absolvendus erit ille, qui saltem in absentia sacerdotis dedit signa contritionis.

Objicies 1. Non possumus dare absolutionem, nisi peccator pœnitens aliquod peccatum in particulari confiteatur: ergo non sufficit quod det signa in absentia, immò etiam in præsentia sacerdotis, sed requiritur particularis confessio. Consequentia patet: quia omnia ista signa nihil exprimunt in particulari: Antecedens probatur: Sacramentum Pœnitentiæ exercetur per modum judicij: ergo in particulari debet exprimi aliquod peccatum, ut dari possit absolutio : Antecedens

certum est secundùm nostra principia: Consequentia probatur: Sententia in judicio ferri non potest, nisi aliquod crimen in particulari explicetur: sed absolutio profertur per modum sententiæ: ergo necesse est quòd aliquod peccatum explicetur in particulari.

Respondeo, & est regula generalis, quòd sacramentum pœnitentiæ non exercetur per modum puri judicij, sed etiam per modum remedij: idest, non est judicium simile aliis judiciis, in quibus nihil aliud intenditur, nisi punitio criminis: sed est judicium admixtum misericordiæ, & benignitati, in quo magis intenditur salus ipsius rei, quàm punitio criminis ejus: undè licèt in aliis judiciis sententia proferri non posset, nisi aliquod crimen in particulari exponeretur: attamen in hoc judicio pœnitentiæ, sententia absolutionis proferri potest quamvis nullum in particulari peccatum, sed tantùm in communi significetur. Signa autem contritionis quæ dat pœnitens vel in præsentia, vel saltem in absentia sacerdotis, significant in generali, quòd ipse fatetur se esse peccatorem: & ideò hujusmodi signa sufficiunt ad hoc ut absolvi possit.

Quæ doctrina sumitur ex ipso angelico Doctore 4. sententiarum, distinctione 21. quæstione 2. articulo secundo, in corpore, ubi exprefsè ait, *Quòd etiam si pœnitens nesciat in particulari exprimere ullum peccatum, dummodò in communi dicat se peccasse, sacerdos ipsum potest absolvere:* Cum igitur prædicta signa si non in particulari, saltem in communi significent moribundum peccasse, hoc sufficit, ut absolvi possit.

Objicitur 2. exemplum Antiochi, de quo in Scriptura Sacra dicitur, quòd dabat maxima signa pœnitentiæ; ita ut si modò aliquis cum similibus signis moreretur, quantùmvis maximus peccator fuisset, crederetur sanctissimè obiisse; & tamen scelestus ille, ut nominat Scriptura, non obtinuit misericordiam. Ergo cum D. Thomas dicat, pluribus modò idem contingere, quòd tunc Antiocho, ut nempè instinctu naturæ dent maxima pœnitentiæ signa, non quòd doleant de culpa, sed tantùm de pœna, & sic non sit vera eorum pœnitentia; non est tam de facili danda abso-

lutio talibus peccatoribus moribundis.

Respondeo, quòd etiam Divus Thomas ait, quòd Deus quandoque convertit usqué in profundum, idest, peccatores, qui devenerunt usqué in profundum abyssi peccatorum. Et sanè si quis legat ea, quæ in Scriptura Sacra dicuntur de Manasse, & ea etiam, quæ de ipso refert D. Hieronymus ex traditione Rabbinorum, nullus erit quantumvis maximus peccator, de cujus salute sit omninò desperandum. Quia igitur ex talibus peccatoribus aliqui salvari possunt, & eorum salus periclitaretur, si eis absolutio denegaretur, idcircò denegari non debet, præsertim si dederint signa doloris, & pœnitentiæ.

ARTICULUS IV.

An etiam moribundus ille, qui nulla prorsùs contritionis signa dedit, nec dare potest, sit absolvendus dummodò piè viveret, & frequentaret sacramenta.

Plures ex Casuistis tam modernis, quàm antiquis tenent moribundum absolvi non posse, si nulla contritionis signa dare possit, vel saltem dederit in absentia sacerdotis: sed plures etiam tenent quòd dummodò foret vir pius, & solitus frequentare sacramenta, est absolvendus.

Conclusio: Etiamsi moribundus nulla contritionis signa dederit sivè in præsentia, sivè in absentia sacerdotis, si tamen pius erat, & solitus frequentare sacramenta, absolvendus est.

Probatur 1. authoritate D. Thomæ, quam retulimus pro conclusione præcedenti; in qua ad hoc ut moribundo, qui caret usu rationis, dari possit communio, & absolutio sacramentalis nihil aliud exigit, quàm ut in ipso, *Dum erat compos mentis, appareret devotio erga hujusmodi sacramenta.* Sed in illo qui piè vivebat, & solitus erat frequentare sacramenta, hujusmodi devotio apparebat, ut per se constat: ergo ex mente angelici Doctoris etiam si repentino morbo fuerit oppressus, ita ut careat usu rationis, ac proinde

dare

dare nequeat signa contritionis nec in præsentia, nec in absentia sacerdotis, nihilominùs est absolvendus.

Idem Sanctus Doctor in opusculo 65. §. de Sacramento Extremæ Unctionis, hæc habet: *Si autem infirmus, qui petit unctionem, amisit notitiam, vel loquelam antequam sacerdos veniret ad eum, nihilominùs ungat eum sacerdos, quia in tali casu debet etiam baptizari, & à peccatis absolvi.* Et quamvis dubium sit, an hujusmodi opusculum sit D. Thomæ, saltem certum est, quod est authoris valdè antiqui; undè ad minùs constat hanc opinionem non esse novam. Et quamvis etiam loquatur de illo, qui petit unctionem in absentia sacerdotis, & ita ex hoc loco non probetur expressè nisi conclusio præcedentis articuli, attamen eadem est ratio de illo, qui postulabat sacramentum in absentia sacerdotis, & postea in ipsius præsentia nulla dare potest signa; ac de illo, qui pius erat, & solitus frequentare sacramenta. Undè semel admissa conclusione præcedenti, debet admitti etiam præsens, ut postmodùm ex professo probabitur.

Probatur 2. authoritate D. Antonini in summula confessionali. Et quamvis ipsius testimonium sit maximi ponderis propter ipsius singularem pietatem, & doctrinam; attamen in hoc maximi ponderis efficitur, quod summus Pontifex Gregorius XV. in memoriali confesshonis, quod fecit, dum esset Archiepiscopus Bononiensis, & edidit Bononiæ, & postea dum esset summus Pontifex, edidit Romæ, vult quòd in praxi sequamur sententiam hujus sancti in hoc casu. Sic igitur habet D. Antoninus in illa summula 3. parte, cap. 17. *Circa infirmos sic agendum est: aut enim talis est in periculo mortis, aut non. Dico autem periculum mortis, non solùm quia in extremis est constitutus, sed quia frequenter contingit homines mori ex illa infirmitate, & medici dubitant. In tali casu potest quilibet absolvi à quolibet sacerdote de quolibet peccato, & à qualibet sententia, absque alia sententia, cum periculum est in mora. Talis enim infirmus aut iam amisit loquelam, vel usum rationis, putà, quia phreneticus: aut non.*

In primo casu, si benè vivebat ut bonus fidelis, & frequentabat confessionem, communionem, & hujusmodi; quamvis non petierit sacramenta, quia ex insperato talia acciderunt: vel etiam si malus, & obstinatus, diu perseverans in peccatis, & diu non confessus, si petiit sacerdotem ut confiteretur, & ostendit se velle facere omnia, quæ debet: & interea factus est mutus, vel phreneticus, & periculum est in mora, debet præsupponi contritus; & faciente aliquo confessionem generalem pro eo sicut fit in populo, sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia, & peccato, & potest iniungere circumstantibus aliquid pro eo faciendum, vel hæredibus, aut consanguineis, aut pro eius anima, si velint acceptare. Et paulò post ibidem subdit: *Adstantibus autem infirmo debet credi, si perhibent testimonium, quod petierit confessionem, & ostenderit signa contritionis.*

Refertur etiam sacerdotale Romanum antiquum, tractatu de sacramento Pœnitentiæ, capite 26. ubi dicitur *Ex doctrina D. Antonini posse absolvi moribundum solitum frequentare sacramenta, quamvis repentino casu oppressus sacramentum non petierit, neque solùm potest confessarius tunc absolvere istum moribundum, sed etiam debet, quia contingere potest moribundum esse tantùm attritum; undè damnaretur, nisi absolveretur.* Sic habetur in prædicto sacerdotali Romano.

Probatur 3. ex facto summi Pontificis Clementis VIII. de quo referunt authores fide digni, quòd cum vidisset aliquem operarium ex fabrica sancti Petri cadentem, ipsum absolvit, & nihilominùs credibile est, quòd tunc non dabat signa contritionis, nec de hoc ulla fit mentio in authoribus. Ergo moribundus etiam si hujusmodi signa non dederit, absolvi potest. Cum enim certum sit præfatum summum Pontificem fuisse doctissimum, procul dubio tunc non dedisset absolutionem, nisi existimasset eam dari posse in tali casu.

Respondet Cardinalis de Lugo se interrogasse plures ex illis, qui Romæ aderant, quando vivebat præ-

dictus summus Pontifex, nec potuisse quidquam simile ab ipsis addiscere: undè existimat hoc totum esse apocryphum, & fabulosum.

Sed contra: quia ut ait Cardinalis Bellarminus in alia occasione malo duos loquentes, quàm mille tacentes: nam etiam si plures dicant se ignorasse hujusmodi factum summi Pontificis, dummodò aliqui illud asserant, hoc sufficere debet; neque enim alij omnia scire potuerunt, neque etiam si scirent, omnia dicere debuerunt. Et aliundè nullatenùs est credibile, quòd illi authores, qui prædictam referunt historiam, voluerint mentiri in re tanti momenti, in qua agitur de salute animarum.

Probatur 4. Quia in tali casu omne malũ vitari potest, & omne inconveniens, & aliundè potest procurari salus hominis, dando scilicet sub conditione absolutionẽ: ergo sic agendum est. Consequentia patet: Antecedens optimè probat Mercorus in libro, cui titulus est, Basis totius Theologiæ Moralis, sivè praxis opinionum limitata: nam ibi optimè probat, quomodò ex una parte optimè providetur saluti hominum, quando sub conditione datur absolutio, & ex altera parte providetur etiam validitati sacramentorum: atque ita evitatur inconveniens ex parte sacramenti, scilicèt periculum irritationis; & ex parte hominis, scilicet periculum salutis. Nam quando ad absolutionem præmittitur conditio, dicendo, si es dispositus, ego te absolvo, &c. tunc si datur conditio illa & re vera moribundus dispositus est, conficitur sacramentum, & suum habet effectum, & homo salvatur: si autem non datur conditio, & moribundus non est dispositus, tunc nullum conficitur sacramentum, non minùs quàm si non proferrentur verba sacramentalia: quia quando aliquid sub conditione profertur, ita ab ipsa conditione dependet, ut si non detur conditio, nihil prolatum censeatur. Tunc igitur non irritatur sacramentum, quia sacramentum non est irritum, nisi quando re vera conficitur, vel est intentio ipsum conficiendi, & tamen non habet suum effectum, vel non est validum. In illo autem casu re vera non conficitur, sicut re vera non ha-

bet effectum suum; non est etiam in sacerdote intentio ipsum conficiendi, sicut non datur conditio, quam supponit: ergo nullo prorsùs modo sacramentum irritatur.

Cum igitur omne inconveniens ex omni parte præcaveatur, scilicèt & ex parte sacramenti, & ex parte salutis hominum: aliundè sit aliqua spes, & probabilitas, quòd salus hominis procuretur, ita ut fieri possit, quòd sine tali conditionata absolutione homo damnetur, & cum ipsa salvetur, si nempè non habebat nisi solam attritionem, quæ sine actuali absolutione non sufficit ad justificationem, & salutem hominis, ut diximus supra, nulla potest esse ratio cur conditionata illa absolutio denegetur huic moribundo, sed potiùs multiplex est ratio, cur ipsi debeat conferri.

Objicitur. Sacramentum Pœnitentiæ debet habere tam materiam, quàm formam visibilem, & sensibilem, sed non haberet materiam visibilem, & sensibilem, si conferretur moribundo absolutio, etiam si nulla dedisset contritionis signa neque in præsentia, neque in absentia sacerdotis: ergo tunc ne quidem sub conditione conferri potest absolutio. Major certa est; quia ut diximus in tractatu de sacramentis in communi, sacramentum est signum visibile. Diximus etiam quód *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*, juxta commune axioma Theologorum ex D. Augustino desumptum, idest, forma visibilis consistens in verbo vel formaliter, vel virtualiter accedit ad materiam visibilem, quæ est elementum vel formaliter, vel virtualiter; & hoc requiritur ut fiat sacramentum. Minor etiam probatur: nam quando nullum est signum contritionis nec in præsentia, nec in absentia sacerdotis, nihil est visibile, & sensibile, quod denotet contritionem pœnitentis, vel confessionem ejus saltem in communi: ergo non est contritio, & confessio visibilis, & sensibilis. Cum igitur contritio, & confessio pœnitentis sint materia hujus sacramenti Poenitentiæ, sicut absolutio est ipsius forma, sequitur quòd in illo casu non datur materia visibilis, & sensibilis, & quòd ita non potest applicari forma, sivè dari absolutio.

Respondeo, & est regula generalis, distinguendo

illam propositionem : Materia hujus sacramenti debet esse visibilis, & sensibilis, vel formaliter, vel virtualiter, concedo : formaliter semper, nego. Quando autem aliquis erat pius, & solitus frequentare sacramenta, tunc licèt repentino oppressus morbo signa contritionis dare non potuerit, tamen remanet in ipso virtualis contritio, & confessio visibilis, & sensibilis: nam illa visibilis, & sensibilis frequentatio sacramentorum, & pietas, erat virtualis, & interpretativa attestatio contritionis, & petitio absolutionis pro articulo mortis: & cum talis frequentatio, & pietas, quantùm moraliter conijci potest, remaneat virtualiter in hoc moribundo, quia licèt non remaneat in se ipsa formaliter, benè tamen in sua virtute, & suo effectu, quatenùs ipsum relinquit in statu, in quo erat dum sacramenta frequentaret, quantùm ad statum moralem; ideò virtualiter hoc totum visibile est, & sensibile.

Et quòd sufficiat illa materia virtualiter sensibilis, patet ex eo quòd omnes hujus temporis casuistæ docent absolvendum esse moribundum, qui non dedit signa contritionis nisi in absentia sacerdotis; quia licèt quando sacerdos præsens est, nullam habeat materiam formaliter sensibilem, benè tamen virtualiter, quia cum præsumatur moribundus in eodem statu, moraliter loquendo, remanere, in quo erat, dum signa dedit, ideo hujusmodi signa, quæ formaliter visibilia erant, remanent virtualiter, sivè in sua virtute, & suo effectu, nimirùm in illo statu, in quo posuerunt moribundum.

QUÆSTIO VII.

De satisfactione, Indulgentiis, & Purgatorio

SAtisfactio est quædam compensatio pro injuria Deo facta, cum proposito eum amplius non offendendi: & est duplex; una voluntaria, quæ à quolibet pœnitente pro arbitrio assumi potest ad expiandam pœnam temporalem, quæ superest, remissâ culpâ,

quando contritio non est tanta, ut sufficiat ad totam pœnam, sicut & culpam delendam: alia est sacramentalis, quam confessarius in foro conscientiæ injungit pœnitenti pro qualitate peccatorum, & ipsius dispositione; & hæc communi vocabulo pœnitentia nuncupatur, quia per ipsius executionem redditur integrum pœnitentiæ sacramentum, est enim ultima pars non quidem essentialis, sed integralis, sacramenti Pœnitentiæ.

Quia autem defectus satisfactionis nostræ suppleri potest per indulgentias; & adhuc si quis non expiavit totam culpam, & pœnam per satisfactiones, & indulgentias, super est ei persolvenda pœna in Purgatorio. Ideò agendo de Satisfactione in hac quæstione, summus occasionem agendi etiam de Indulgentiis, & de Purgatorio. Sed hæc omnia breviter expediemus, remittendo ea, quæ fusiùs dici possent, ad Theologiam Moralem D. Thomæ, ubi accuratiùs explicantur.

Hæretici negant necessitatem utriusque satisfactionis, quia existimant remissâ culpâ nullam remanere pœnam, & idcircò negant necessaria esse bona opera ad nostram justificationem, sicut & negant dari Purgatorium: quos suis locis impugnabimus: negant etiam satisfactionem sacramentalem, quia negant ipsum sacramentum Pœnitentiæ; sed quantùm ad hoc satis impugnati sunt supra.

ARTICULUS I.

De Operibus satisfactoriis: & quænam ad ipsa requirantur conditiones.

Concilium Tridentinum, sessione 14. de sacramento Poenitentiæ, Canone 3. sic loquitur: *Si quis dixerit pro peccatis quoad pœnam temporalem minimè Deo per Christi merita satisfieri, pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à sacerdote injunctis sed neque spontè susceptis, ut ieiuniis, & orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus; atque ideò optimam pœnitentiam esse tantùm novam vitam; anathema sit.* Ex quibus verbis.

Infertur 1. Opera satisfactoria convenientissim duci ad hæc tria, scilicèt orationem, jejunium, & mosynam: ita ut sub oratione comprehendantur nia pietatis exercitia: sub jejunio omnia quæ corpus affligunt, & illud spiritui subijciunt: & sub eleemosyna omnia obsequia proximo exhibita.

Probatur hoc elegantissimo discursu. Poenitentiæ sacramentum tripliciter potest considerari: vel in ratione communi sacramenti: vel in speciali ratione judicij: vel etiam sub speciali ratione remedij. Sed his tribus modis exigit ad sui integritatem hæc tria opera satisfactoria, vel collectivè, vel divisivè sumpta, prout exigit status poenitentis: ergo. Probatur minor primò. Sacramentum poenitentiæ in ratione sacramenti est institutum ad poenitentis sanctificationem, ac proindè ad ipsum rectificandum circa omnia bona sibi à Deo data: sed tria sunt genera bonorum, scilicet bona animæ, bona corporis, & bona fortunæ: & circa bona animæ rectè se habet per orationem: circa bona corporis per jejunium: & circa bona fortunæ per eleemosynam. Secundò: Sacramentum poenitentiæ in ratione judicij debet facere compensationem offensæ: Deus autem offenditur, quatenùs homo per peccatum & se, & sua subtrahit Diuino Dominio: offendit se ipsum peccator, quatenùs corpus suum subtrahit dominio animæ: offendit proximum, quatenùs ejus bona rapit. Undè oportet ad compensationem, quòd mens hominis subijciatur Deo, & ipsa mediante cætera omnia: & quòd corpus subijciatur spiritui: & quòd bonum proximo restituatur. Subijcitur autem mens hominis Deo per orationem: subijcitur corpus spiritui per jejunium: & plena fit compensatio proximo per eleemosynam. Tertiò: Sacramentum poenitentiæ in ratione remedij debet sanare morbos poenitentis: morbi autem spirituales, sivè peccata, ad tria genera reducuntur in Sriptura Sacra, scilicèt ad concupiscentiam carnis, cujus remedium est ieiunium; & concupiscentiam oculorum, cuius remedium est eleemosyna, quia per huiusmodi concupiscentiam oculorum intelligitur avaritia, cui contrariatur eleemosyna, & ut communiter dicitur, contraria contrariis curantur; & super-

biam vitæ quæ reprimitur per orationem, in qua homo humiliatur coram Deo, quem agnoscit omnium bonorum authorem.

Inferes 2. has esse conditiones satisfactionis sacramentalis, ut fiat in statu viæ, & sit opus liberum moraliter bonum, & supernaturale. In hac assertione conveniunt omnes Theologi.

Probatur: quia ut diximus, satisfactio sacramentalis est meritoria remissionis poenæ temporalis: ergo ad ipsam requiruntur illæ conditiones, quæ sunt necessariæ ad meritum. Sed diximus in tractatu de merito quòd non potest mereri nisi viator: quòd etiam opus meritorium debet esse liberum moraliter bonum, & ordinis supernaturalis, vel saltem ad finem supernaturalem ordinatum: ergo eædem conditiones requiruntur ad satisfactionem sacramentalem. Indè fit ut sicut animæ in purgatorio nihil ampliùs mereri possunt, ut diximus in eodem tractatu de merito, ita non possunt satisfacere, sed solummodò satispati. Hæc est autem differentia inter satispassionem, & satisfactionem, quòd illa exigit, ut reus patiatur quantùm satis est, ut ita loquar, idest, totam poenam à rigorosa iustitia taxatam: sed ista facit quòd reo fiat indulgentia, nec luat poenas ex toto rigore iustitiæ, sed aliquid ei remittatur, vel etiam totum. Et hæc distinctio est regula generalis ad præveniendas obiectiones.

Inferes 3. quòd opus satisfactorium in sacramento poenitentiæ debet esse poenale, & opus supererogationis: & ut suum consequatur effectum, debet fieri in statu gratiæ. In hac assertione differunt Theologi: quidam enim volunt non esse necessarium opus poenale: alii volunt sufficere opus obligationis: alii etiam dicunt, poenitentiam in statu peccati impletam, suum habere effectum. Sed tamen nostra sententia communior est, & probabilior.

Prima pars facilè probatur, & simul explicatur, distinguendo duplex opus poenale: aliud est poenale positivè, quod re vera affligit operantem, sicut ieiunium affligit illum, qui non est assuetus ieiunare: aliud est poenale privativè, quòd re vera non affligit, sed tamen privat aliquo bono utili, aut delectabili, sicut eleemosyna,

eleemosyna, quæ privat pecuniâ. Diximus ergo non esse necessarium quòd opus satisfactorium sit pœnale positivè, sed sufficit quod sit pœnale saltem privativè. Et in hoc conveniunt omnes Theologi.

Secunda pars dependet ex difficultate alibi explicanda, an scilicet per unum, & eumdem actum possimus satisfacere duplici præcepto: qui enim tenent partem affirmativam, consequenter docent per opus obligationis posse satisfieri præcepto pœnitentiæ. Qui verò tenent partem negativam, docent pœnitentiam iniunctam debere necessariò esse opus supererogationis. Existimo distinguendum esse, & dicendum quòd si observantia utriusque præcepti sit inseparabilis, per unicum actum utrique satisfit; v.g. si quis fecit votum jejunandi die veneris, & in eadem die sit præceptum Ecclesiæ de jejunio; constat quòd per unicum jejunium satisfacit & voto, & præcepto. Sed si observantia separari possit, tunc debet esse actus diversus, ut magis suo loco explicabimus. Cum ergo præceptum pœnitentiæ, sivè satisfactionis, separatim ab aliis observari possit, & præter opera obligationis, injungi possint pro pœnitentia quædam opera supererogationis, ita omninò separatim fieri debent.

Tertia pars dependet etiam ex alia difficultate alibi explicanda, quòd nempè finis præcepti non cadit sub præcepto, sed tantùm substantia operis: & ita si aliquis jejunet in statu peccati mortalis, nihilominùs satisfacit præcepto Ecclesiæ: ita ex eodem axiomate sequitur, quòd si quis pœnitentiam sibi injunctam adimpleat in statu peccati mortalis, satisfacit præcepto eam adimplendi. Nihilominùs diximus in tractatu de sacramentis in communi, quòd sacramenta fictè suscepta, id est, in statu peccati mortalis non causant gratiam, nisi postmodùm recedente fictione, idest, recuperato statu gratiæ: ita etiam dicendum in præsenti, quòd satisfactio impleta in statu peccati mortalis non habet suum proprium effectum, nisi postquàm pœnitens recuperat statum gratiæ, quia proprius satisfactionis effectus est veluti quædam gratia, sivè remissio, & condonatio pœnæ temporalis: gratia autem non fit inimicis, sed tantùm amicis: ergo cum homo in statu peccat,

mortalis sit inimicus Dei, & in statu gratiæ ejus amicus, non debuit fieri grata pœnæ remissiva in statu peccati, sed tantùm in statu gratiæ. Quomodo autem pœnitentia, quæ jam transiit, quando pœnitens redit ad statum gratiæ, possit suum habere effectum, eadem est difficultas, ac quomodo possint sacramenta fictè suscepta, quamvis transierint, nihilominùs causare gratiam, quando tollitur fictio, de quo satis diximus, agendo de sacramentis in communi.

ARTICULUS II.

Vtrùm teneatur pœnitens acceptare pœnitentiam, quæ iniungitur sibi à sacerdote.

Advertendum est primò, vel potiùs supponendum, quòd pœnitentia, quæ injungitur, debet esse rationabilis, ad hoc ut teneatur pœnitens eam acceptare: si enim sit irrationabilis, non utitur Sacerdos clavibus Ecclesiæ, sed ipsis potiùs abutitur: undè non tenetur pœnitens illi se subijcere, nec ipsius pœnitentiam acceptare. Sed difficultas est, an quando supponitur rationalibus satisfactio, & pœnitentia, quæ injungitur, teneatur pœnitens illam acceptare.

Advertendum est 2. id quod Concilium Tridentinum, sessione 14. capite 8. de satisfactione, sivè pœnitentia injungenda dicit; sic enim habet: *Debent ergo sacerdotes, quantùm spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones iniungere; ne si fortè conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad peccatorum præteritorum vindictam, & castigationem: nam Claves Sacerdotum non ad solvendum tantùm, sed etiam ad ligandum concessas antiqui Patres credunt, & docent.* His prænotatis,

Licèt aliqui ex antiquis Theologis dicerent non obligari pœnitentem ad acceptandam satisfactionem, sed posse respondere sacerdoti eam injungenti, quòd

vult satisfactionem remittere ad divinam Providentiam, acceptando omnia, quæ ipsa Dei providentia permittet ipsi evenire in punitionem suorum criminum: vel etiam velle satisfactionem differre usque ad alteram vitam, scilicèt in purgatorio, peragendam. Nihilominùs omnes modò Theologi, propter illam Concilij definitionem, oppositum tenent, ita ut prior illa opinio censeri debeat omninò improbabilis.

Conclusio: Tenetur pœnitēs acceptare pœnitentiā sibi iniunctam, dummodò aliundè supponatur rationabilis.

Probatur 1. ex prædicta authoritate Concilij Tridentini, in qua expressè dicitur, quòd secundùm sanctos Patres sacerdos potestatem habet nedùm absolvendi, sed etiam ligandi, applicando hujusmodi verba ad ipsam satisfactionis impositionem: sed constat, quòd si non teneretur pœnitens acceptare satisfactionem, sive pœnitentiam sibi injunctam, non posset sacerdos iniungens ipsum obligare, sivè ligare: ergo ex illa definitione Concilij patet, quòd ad illam acceptationem pœnitentiæ tenetur pœnitens.

Observandum est tamen, ut non suboriatur scrupulus pro ipsis confessariis circa prædicta Concilij verba: quòd ad hoc ut sacerdos non fiat particeps criminum pœnitentis injungendo poenitentiam, non requiritur semper, quòd pœnitentias ita graves injungat, sicut gravia sunt ipsa peccata: sed potest rationabiliter, immò etiam laudabiliter, attentis omnibus circumstantiis locorum, temporum, & personarum, diminuere de gravitate poenitentiæ, & eam alleviare, prout expediens judicabit, ut non deterreatur poenitens peccator, & non exponatur periculo peccandi non adimplendo pœnitentiam, vel etiam propter ipsius timorem non arceatur à sacramento poenitentiæ. Nihilominùs semper admonere debet poenitentem, quòd si graviorem non injungit poenitentiam, hoc non ideò est, quasi ipsius peccata non mereantur maiorem, cum in Ecclesia primitiva pro quolibet mortali peccato septem anni poenitentiæ iniungerentur: sed quia pia mater Ecclesia filiorum suorum fragilitati compatiens permittit ex consuetudine iam introducta, quòd poenitentia iniungatur potiùs juxta dispositionem ip-

ſius poenitentis, quàm iuxta gravitatem criminum eius. Hac autem monitione præmiſſa iam non exiſtimabit poenitens peccata ſua eſſe levia, etiamſi levis aliquando ei poenitentia iniungatur: & ſic confeſſarius non fit particeps criminum eius.

Probatur 2. Communiter ſancti Patres, & Doctores dicunt, quòd licèt ſatisfactio non ſit de eſſentia ſacramenti poenitentiæ, eſt tamen de ipſius integritate: ita ut licèt abſolutè loquendo, poſſit eſſentia huius ſacramenti ſubſiſtere ſine ſatisfactione, non tamen ipſius perfectio, & complementum. Cum igitur ſicut ſacerdos ita, & poenitens, quantùm eſt ex parte ſua, teneatur contribuere nedùm ad eſſentiam, ſed etiam ad complementum huius ſacramenti; ſequitur quòd & ſacerdos tenetur rationabilem poenitentiam iniungere, & poenitens tenetur eam acceptare.

Probatur 3. Et infertur ex noſtris principiis: quia Sacerdos adminiſtrat ſacramentum poenitentiæ per modum iudicii, & remedii: ſed de ratione iudicii eſt, quòd obliget ipſum reum ad ſatisfactionem exhibendam; & de ratione remedii eſt, quòd obligetur ægrotus ex ipſa rei natura ad illud pro ſua ſanitate recipiendum: ergo ſi iudicium ſupponatur rationabile, & conveniens ipſum remedium, ſivè ſatisfactio, & poenitentia rationabilis; tenetur reus, & ægrotus, ſivè poenitens eam acceptare.

Quæ ratio convincit nedùm teneri poenitentem ad acceptandam poenitentiam medicinalem, ſed etiam poenitentiam punitivam: quia ſicut ſacramentum poenitentiæ exercetur per modum iudicii in punitionem peccati, & per modum remedii ad ſanationem eius; ita ſatisfactio, & poenitentia utroque modo debet obligare poenitentem ad ipſius acceptationem.

Obiici poteſt ſolummodò, quòd præter ſacramentum poenitentiæ, poteſt facilè poenitens per alia plura opera ſatisfacere pro peccatis: vel etiam quòd poteſt in altera vita ſatiſpati in Purgatorio pro ipſis: ergo non tenetur in ſacramento poenitentiæ ſpecialem poenitentiam pro ſuis peccatis acceptare.

Reſpondeò facilè quòd poenitentia, & ſatisfactio pro peccatis dupliciter ſpectari poteſt: vel præcisè,

ut satisfactio est; & sic fatemur, quòd extra sacramentum poenitentiæ, sivè in hac, sivè in altera vita fieri potest: vel ut est sacramentalis, sivè requisita ad perfectionem, & complementum huius sacramenti poenitentiæ tum ut iudicii, tum etiam ut remedii: & hoc modo exigit, ut imponatur, & acceptetur in hoc sacramento. Et hæc est regula generalis pro iis, & aliis similibus obiectionibus solvendis.

ARTICULUS III.

An possit pœnitens authoritate propria alium loco sui substituere ad satisfaciendum.

Aliqui ex modernis casuistis dixerunt, quòd poenitens authoritate propria alterum loco sui substituere poterat ad satisfaciendum, sivè ad exequendam poenitentiā sibi iniunctam. Sed hæc est una ex illis propositionibus moralibus huius temporis quæ à summo Pontifice Alexandro VII. fuerunt condemnatæ. Undè hæc opinio est nunc omninò improbabilis, nec possumus eam tutâ conscientiâ sequi. Propterea sit.

Conclusio. Non potest pœnitens motu proprio alterum loco sui substituere ad implendam poenitentiam sibi iniunctam.

Probatur, & infertur ex nostris principiis. Sacramentum poenitentiæ exercetur per modum iudicii, & per modum remedii: ergo poenitens authoritate propria non potest alterum loco sui substituere ad satisfaciendum. Probatur consequentia: quia nemo iudex in propria causa, nec ullus medicus in proprio morbo, ut fert commune proverbium: eo quòd amor proprius impedit, quin possit sivè iudex in propria causa legitimam ferre sententiam, sivè medicus in proprio morbo convenientem præscribere medicinam: sed cum satisfactio iniungatur in sacramento poenitentiæ & per modum punitionis criminum, & per modum remedii ipsorum, ut diximus ex Concilio Tridentino in præcedenti articulo, si posset poenitens authoritate propria alium loco sui substituere ad satisfaciendum, foret iudex in propria causa, & medicus in suo mobo: Ergo ex

ipsa natura sacramenti poenitentiæ sequitur hoc fieri non posse.

Obiicitur 1. Si sacerdos iniungat pro poenitentia, ut detur eleemosyna, potest poenitens authoritate propria sivè ipsam dare immediatè per se ipsum, sivè ad ipsius distributionem alium substituere: ergo idem facere potest in aliis poenitentiis sibi iniunctis, cum non sit potior ratio de una, quàm de alia.

Respondeo, concedendo antecedens, & negando consequentiam: ratio discriminis est, quia sivè aliquis det eleemosynam per se ipsum, sivè per alterum, semper salvatur id, quod est formale, & principale in huiusmodi poenitentia, nempè privatio propriæ pecuniæ in favorem pauperum. Sed quando v. g. iniungitur poenitenti ieiunium, & ipse loco sui alterum substituit ad ieiunandum, tunc non salvatur id, quod est formale, & principale in huiusmodi poenitentia, sivè ieiunio, nempè afflictio carnis: nam ut ait D. Thomas, *ieiunium unius non affligit carnem alterius.*

Obiicitur 2. Non potest aliquis conteri, neque confiteri pro altero, etiam de licentia sacerdotis: ergo neque satisfacere pro altero etiam cum huiusmodi licentia: sed oportet, quòd sicut quilibet poenitens conteritur de suis peccatis, & ea confitetur; ita etiam est potior ratio de satisfactione, quàm de contritione, & confessione.

Respondeo, negando consequentiam, & paritatem: quia contritio, & confessio, ut ait D. Thomas, se habent ut remedium peccati: & quia medicina applicata uni, non prodest alteri ad sanitatem, ideó contritio, & confessio unius nequit prodesse ad sanctificationem alterius: sed oportet ut sicut ipse medicinam sumit ad sanitatem corporis, ita etiam conteratur, & confiteatur ad sanitatem animæ: satisfactio autem dupliciter sumi potest, vel prout est medicinalis, sivè in remedium peccati; & sub hac consideratione unus pro alio non satisfacit propter rationem iam dictam: vel prout est punitiva criminum; & sub hac ratione unus pro alio potest satisfacere. Nam sicut caput nostrum Christus Dominus omnes pœnalitates suas obtulit in satisfactionem peccatorum nostrorum: ita membra corporis

mystici, sivè Ecclesiæ sub eodem capite Christo, possunt sibi mutuó poenitentias applicare, ita ut ex fidelibus unus satisfaciat pro peccatis alterius. Et sic approbante confessario, ex propria ratione satisfactionis fieri potest, quód unus loco alterius ad satisfaciendum substituatur.

QUÆSTIO VIII.

De Indulgentiis, Purgatorio, Intercessione Sanctorum. & Censuris.

ARTICULUS I.

De Indulgentiis.

Advertendum est primó, quód multa de Indulgentiis dici possent, ad quorum intelligentiam sola lectio sufficit, ut videri potest in Morali Theologia D. Thomæ, verbo *Indulgentiæ*. Unde in hoc articulo ea solùm explicabimus, quæ aliquàm difficultatem præseferunt.

Advertendum est secundò, quód ut dicitur in tractatu de Incarnatione, satisfactio Christi Domini pro omnibus peccatis nostris nedùm est condigna, & rigorosa, sed etiam superabundans: & similiter opera satisfactoria Beatissimæ Virginis, & aliorum sanctorum, quæ fecerunt exemplo Christi Domini, nedùm sufficiebant pro expiatione peccatorum, quæ aliqui ex ipsis commiserant; sed etiam in quibusdam sanctis, qui non commiserunt nisi quædam venialia peccata, & præsertim in ipsa Beatissima Virgine, quæ ab omni prorsùs peccato exempta fuit, huiusmodi opera fuêre supererogatoria. Ne igitur id, quod superabundabat in hujusmodi operibus satisfactoriis Christi Domini, Beatissimæ Virginis, & omnium sanctorum, conveniens fuit, quòd ex ipsis conflaretur thesaurus quidam

ſpiritualis, cujus diſpoſitio ſpectaret ad Eccleſiam, ſivè ad ſummum Pontificem, & alios habentes ab ipſo juriſdictionem. Indulgentiæ autem conſiſtunt in applicatione huiuſmodi ſatisfactionum Chriſti, & ſanctorum in remiſſionem poenæ peccatis noſtris debitæ; ita ut per Indulgentias illa ſatisfactio nobis attribuatur, quaſi à nobis ipſis facta eſſet.

Concluſio: Conveniens fuit, huiuſmodi theſaurum eſſe in Eccleſia, ut nobis applicari poſſet in ſatisfactionem poenæ peccatis noſtris debitæ, atque ita poſſemus lucrari Indulgentias, quibus nobis indulgetur, ſivé condonatur ſatisfactio, quam ipſi nos facere teneremur, ſi non applicaretur nobis ſatisfactio Chriſti, & ſanctorum.

Probari poſſet primò pluribus authoritatibus Scripturæ, & Patrum: ſufficiat authoritas D. Pauli ad Coloſſenſes, capite primo, ubi ait, *Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.* Ubi Apoſtolus nedùm pro ſe, ſed etiam pro aliis fidelibus gaudet, quia etiam pro aliis patiebatur, ac proindé ſatisfaciebat, applicando paſſiones ſuas, & fructum, ac meritum earum, aliis fidelibus.

Nec refert, quòd reſpondent hæretici, quòd Apoſtolus patiebatur pro Eccleſia, ideſt, pro ædificatione Eccleſiæ, non autem pro ſatisfactione poenæ aliorum peccatis debitæ.

Nam contra eſt primò, quòd Apoſtolus patiebatur exemplo Chriſti Domini: cum igitur Chriſtus paſſus ſit nedùm ad ædificationem noſtram, ſed etiam applicando nobis opera ſua in ſatisfactionem poenæ peccatis noſtris debitæ, ſequitur quòd etiam Apoſtolus eodem modo patiebatur.

Secundò, Apoſtolus ait, quòd patiebatur pro Eccleſia, abſtrahendo ab omni modo: ergo cenſere debemus quòd patiebatur pro Eccleſia omni meliori modo, quo fieri poterat: cum igitur pati poſſet nedùm ad ædificationem fidelium, ſed etiam in ſatisfactionem poenæ peccatis eorum debitæ, ut patebit ſolvendo objectiones, dicendum eſt, quòd utroque modo paſſus eſt.

Tertiò, D. Augustinus in psalm. 61. expressè ait; *Patitur Christus in membris suis, idest in nobis ipsis, ad communem hanc quasi rempublicam, nempè Ecclesiam; ita quisque pro modulo nostro exolvimus, quod debemus:* Ergo ex mente D. Augustini nedùm sancti patiuntur pro nobis ad ædificationem nostram, sed etiam ad solutionem poenæ peccatis nostris debitæ.

Probatur 2. hac unica ratione, omissis, brevitatis gratiâ pluribus aliis. Christus Dominus voluit præbere se cautionem nostram satisfaciendo per suam passionem, & mortem pro poenis, quæ debebantur peccatis nostris: cum igitur omnes sancti conentur in omnibus Christum imitari, conveniens est, quòd eorum charitati tribuamus, ut simili modo patiantur ad satisfaciendum pro peccatis nostris: & fuit etiam valdè conveniens ad magis demonstrandam charitatem, bonitatem, & misericordiam Christi, & sanctorum erga nos omnes peccatores, ut fieret thesaurus spiritualis ex omnibus istis operibus superabundantibus, & supererogatoriis, quæ nobis applicarentur per Indulgentias à summis Pontificibus, & aliis authoritatem habentibus concessas. Et sanè si præcipuus finis Incarnationis fuit ut Christus satisfaceret pro nobis: & aliundè Indulgentiæ nihil aliud sunt, quàm applicatio hujusmodi satisfactionis ad membra Christi, sivè fideles, servatis omnibus servandis: constat, quòd Indulgentiæ maximè congruunt præcipuo fini Incarnationis.

Obiiciunt hæretici primò, quòd Christus Dominus superabundanter satisfecit pro nobis: unde fit ipsi injuria, si volumus satisfactiones sanctorum superaddere satisfactioni ipsius.

Secundò: Vel Indulgentiæ dantur ad tollendam culpam, vel ad tollendam poenam; neutrum dici potest; non primum, quia culpa non tollitur nisi per gratiam, si fuerit culpa mortalis: sed unus non se disponit ad gratiam pro altero: ergo ista applicatio operis unius ad alterum non est ad conferendam gratiam, & tollendam culpam. Secundum etiam dici nequit, quia sublatâ culpâ, tollitur omnis poena: Ergo non remanet lo-

cus Indulgentiis ad tollendam pœnam.

Respondeo, ad primum argumentum, si vellemus sanctificationes sanctorum habere suam vim, & efficaciam independenter à satisfactione Christi, concedo quòd ipsi fieret injuria: si tribuimus istam efficaciam satisfactionibus sanctorum dependenter à satisfactione Christi, sicut re vera tribuunt omnes Doctores Catholici, nego quòd fiat Christo injuria: immò est major ipsius gloria. Regula enim generalis est, quòd omnes sancti comparantur ad Christum, sicut omnes causæ secundæ, sivè creaturæ, ad causam primam, sivè Deum: undè sicut non diminuitur gloria Dei, sed potiùs augetur per hoc, quòd aliqua causalitas tribuitur causis secundis, quia in hoc relucet maxima perfectio Dei, qui nedùm causare potest immediate per se ipsum, sed potest etiam aliis, nempè creaturis tribuere virtutem causandi, & producendi plures effectus, semper tamen dependenter à concursu, & præmotione ipsius: ita in hoc relucet maxima Christi perfectio, quòd nedùm ipse per se ipsum potuerit satisfacere pro nobis, sed quòd etiam tribuerit sanctis suis eamdem virtutem nedùm satisfaciendi pro se ipsis, sed etiam pro aliis, semper tamen dependenter à meritis, & efficacia passionis, & mortis suæ.

Ad secundum, dico Indulgentias non dari ad tollendam culpam: quia sicut Christus quamvis superabundanter satisfecerit pro peccatis nostris, vult tamen quòd ipsi nos disponamus ad gratiam recipiendam; ita etiam non obstantibus quibuscumque Indulgentiis exigit in nobis, & à nobis dispositionem ad gratiam, scilicèt contritionem de peccatis, vel saltem attritionem cum sacramento Pœnitentiæ. Dimissâ autem culpâ mortali, hoc ipso remittitur pœna æterna, quia non remittitur culpa mortalis nisi propter gratiam, & quia ille, qui possidet gratiam, hoc ipso jus habet ad gloriam, undè etiam gloria dicitur gratia consummata, sicut gratia gloria inchoata: ideò nequeunt etiam Indulgentiæ dari ad remissionem pœnæ æternæ, per quam impediretur possessio gloriæ homini gratiam habenti. Verùm quia dimissâ omni culpa mortali, remissâ etiam pœnâ æternâ, quæ ipsi correspondet, adhuc ei corres-

pondere potest pœna temporalis: ideò ex hac parte datur locus Indulgentiis, quæ applicantur nobis ad remissionem hujusmodi pœnæ temporalis.

Quomodo autem non obstante remissione culpæ mortalis, & pœnæ æternæ, remanere possit pœna temporalis, licèt explicetur magis alibi, nihilominùs hîc breviter explicandum duxi. Debemus enim advertere, quòd aliquis peccando mortaliter, avertitur à Deo tanquàm fine ultimo, & convertitur ad creaturam tanquàm finem ultimum: è contra verò, pœnitendo, avertitur à creatura tanquàm fine ultimo, & convertitur in Deum tanquàm finem ultimum. Hujusmodi autem aversioni à Deo correspondet pœna damni, seu privatio beatificæ visionis, in qua essentialiter consistit damnatio; & conversioni ad creaturam correspondet poena sensus, sivè poena quædam sensibilis, quæ est accidentalis ipsi damnationi. Igitur per gratiam sicut tollitur omnis culpa mortalis, ita tollitur aversio à Deo, & fit conversio in ipsum: tollitur etiam poena damni; tollitur poena sensus æterna: immò si peccator, æquè intensè per contritionem se se convertat in Deum, sicut se se converteret in creaturam, tollitur omnis prorsùs poena etiam temporalis: & ideò communiter dicitur, quòd potest tanta esse contritio, ut omnem poenam non minùs, quàm culpam deleat; ita ut si poenitens tunc moreretur, statim cælum intraret non transeundo per Purgatorium. Sed si complacentia, quam habuit peccator in creatura, major fuerit, quàm complacentia, quam habet in Deo, dum se convertit in ipsum, tunc remanet poena temporalis. Si v.g. sibi complacebat in creatura ut decem, & non sibi complacet in Deo, nisi ut quinque, remanet poena temporalis, ut quinque, ad expiandum illum excessum complacentiæ. Et ad hanc poenam temporalem tollendam dantur Indulgentiæ. Sed ut jam diximus, explicabitur magis alibi, quomodo illa poena temporalis possit correspondere culpæ jam remissæ.

ARTICULUS II.

De Purgatorio.

Conclusio : Datur locus Purgatorij, in quo animæ justorum expjare debent vel peccata venialia, vel poenam temporalem peccatis mortalibus debitam, quando non plenè satisfecerunt in hac vita. Ita omnes Catholici Doctores contra hæreticos hujus temporis.

Probatur 1. authoritate Scripturæ: nam Christus Dominus, Matthæi 12. loquens de peccato contra Spiritum Sanctum, ait *Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Qui sermo Christi superfluus esset, si in altero sæculo nullum remitteretur peccatum. Ergo necesse est admittere Purgatorium, in quo remittantur peccata venialia tam quoad culpam, quàm quoad poenam: immò etiam peccata mortalia, non quidem quoad culpam, nec quoad poenam æternam, sed quoad poenam temporalem ipsis correspondentem. Hoc unico testimonio usi sunt D. Augustinus, & D. Bernardus contra hæreticos sui temporis, qui Purgatorium negabant, sicut & hæretici nostri temporis.

Nam D. Augustinus, libro 21. de civitate Dei, capite 24. postquàm dixit aliquos esse, quibus suffragia vivorum post mortem non sunt necessaria, sicut illos, qui sunt in Paradiso: alios verò, quibus prodesse non possunt, sicut eos, qui sunt in inferno: quosdam verò esse in statu medio, quibus suffragia vivorum prodesse possunt, & necessaria sunt; rationem subdit his verbis, *Neque enim de quibusdam veraciter diceretur, quòd non eis remittatur neque in hoc sæculo, neque in futuro, nisi essent, quibus etsi non in isto, tamen remitteretur in futuro.*

Et D. Bernardus sermone 66. in Cantica de quibusdam sui temporis hæreticis ita loquitur: *Non credunt ignem purgatorium restare post mortem, sed statim animam solutam à corpore vel ad requiem transire, vel ad damnationem. Quærant ergo ab eo,*

qui dixit quoddam peccatum esse , quod neque in hoc dixerit , si nulla manet in futuro remissio, pur- sæculo neque in futuro remitteretur , cur hoc gatione peccati. Ex quibus verbis habemus, quod non solùm iste locus Scripturæ convincit dari Purgatorium, sed etiam quòd antiqui non minùs, quàm moderni hæretici Purgatorium negarunt: sicut è contra semper Doctores Catholici ipsum admiserunt. Omitto brevitatis gratiâ alia plura Scripturæ, & Patrum testimonia, quæ pro nostra conclusione afferri possent.

Probatur 2. Et infertur tum ex dictis in articulo præcedenti, tum ex iis quæ dicta sunt in tractatu de Gratia, & in tractatu de peccatis. Diximus enim fieri posse, ut dimissâ omni culpâ mortali, dimissâ etiam poena æterna, remaneat solvenda aliqua poena temporalis. Et quia ut Evangelium ait , *Nihil coinquinatum introibit in regnum cœlorum* , sivè nullus fruetur visione Dei , nisi purgatus ab omni culpa , & ab omni poena ipsi debita : ideò si contingat justum tunc mori, quando superest ei hujusmodi poena solvenda, necesse est, priusquàm Coelum ingrediatur, quòd ab ea purgetur. Ubicumque autem fiat ista purgatio , & quomodocumque fiat , hoc est , quod vocamus Purgatorium : ergo est admittendum.

Ostendimus etiam in citatis tractatibus , quomodo peccata venialia non tollant gratiam , & charitatem, sed solummodò diminuant fervorem charitatis. Si igitur aliquis moriatur in statu gratiæ , & charitatis, nihilominùs aliundè contraxerit aliqua peccata venialia, necesse est , quòd expientur in Purgatorio , quia ut jam diximus ex Evangelio , nihil coinquinatum introibit in regnum Coelorum ; status enim gloriæ talem , ac tantam exigit puritatem in animabus sanctorum , ut non possit pati ullum prorsùs peccatum sivè mortale , sivè veniale quantumvis minimum , quod non fuerit totum , ac totaliter expiatum quoad culpam , & totam poenam ante possessionem visionis beatificæ.

Objiciunt hæretici primò , quòd Ecclesiastis 11. dicitur. *Si ceciderit lignum ad Austrum , aut ad Aquilonem , in quocumque ceciderit , ibi erit.*

Quorum verborum sensus est, in quocumque statu invenitur anima post mortem sivè in Paradiso, sivè in Inferno, semper ibi manet, proindéque non datur locus intermedius, sivè purgatorius inter Paradisum, & Infernum.

Respondeo 1. retorquendo argumentum; non enim negant hæretici, nec negare possunt fuisse Limbum Sanctorum Patrum, in quo eorum animæ detinebantur quousque in adventu, & ascensione Christi ex ipso extractæ sunt, & in Paradisum translatæ, ut ibi fruerentur visione beatifica, quâ non fruebantur antea: ergo tenentur admittere tertium quemdam locum intermedium Paradiso, & Inferno.

Respondeo 2. Quòd iste locus Scripturæ cum aliis similibus optimè convincit inter Paradisum, & Infernum non dari locum intermedium, qui sit permanens, & æternus: sed tamen dari posse intermedium, si sit transiens, & ad tempus. Nam sicut animæ Patrum erant in Limbo non pro semper, & in æternum, sed solùm per modum transeuntis, & ad tempus, ideóque censebantur ad statum patriæ pertinere: ita similiter animæ in purgatorio, quia non sunt ibi nisi transeunter, & pro tempore, quousque expiaverint omnia peccata sua, & destinantur ad æternam beatitudinem, idcircò censentur pertinere ad patriam, quia maximè in modo loquendi Scripturæ Sacræ, verificantur hæc axiomata; *Nullum bonum nisi æternum*; Nullum *malum nisi æternum*.

Objiciunt 2. ex Divo Augustino, Libro 5. Hypognostici, capite 5. ubi ait, *Primum locum fides Catholicorum Divina authoritate credit Regnum esse Cœlorum; secundum gehennam, ubi omnis apostata, vel à Fide Christi alienus æterna supplicia experietur: Tertium penitùs ignoramus, immò nec esse, in Scripturis sacris inveniemus.* Ergo ex sancto Doctore non datur ille intermedius Purgatorij locus.

Respondeo primò, quòd ex illa etiam authoritate sequeretur nullum fuisse Limbum Sanctorum Patrum,

quandoquidem est etiam locus intermedius non minus, quàm purgatorius.

Respondeo 2. sanctum Augustinum ibi loqui contra Pelagianos, & Semipelagianos, qui cum dicerent parvulos non contrahere peccatum originale, proindéque non damnari propter ipsum: aliundè ante Baptismum, in quo gratiam recipere debent, non posse ingredi regnum cœlorum: consequenter statuebant pro illis parvulis ante Baptismum morientibus quemdam locum medium inter Paradisum, & Infernum, in quo medio loco per totam æternitatem fruerentur beatitudine naturali. Hunc locum intermedium, & æternum, de quo alibi plura diximus, negat D. Augustinus, non autem locum intermedium, & transitorium purgatorij, quem ex ipso ita clarè probavimus: similique modo explicari debent plura testimonia Patrum, omissis aliis explicandi modis.

Objicitur ultimò, quòd ut ostenditur in tractatu de merito, non datur locus meriti post hanc vitam: ergo animæ in Purgatorio non possunt mereri remissionem ullius culpæ, vel pœnæ.

Sed facilè respondetur, animas purgatorij non expiare culpam, aut pœnam per meritum, aut satisfactionem, sed solùm per satispassionem: quia re vera non satisfaciunt, sicut nos, nec merentur remissionem culpæ, aut condonationem pœnæ; sed solùm satispatiuntur, sivè solunt totum, quod debent, ad rigorem justitiæ, ita ut sine ulla condonatione patiantur totam pœnam peccatis suis debitam.

ARTICULUS III.

De Intercessione Sanctorum.

Opportunum visum est & aliquid hîc dicere de intercessione sanctorum; tum quia eorum intercessio multùm conducit ad satisfactionem nostram: tum quia hæretici nostri temporis multa clamant contra invocationem sanctorum & aliundè quotquot sunt celebres controversiæ, statutum est singulas in decursu nostræ Theologiæ resolvere.

Conclusio: Utilis est Sanctorum invocatio: & ipsi pro nobis intercedunt, ut obtineant nobis omnia ad salutem necessaria. Ita catholici contra hujus temporis Hæreticos.

Probatur hoc unico, sed efficaci argumento, aliis brevitatis gratiâ prætermissis. Apostolus ad Colossenses 4. ait *Orationi instantes, orantes simul & pro nobis.* Et 2. ad Thessalonicences 3. *Fratres orate pro nobis, ut sermo Dei currat, & clarificetur, sicut & apud vos.* Ex quibus testimoniis formatur hoc argumentum: Licitum est invocare sanctos adhuc in hac mortali vita, & in Ecclesia militante existentes & supponitur, quòd eorum intercessio nobis prodesse potest: Ergo à fortiori licebit invocare sanctos in altera vita, & in Ecclesia triumphante existentes, nobisque proderit eorum intercessio. Antecedens conceditur ab Hæreticis, nec ab eis negari potest propter hæc duo expressa testimonia, in quibus Divus Paulus rogat sanctos sui temporis, ut orent pro ipso; & ita eos invocat, & credit quod eorum intercessio sibi utilis erit ad fructum Evangelij. Consequentia verò probatur: Quia si sancti adhuc in hac vita existentes, in qua nondùm sunt confirmati in gratia, sed eam amittere possunt peccando, & fieri reprobi; nihilominùs possunt pro nobis intercedere, & utile est eos invocare: à fortiori in patria, ubi sunt in gratia confirmati, nec unquàm peccare possunt, & ita sunt amici Dei ut nunquàm fieri possint ipsius inimici; à fortiori pro nobis intercedere possunt, & à fortiori eos possumus invocare.

Objiciunt primò Hæretici, quod invocatio sanctorum est injuriosa ipsi Deo, & Christo Domino: ergo non est licita. Probatur antecedens: Signum est, quod non habemus plenam in aliquo fiduciam, quando ad alium, præter ipsum, recurrimus: ergo si ad sanctos recurramus pro salute nostra obtinenda, signum est qnod non plenè confidimus de bonitate, & misericordia Dei, quod est ipsi facere injuriam. Similiter cum Christus sit solus mediator Dei, & hominum, ipsiusque merita non solùm sufficiant ad nos omnes saluandos, sed etiam sint superabundantia, est ipsi

facere

facere injuriam quærere alios mediatores , & in illorum meritis confidere.

Respondeo 1. retorquendo argumentum : quia similiter esset facere injuriam Deo , & Christo recurrere ad sanctos Ecclesiæ militantis , quasi non haberemus plenam fiduciam in sola bonitate Dei , vel in sola mediatione Christi. Vel si hæretici dicunt , sine ulla prorsus injuria bonitatis Dei , & meritorum Christi nos posse invocare sanctos Ecclesiæ militantis : simili etiam modo dicent Catholici licitam esse invocationem sanctorum Ecclesiæ triumphantis , citra ullam iniuriam Dei , & Christi.

Respondeo 2. facilè iuxta Regulam sæpiùs explicatam , distinguendo omnes huiusmodi propositiones : Si recurreremus ad invocationem sanctorum : si ipsos tanquàm mediatores assumeremus , independenter à misericordia Dei & mediatione Christi concedo quod utrique fieret iniuria : si hoc totum fiat cum debita subordinatione ad Deum , & Christum , & cum dependentia ab utroque , nego quod fiat iniuria , immó potius augetur utriusque gloria : nam ut sæpiùs diximus , maior est demonstratio perfectionis causæ primæ , quòd creaturis conferat virtutem causandi , dependenter tamen à suo influxu , atque ita eas faciat causas secundas , quàm si ipse Deus solus foret causa rerum omnium : Ita major est demonstratio bonitatis , & misericordiæ Dei , quod velit sanctos esse cooperatores nostræ salutis per suas intercessiones , quàm si ipse solus salutem omnium operaretur. Sic igitur maior est fiducia nostra in bonitate , & misericordia Dei , quando ad sanctos recurrimus , credendo firmiter, quòd ex maxima misericordia Dei fit ut eorum intercessio sit nobis utilis, quàm si ad ipsum solum haberemus recursum. Similiter maior relucet efficacia meritorum Christi in hoc , quód ad suam mediationem sibi vult associare sanctos , quam si ipse solus esset mediator. Et quamvis in Scriptura dicatur , *unus mediator* ,hoc tamen *dicitur per* Antonomasiam , quia ipse est primus mediator , & alij omnes sunt tantùm secundi mediatores ipsi subordinati , & ab eo dependentes :

ſicut dicitur unus magiſter, quia alij nihil docere debent, niſi quod ab ipſo didicere.

Objiciunt 2. inutilem eſſe ſanctorum invocationem quia nequeunt audire orationes noſtras, nec ſciunt ea, quæ circa nos aguntur: unde Eccleſiaſtis 9. dicitur, *Viventes ſciunt ſe eſſe morituros, mortui verò nihil noverunt ampliùs.*

Reſpondeo facilè, quòd ſancti orationes noſtras cognoſcunt in ipſo Verbo per ſuam viſionem beatificam, quia ut diximus in tractatu de beatifica viſione, ſancti cognoſcunt omnia, quæ concernunt ſtatum ſuum, & quæ naturaliter ſcire deſiderant. Et quia naturale eſt unicuique deſiderare notitiam eorum, qui ad ipſum recurrunt, ut illis ſubvenire poſſit, præſertim in ſanctis, qui ſunt pleni bonitate, & miſericordia erga alios; idcirò ad eorum ſtatum pertinet cognoſcere orationes, quas ad eos dirigimus, ut pro nobis intercedant, & ea quæ poſtulamus, impetrent. Ipſa igitur betifica viſio, quæ per ſe primò Deum ſanctis manifeſtat, ſecundariò etiam manifeſtat orationes noſtras. Et quamvis earum notitiam non haberent per ipſam viſionem beatificam, attamen Deus eas ipſis revelaret, ut ſuis interceſſionibus cooperando ſaluti noſtræ, eorum gloria augeatur. Nam ſi 1. Regum, capite 9. & etiam 4. Regum, capite 16. & aliis pluribus Scripturæ locis, habetur de Eliſeo, & aliis, quòd Deus eis revelavit ea omnia, quæ fiebant ab abſentibus, & longè diſtantibus, à fortiori certiſſimum eſt, quòd Deus beatis revelare poteſt ea omnia, quæ circa nos aguntur, quantùmuis diſtemus ab ipſis.

Locus autem Scripturæ in objectione allatus, intelligitur de patribus veteris Teſtamenti, qui uſque ad adventum Chriſti detinebantur in limbo, qui dicitur limbus Patrum, ubi non erant in ſtatu intercedendi ſaltem in particulari pro illis, qui adhuc vivebant; undè particularem eorum ſtatum non cognoſcebant: ſicut modò, ex mente Divi Thomæ, animæ Purgatorij non ſunt in ſtatu intercedendi pro nobis, ſed ſolùm ſatiſpatiendi pro ſe ipſis; undè in litaniis, quamvis omnes ſancti

invocentur, non invocantur tamen animæ Purgatorij. ſed ſemper manet quòd ſancti in novo Teſtamento, quando viſione Dei fruuntur, noſtras orationes audiunt, & pro nobis intercedunt.

ARTICULUS IV.

De Cenſuris.

Placuit etiam pro complemento hujus quæſtionis, & Tractatus de Pœnitentia, aliquid addere de Cenſuris, ut nulla ſit difficultas, quam non examinemus in Theologia. More autem ſolito ea ſolùm, quæ difficilia videri poſſunt, diſcutiemus; cætera, quæ vel facilia ſunt, aut certè minùs utilia, & neceſſaria remittimus ad Moralem Theologiam Divi Thomæ, vel ad alios caſuiſtas.

Quia in Morali Theologia Divi Thomæ non fit ſermo de cenſuris in communi, propterea operæ pretium viſum eſt explicare omnem genericam cenſuſuram.

Cenſura igitur nihil aliud eſt, quàm correctio Eccleſiaſtica, quâ Eccleſia punit crimina, & transgreſſiones, ut per hujuſmodi pœnam peccatores redeant ad pœnitentiam. Dicitur autem cenſura, *nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ* capite *Inter. De conſuetudine*, quia quemadmodum vires hominis conſiſtunt in nervis, ita vires Eccleſiæ ad reducendos homines ad pœnitentiam conſiſtunt in pœnis cenſurarum.

Dividitur autem cenſura ut ſic, tanquàm genus, in tres cenſurarum ſpecies, ſcilicèt excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum.

Excommunicatio dicitur, quia per ipſam homo ponitur extra communionem ſive communicationem fideliũ, aut ſacramentorum. Et eſt excommunicatio minor, quando privat hominem cõmunicatione tantũ paſſiva, ſivè receptione ſacramentorum: ſicut eſt excommunicatio major, quando privat communicatione tam activa, quàm paſſiva, ſivè tam adminiſtratione, quàm receptione ſacramentorum, & ipſo etiam conſortio fidelium.

Suſpenſio verò eſt cenſura Eccleſiaſtica, quâ perſonis Eccleſiaſticis prohibetur exercitium ſui ordinis, officij, iuriſdictionis, aut beneficij, in totum, vel in partem, ad certum tempus, vel in perpetuum.

Interdictum autem eſt quædam prohibitio, quâ in aliquibus terris, vel eccleſiis, vel perſonis interdicitur adminiſtratio ſacramentorum, vel celebratio divinorum officiorum, aut executio aliquorum ſpiritualium.

Irregularitas propriè loquendo non eſt cenſura, quamvis reducatur ad cenſuras: ſed eſt impedimentum canonicum ex facto, vel defectu proveniens, quo aliquis impeditur, ne ad ordines promoveri poſſit; vel iam promotus, in eis adminiſtrare prohibetur Idcircò autem non eſt cenſura directè, ſed reductivè tantùm, quia cenſura eſt poena propter aliquod crimen inflicta: irregularitas autem quandoque cum crimine, quandoque ſine crimine, contrahitur; immò etiam aliquando ex defectu purè naturali. Quia tamen irregularitas ſimiles habet effectus, ſicut cenſura, ideò reductivè ad ordinem cenſurarum pertinet.

De his omnibus, præſertim verò de excommunicatione videri poteſt Theologia Moralis Divi Thomæ.



QUÆSTIO VIII.

De reliquis Sacramentis.

Quia de reliquis ſacramentis, ſcilicèt Extrema-Unctione, Ordine, & Matrimonio, non ſunt ſpeciales difficultates, quæ in ſcholis agitari ſoleant: aliundè ea, quæ ſola lectione intelligi poſſunt, fuſiſſimè traduntur in Theologia Morali D. Thomæ, ſub propriis vocabulis huiuſmodi ſacramentorum: ideò ſufficit unica quæſtio ad expedienda ea, quæ hæc tria ſacramenta concernunt. Sic igitur.

ARTICULUS I.

An detur in Ecclesia verum Sacramentum Extremæ-Unctionis.

Hæretici nostri temporis negant sacramentum Extremæ-Unctionis. Contra quos sit Catholica.

Conclusio : Extrema-Unctio, quæ in Ecclesia solet adhiberi infirmis, est verum sacramentum.

Probatur 1. & principaliter contra hæreticos, authoritate Scripturæ : Signum enim sensibile invisibilis gratiæ est verum sacramentum, ut patet ex definitione sacramenti tradita initio tractatus de sacramentis in communi: sed Extrema Unctio talis est, ex ipsa Scriptura : ergo. Probatur minor : nam D. Jacobus ait in sua Epistola : *Infirmatur quis in vobis ? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio Fidei salvabit infirmum : & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittentur ei.* Ex quibus verbis habetur primò signum externum visibile, & sensibile cum dicitur, ungentes eum oleo in nomine Domini. Secundò habetur effectus invisibilis, & spiritualis, scilicèt salus infirmi, & remissio peccatorum ipsius. Ergo habetur visibile signum invisibilis gratiæ, proindéque sacramentum.

Respondent primò aliqui ex hæreticis, præsertim Lutherani, illam Epistolam D. Jacobi non esse canonicam, sed apocrypham, sivè dubiæ fidei.

Sed contra : quia D. Augustinus, D. Hieronymus, aliique Sancti Patres utuntur testimonio D. Jacobi in prædicta Epistola non minùs, quàm testimoniis Evangelistarum, ut videri potest apud controversistas. Cum igitur potiùs credendum sit Sanctis Patribus, quàm hæreticis, dicendum est hanc Epistolam esse canonicam.

Respondent 2. alij, præsertim Calvinistæ, quòd in hoc loco nihil aliud vult Apostolus, nisi quòd presbyteri exhortentur infirmum, & excitent fidem, & spem ipsius ; illa autem unctio adhibetur tantùm ad

designandam unctionem internam, quæ fit per spiritum sanctum in remissionem peccatorum infirmi. Et hoc præsertim inferri videtur ex eo, quòd hujusmodi unctio fit simul cum oratione ad hoc, ut impetretur peccatorum remissio, quæ non est effectus debitus huic sacramento ex opere operato.

Sed contra: Nam quamvis in illa Unctione interveniat oratio, & exhortatio ifstans fidem ipsius infirmi, hoc non impedit rationem sacramenti, etiam secundùm principia Hæreticorum: Ergo nulla solutio. Probatur antecedens: quia quando adultis confertur baptismus, vel etiam ipsis datur cœna, vel eucharistia, in administratione utriusque sacramenti, secundùm ipsos Hœreticos, excitatur fides & tamen sivè baptismus, sivè eucharistia sunt vera sacramenta per hoc præcisè, quòd sunt signa sensibilia, quæ repræsentant invisibilem gratiam, quamvis hujusmodi gratia sit conferenda mediante fide. Ergo similiter unctio illa est sacramentum hoc ipso, quòd est signum sensibile repræsentans gratiam invisibilem quamvis hæc gratia sit mediante fide conferenda.

Probari etiam 2. potest conclusio pluribus sanctorum patrum authoritatibus: sufficiat unica Divi Augustini, libro 5. de baptismo, capite 20. ubi facit mentionem quatuor sacramentorum novæ legis, scilicèt Baptismi, & Extremæ Unctionis, Eucharistiæ & Pœnitentiæ: ait enim, *Si ad hoc valet, quod dictum est in Evangelio, ut per peccatorem sacramenta non celebrantur, quomodo exaudit homicidam deprecantem vel super aquam Baptismi vel super Oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponuntur?* Et sermone 215. de tempore, usum, & effectum hujus sacramenti Extremæ Unctionis commendat ex ipsa Scriptura his verbis, *Quoties infirmitas aliqua super venerit, Corpus, & Sanguinem Christi ille, qui ægrotat accipiat; & deindè corpusculum suum ungat, ut illud quod scriptum est, impleatur in eo, infirmatur quis ex vobis, &c.*

Probatur 3. & infertur ex dictis de numero sacramentorum: Conveniens enim est, quòd sicut ad per-

fectam sanitatem corporis dantur remedia nedum ad tollendos morbos, sed etiam ad tollendas morborum reliquias: ita etiam in spiritualibus detur nedùm remedium ad tollenda peccata, tanquàm morbos spirituales, sed etiam ad tollendas hujusmodi morborum spiritualium, sivè peccatorum, reliquias, scilicèt quandam veluti infirmitatem ad ipsum virtutis bonum; sicut qui corporaliter ægrotavit, remanet debilis, & infirmus ad ambulandum. Igitur sicut datur sacramentum Pœnitentiæ, per quod tolluntur peccata, ita dari debet sacramentum Extremæ. Unctionis, per quod tollantur peccatorum reliquiæ.

Objiciunt primò Hæretici. Dicitur in Evangelio Divi Marci, capite 6. quando Christus misit Apostolos ad prædicandum; quod *ungebant oleo* multos ægrotos, & sanabantur: sed unctio ista erat tantùm curativa, non verò sacramentalis: ergo & illa, de qua fit sermo in epistola Divi Jacobi: cum non sit potior ratio de una, quàm de altera.

Respondeo, negando paritatem: quia in illa prima unctione non fit mentio remissionis peccatorum, sicut in secunda. Et quia sacramenta ordinantur ad remissionem peccatorum, ideó fundamentum habemus dicendi istam alteram unctionem esse sacramentalem illam veró, de qua meminit Divus Marcus loco citato, esse solummodó adumbrationem, & figuram ipsius Unct s sacramentalis, sivè sacramenti Extremæ Unctionis.

Objiciunt 2. Quód in Ecclesia Romana non confertur sacramentum Extremæ-Unctionis, sicut præcipitur in illo loco Divi Jacobi: Nam ut ibi habetur, vocari debent plures Sacerdotes; & nunc unicus adhibetur Sacerdos ad hujus sacramenti administrationem. Ibidem etiam expressè habetur, quòd sufficit aliquem esse infirmum, ut tale sacramentum ei exhibeatur; & tamen modò expectatur, quòd infirmus sit in extremitate, siuè moribundus, ut tale sacramentum ei detur. Denique effectus sacramentorum est infallibilis, undè non adhibetur oratio ad ipsum impetrandum, sed applicatur sacramentum ad producendum effectum. Cum igitur in illa Unctione requiratur oratio ad

impetrandum effectum, sequitur, quod non est effectus sacramentalis.

Respondeo, quoad primam partem, non esse de necessitate, quòd plures presbyteri conveniant ad administrationem huius sacramenti, sed tantùm de congruentia, ut solemniùs exhibeatur: & quando plures conveniunt, non debent omnes facere unctionem, sed unus tantùm ad hoc sufficit, & requiritur: alij verò orare debent pro salute infirmi. Ad secundam partem, dico, sermonem esse de infirmo, qui supponitur remanere infirmus, etiam si adhibita fuerint remedia naturalia; & talis infirmus supponitur esse in extremitate; & tunc ista unctio sacramentalis adhibetur in supplementum, & defectum remediorum naturalium, ut remedium supernaturale. Denique ad ultimam partem, dico, orationem specialiter adhiberi in hoc sacramento Extremæ Unctionis, quia duplex est effectus ipsius: alter spiritualis, & invisibilis, scilicèt remissio peccatorum, si supponatur infirmus in statu peccati * vel saltem emundatio à reliquiis peccatorum, & ablatio earum, si infirmus non sit in statu peccati, sed in statu gratiæ; & talis effectus est infallibilis, nec ad ipsum requiritur oratio. Alius effectus autem est sensibilis, & visibilis, nempè sanitas corporis, quæ confertur quando expedit ad salutem animæ; & talis effectus non est infallibilis, ideòque adhibetur oratio ad ipsum impetrandum.

Advertendum est autem, quòd ideò dicitur, si in peccatis fuerit, quia sicut dicebamus supra, quòd si aliquis existens in statu peccati mortalis, accedit ad Eucharistiam bona fide, remittuntur ei peccata: ita similiter si aliquis in statu peccati mortalis existens, bona fide recipiat Extremam Unctionem, remittuntur ei peccata: quamvis unusquisque curare debeat, ut sit in statu gratiæ, sivè ut recipiat Eucharistiam, sivè Extremam Unctionem, quia non sunt sacramenta mortuorum, sed vivorum.

* *Intelligitur iuxta doctrinam superiùs sæpe tradi. quod tam, sacramenta vivorum causant primam gratiam, non per se, sed per accidens, ut hic etiam insinuat.*

ART.

ARTICULUS II.

Utrùm Extrema-Unctio semper infallibiliter conferat salutem corporis, quando expedit ad salutem animæ.

Advertendum est, quòd Extrema-Unctio quia dicitur extrema; in extremis confertur. Definiri autem potest, Signum sacrum in unctione infirmorum sub præscripta verborum forma, ad salutem animæ, & corporis divinitùs institutum. Undè materia ipsius remota est oleum infirmorum; materia proxima est unctio super corporis partes, in quibus vigent sensus: forma autem sunt verba, quæ præscribuntur in rituali, ubi etiam designantur partes, quæ inungi debent. Certum est apud omnes, quòd primarius, & principalis effectus hujus sacramenti est tollere reliquias morborum spiritualium, sivè infirmitatem spiritualem contractam ex præcedentibus peccatis. Certum etiam est, quòd minùs principalis, & secundarius effectus ipsius est restitutio sanitatis corporalis. Dubitatur tamen, an talis effectus sit semper infallibilis. Aliqui enim ex Thomistis, sicut & ex aliis Theologis docent oppositum. Sed conclusio sequens est communis inter Thomistas.

Conclusio: Sacramentum Extremæ Unctionis semper infallibiliter confert salutem corporis, dummodò expediat ad salutem animæ: & aliundè nullum sit impedimentum ex parte suscipientis ipsum sacramentum.

Probatur hæc unica ratione, sivè sola authoritate: Quæ enim dependent ex puro Dei beneplacito, non possunt aliter à nobis cognosci, quàm ex Sanctis Patribus, & Doctoribus, quibus mediantibus manifestatur voluntas Dei: sed Sancti Patres, & Doctores exprèssè docent conclusionem nostram; sufficiat autem aliis prætermissis, authoritas Concilij Tridentini, cum authoritate D. Thomæ. Concilium enim, sessione 14. capite 2. de Extrema-Unctione. exprèssè ait, *Infirmum sanitatem corporis, ubi saluti ani-*

ma expedit, consequi. Et D. Thomas hanc sententiam fusè docet 4 sententiarum, distinctione 24. quæstione 1. articulo primo, quæstiuncula 2. in corpore; ubi tandem concludit his verbis, *Extrema-Unctio non facit corporalem sanationem ex proprietate naturali materiæ, sed ex virtute Divina, quæ operatur rationabiliter: Et quia ratio operans nunquàm inducit secundarium effectum, nisi secundùm quòd expedit ad principalem: ideò ex hoc sacramento non acquiritur corporalis sanatio semper, sed quãdo expedit ad spiritualem sanationem, & tunc semper eam inducit, dummodò non sit impedimentum ex parte recipientis.* Huc usque D. Thomas, qui etiam videri potest in Theologia Morali, Verbo, *Unctio extrema.*

Objici posset, quòd in Confirmatione, & in Eucharistia effectus non est semper infallibilis: datur enim Confirmatio ad protestandam fidem, & tamen sæpiùs Confirmati fidem abnegant in persecutione. Datur etiam Eucharistia ad vincendas tentationes, & tamen sæpiùs illi, qui Eucharistiam susceperunt, etiam cum debita dispositione, postea succumbunt tentationibus. Ergo neque etiam Extremæ-Unctioni debemus tribuere effectum infallibilem, cum non sit nobilius sacramentum Confirmatione, & Eucharistiâ: maximè quia hoc videtur contra experientiam: aliqui enim, immò plures peccatores peiores fiunt post recuperatam sanitatem, quàm essent antea: ergo falsum est, quòd sanitas corporalis in Extrema Unctione conferatur, quando ad sanitatem spiritualem expedit.

Respondeo facilè, omissis aliis solutionibus, nihil esse tam sacrum, quod ex malitia hominum non vertatur in sacrilegium: undè sufficit, quòd quantùm est ex parte Dei, & ex parte ipsorum sacramentorum, effectus sint semper infallibiles: quamvis per accidens ex defectu, vel malitiâ hominum, aut non subsequantur, aut etiam pervertantur hujusmodi effectus. Igitur per se loquendo, Confirmatio, & Eucharistia tribuunt auxilia necessaria ad fidei protestationem, & ad superandas tentationes; & sic per se loquendo, semper talis effectus sequeretur, quamvis aliquando per accidens

non sequatur, quia homo talibus auxiliis vel non utitur, vel etiam abutitur. Idem dicendum est in proposito: si enim homo non impediret, & beneficium Spiritus sancti non perverteret, semper infallibiliter, quando expedit ad salutem animæ, daretur salus corporis in Extrema-Unctione, & hujusmodi beneficium semper homini foret ad æternam salutem, nisi ex sua malitia ipso abuteretur.

ARTICULUS III.

An, & quomodo Ecclesia Latina, & Græca conveniant in sacramento Ordinis.

Advertendum est, quòd Ecclesia Romana, & Latina permittit eos, qui ab Ecclesia Græca fuerunt ordinati, celebrare sivè Romæ sivè alibi; nec jubet eos etiam sub conditione reordinari; ideòque supponit ipsos ritè ordinatos: aliàs sicut quando credit, vel dubitat aliquem non esse baptizatum, jubet saltem sub conditione ipsum rebaptizari; ita si existimaret Græcos non esse benè ordinatos, juberet eos reordinari.

Hinc oritur maxima difficultas, quia non videntur in materia ordinationis convenire Ecclesia Græca, & Latina: quandoquidem in Latina, materia est contactus physicus instrumentorū, v.g. contactus physicus calicis pleni, & patenæ plenæ in ordinatione presbyteri: in Ecclesia verò Græca non est, nisi impositio manuum. Omissis autem variis explicandi modis, unus solus videtur satisfacere, quem tradit noster Gravina in libro de ordine, juxta quem sit.

Conclusio: In Ecclesia tam Græca, quàm Latina, materia ordinationis est contactus physicus instrumentorum.

Probatur ex prædicto authore, qui ex Theodoreto, & aliis authoribus Græcis, refert, quòd dum apud Græcos aliquis ordinatur, instrumenta officij ipsius ponuntur super altare, & ipse ordinandus jubetur accedere ad altare, & illud fronte tangere: & dum ita tangit altare, Episcopus imponens manus super ipsum, eum ordinat: v.gratiâ si sit ordinandus Presbyter, su-

perponuntur altari calix plenus, & patena plena, & ordinandus tangens altare, modo dicto fit Presbyter. Sic igitur est in Ecclesia Græca, non minùs quàm in Latina, contactus physicus instrumentorum pro materia sacramenti ordinis, cum hac sola differentiâ, quòd in Ecclesia Latina contactus ille est magis immediatus, quàm in Ecclesia Græca; nam in Latina, ordinandus in prebyterum tangit physicè calicem plenum, & patenam plenam, sivè calicem in quo est vinum, & patenam in qua est hostia, ipsisque mediantibus censetur tangere vinum, & hostiam; sed in Græca, tangit altare, ipsoque mediante censetur tangere & calicem, & patenam, quæ superponuntur altari.

Præterea ait Aristoteles, quòd manus est organum organorum, & instrumentum instrumentorum, quia homo mediante manu conficit omnia alia instrumenta: undè in manu, velut in causa, radicaliter, & originaliter omnia instrumenta continentur. Et propterea dum per impositionem manuum in Ecclesia Græca ordinandus tangit physicè manus ordinantis, censetur physicè tangere in sua causa radicaliter, & originaliter omnia instrumenta.

Objectiones facilè præveniuntur per regulam jam insinuatam, quòd nempè Ecclesia Græca, & Latina conveniunt in hoc, quod est præcipuum in materia ordinationis, scilicet in contactu physico instrumentorum: quamvis differant in hoc, quod est minùs præcipuum, quatenùs in Ecclesia Græca contactus ille physicus est magis mediatus; in Ecclesia verò Latina est magis immediatus: & quatenùs in Ecclesia Græca contactus ille instrumentorum fit radicaliter, & in causa; in Latina verò fit formaliter, & in se ipsis. Sed semper manet, quòd, cum illud, quod præcipuum est in materia, in utraque Ecclesia reperiatur, ordinatio etiam sit valida in utraque.

ARTICULUS IV.

An, & quomodo votum solemne Religionis possit dirimere Matrimonium antecedens, vel subsequens.

Advertendum est primò, quòd Matrimonium ratum, & nondùm consummatum, dissolvitur per votum solemne Religionis. Sic expressè definitum fuit in Concilio Tridentino, sessione 24. canone 6. his verbis: *Si quis dixerit Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis professionem alterius coniugis, non dirimi, anathema sit.* Et ratio, quam affert D. Thomas, 4. sententiarum, distinctione 27. quæstione 1. articulo 3. quæstiuncula 2. in corpore, est optima congruentia: *Dicendum*, inquit, *quòd ante carnalem copulam, est inter coniuges tantùm spirituale vinculum: sed post, est inter eos etiam vinculum carnale: & ideò sicut post carnalem copulam Matrimonium solvitur per mortem carnalem; ita per ingressum religionis ante carnalem copulam solvitur, quia religio est mors quædam spiritualis, quâ aliquis sæculo moriens, vivit Deo.*

Advertendum est 2. quòd hæc est differentia inter votum simplex, & votum solemne, quòd in voto simplici satis frequenter dispensatur: & regulariter loquendo dispensari potest ad matrimonium contrahendum. Sed in voto solemni, regulariter loquendo, dispensari non potest: immò incertum est, an unquàm in ipso dispensatum fuerit etiam à summis Pontificibus, ut dicemus in solutionibus objectionum. Simplicitas autem, vel solemnitas voti non attenditur per hoc, quòd coram paucioribus, vel pluribus personis fiat. Sed simplex illud dicitur, quod fit extra professionem, vel ordinem. Solemne verò illud est, quod fit in susceptione sacramenti ordinis, vel in professione religionis approbatæ. Undè Concilium Tridentinum, sessione 24. canone 9, ait: *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares ca-*

stitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, anathema sit.

Omissis autem difficultatibus, quæ circa prædicta agitari possent, sed non sunt ullius utilitatis, vel necessitatis; aut saltem ex sola lectione percipi possunt; una difficultas est, quæ dividit Thomistas circa mentem Doctoris Angelici, an possit summus Pontifex dispensare super votum solemne religionis in ordine ad Matrimonium. Nam plures ex Thomistis, quos sequitur Gonetus, tomo 16. disputatione 9. articulo 2. dicunt Divum Thomam 2.2. quæstione 88. articulo 11. tenere partem negativam. Sed Sylvester in commentario ejusdem articuli cum aliis Thomistis existimat Doctorem Angelicum in 4. sententiarum, distinctione 38. quæstione 1. articulo 4. quæstiuncula 1. ad 3. docuisse expresse, quòd est probabilius summum Pontificem in voto continentiæ, & religionis dispensare posse, quantùmvis fuerit solemnizatum, si communis utilitas Ecclesiæ, aut alicujus Regni hoc postulet. Sed adducunt, quòd postea D. Thomas in prædicto loco suæ summæ hanc opinionem retractavit, & oppositam jam allatam docuit.

Episcopus autem Lucarinus nostri Ordinis Prædicatorum in Manuali Thomisticarum controversiarum Romæ impresso, 1 parte, conclusione 3. docet D. Thomam fuisse semper ejusdem sententiæ, & voluisse quòd summus Pontifex in hujusmodi voto solemni dispensare possit. Quæ sententia videtur probabilior. Undè sit.

Conclusio: Potest, etiam ex mente sancti Thomæ, summus Pontifex in voto solemni religionis dispensare, propter communem utilitatem Ecclesiæ, vel aliam similem rationabilem causam.

Probatur expressa authoritate sancti nostri Doctoris loco citato quarti sententiarum, ubi expressè ait: *Et ideo alii dicunt probabiliùs, si communis utilitas totius Ecclesiæ, aut unius regni, vel provinciæ exposceret, posset convenienter & in voto continentiæ, & in voto Religionis dispensari, quantùm-*

cumque esset solemnizatum. Non enim per votum potest se homo deobligare ab eo, in quo tenetur alteri: Vndè talis posset imminere necessitas, quòd posset alicui iustè prohiberi, ne continentiam, aut religionem voveret: & eadem necessitate manente potest etiam in voto dispensari iam facto. Et in scripto ad Annibaldum, libro 4. distinctione 38. articulo 2. ad 2. ait, *Vota Religionis principalia, sunt indispensabilia, ut ipsi dicunt. Quibusdam verò è contrario videtur, quòd in iis possit dispensari, eâdem ratione, quâ possent aliquando prohiberi propter aliquam maximam Ecclesiæ necessitatem.* Ubi D. Thomas apertissimus est, & hanc dispensationem non solum approbat, sed etiam existimat probabilius, quòd concedi possit.

Obiter autem notandum est, quòd prædictos Thomistas inter se discrepantes circa mentem Angelici Magistri optimè conciliat citatus Episcopus Lucarinus; ait enim, in duplici sensu intelligi posse, quòd summus Pontifex dispenset religiosum, ut contrahat Matrimonium. Primò, relinquendo ipsum in statu religioso, & in voto solemnizato, & cum illo statu conjungendo statum matrimonij, & statum sæcularem. Secundò, removendo statum religionis, & tollendo votum solemnizatum, atque ita transferendo nudam ut ita loquar, personam ab uno statu ad alium, nempè à statu religionis, & voti solemnis ad statum matrimonij, & statum sæculi. Primo modo non potest summus Pontifex dispensare, benè tamen secundo. Quod explicari potest exemplo ipsius D. Thomæ, de calice consecrato: si enim Calix maneat integer, & consecratus, non potest Episcopus eum deputare ad alios usus, præter ipsos usus sacros: si verò frangatur calix, statim cessat consecratio ejus, & potest ad alios usus, præter sacros, deputari. Ita in proposito dicendum est, quòd si religiosus maneat integer ut ita loquar, sivè remaneat consecratus Deo, & ad solos pios usus destinatus, non potest summus Pontifex eum applicare ad alios usus, præsertim matrimoniales omninò oppositos actibus religiosis. Si tamen velit summus Pontifex tollere consecrationem religiosi, & auferre solemnita-

tem votorum, tunc potest ad alios usus, & ad ipsum matrimonium destinare, & applicare Religiosum.

Quoties igitur D. Thomas negat dari posse talem dispensationem, loquitur in primo sensu, & quoties asserit eam dari posse, loquitur in secundo sensu: atque ita conciliantur testimonia D. Thomæ.

Ratio autem propter quam potest summus Pontifex tollere talem consecrationem, & solemnitatem, est, quia cum ipse acceptet traditionem Religiosorum vice Christi Domini, sivè superiores Religiosorum acceptent traditionem, quam Religiosi faciunt de se ipsis, authoritate, & nomine summi Pontificis gerentis in terris vices Christi Domini, non censetur ista acceptatio absoluta, sed conditionata, quia semper virtualiter, & interpretativè in tali acceptatione subintelligitur hæc conditio, si nempè majus bonum Ecclesiæ non exigat, quòd Religiosus à statu Religionis ad statum Matrimonij transferatur. Undè si majus Ecclesiæ bonum non exigat hujusmodi translationem, non potest fieri etiam à summo Pontifice: sed si eam exigat majus bonum Ecclesiæ, potest talis translatio, sivè dispensatio, fieri à summo Pontifice.

Objicitur. Idem D. Thomas, loco citato ex summa Theologiæ, expressè ait, *In voto solemnizato per professionem Religionis non potest per Ecclesiam dispensari.* Et rationem ibidem assignat his verbis: *Non potest facere aliquis Ecclesiæ Prælatus, ut id, quod est sanctificatum, sanctificationem amittat, etiam in rebus inanimatis; putà, quod Calix consecratus desinat esse consecratus, si maneat integer. Undè multò minus potest hoc facere aliquis prælatus, ut homo consecratus Deo quamdiu vivit, consecratus esse desistat.* Ergo D. Thomas his verbis alteram sententiam retractavit.

Respondet citatus Lucarinus huic objectioni, & quidem pluribus modis: sed illis omissis brevitatis gratiâ, videtur accommodatior ad responsionem regula illa, quam retulimus tanquàm conciliatoriam dispersionum Thomisticarum, quòd scilicèt D. Thomas intelligendus est in hac re, sicut demonstratur in exem-

pl● calicis consecrati, quòd nempè Episcopus non potest facere ut calix ille semel consecratus, desinat esse consecratus, quamdiu manet integer; sed potest illum frangere, & sic consecrationem tollere. Vult enim. D. Thomas, quòd summus Pontifex facere non possit, ut quamdiu vivit Religiosus formaliter ut talis, sivè manens in statu Religioso, non sit obligatus ad votum castitatis; cum ut constat ex capite, *Cum ad Monasterium. De statu Monachorum* in fine, Innocentius III. sic expressè dicat, *Abdicatio proprietatis, sicut etiam custodiæ castitatis, adeò annexa est Regulæ monachali ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Sed tamen potest summus Pontifex tollere statum Religiosum, & consequenter obligationem voti solemnis, si hoc exigat maxima necessitas Ecclesiæ.

Tandem observandum est, quòd quamvis D. Thomas tenuisset expressè hanc sententiam, quòd summi Pontifices non possunt in voto solemni Religionis dispensare causa Matrimonij, non refert, quòd ex historiis habeatur aliquos summmos Pontifices in hujusmodi voto Religionis dispensasse: tùm quia licet opinio D. Thomæ propter ipsius authoritatem sit tutior, & probabilior, potest nihilominùs opposita esse verè tuta, & probabilis, & eam ut talem potuerunt sequi summi Pontifices: tùm quia hujusmodi licentiæ non tam fuere dispensationes, quàm declarationes nullitatis professionum, propter defectum alicujus conditionis: tùm quia illæ historiæ vel sunt valdé dubiæ, vel etiam fabulosæ, ut fusè probat Gonetus loco citato.

Et hæc sufficiant pro sacramentis tùm in communi, tum in particulari, ad majorem Gloriam Dei, & Christi Domini eorum institutoris.

FINIS.



